

IO · STEPH · D · G
GNESNE · PRIMAS



CORNUCOPIÆ
CONCIONUM SACRARUM ET MORALIUM FORMATARUM
PARS SECUNDA;
sive
TRACTATUS MARIALIS
DE LAUDIBUS ET PRÆROGATIVIS
B.TÆ MARIÆ VIRGINIS,
DIVISUS IN
VIGINTI QUATUOR CONCIONES,
Quibus adjunguntur duo Sermones Panegyrici, unus de dilecto illius Filio JOANNE, alter de amato ejus Sponso JOSEPHO,

AUTHORE
R.P.F. CAROLO VAN HORN Gandensi,
S. T. Doctore, Ord. F. Erem. S. P. Augustini.

CUM DUPLICI INDICE COPIOSO
Rerum memorabilium, & materiarum facilè applicabilium, cunctis totius anni Deiparæ Festis.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud HERMANNUM DEMEN, sub signo Monocerotis.
ANNO M. DC. LXXVI.
Permissu Superiorum & Privilegio.

PRÆFATIO PROEMIALIS, in qua benevolo Lectori ostenditur, tùm ex Scriptura, tùm ex SS. PP. quàm arduum sit laudes, prærogativas, ac encomia MARIÆ Virginis enucleare.

QVod propositi operis gigantæam tibi, Benevole Lector, *objiciam difficultatem, non est quod mireris: cum enim de reconditis, & prodigiosis hujus creaturæ ad maternitatem ipsius æterni Dei prædestinatæ elogiis brevem conabar ordiri sermocinationem, mox numerosa difficultatum phalanx animum interturbabat, mentisq; aciem Mariæ lucidissimis imperscrutabilis sublimitatis suæ radiis vehementer obfuscabat. Nec mirum, hæc enim tanta est, ut Ignatius Martyr ei insigne illud elogium adscribere non ambigat:* Maria est cæleste prodigium & sacratissimum monstrum. *Quidquid enim in Maria reperitur, nil nisi portentum est, & miraculum. Est fœmina, non terrena, sed cælestis, orta è progenie Adami, attamen ejus vitio intacta, est virgo, sed & mater. Concipit, at sine delectatione, parit, sed sine virginalis claustri læsione: est cincta carne, verùm spiritu Seraphinos superat. Est vestita sole, & non consumitur, calceata lunâ, & non mutatur. Circumcingitur stellis, & earum lumine non eget: & ut uno verbo absolvam, tanta est, tamque eximia, ut S. Germ. cogatur exclamare:* Omnia tua sunt admirabilia, ô Deipara! omnia suprà naturam, omnia ingentia, & cunctorum vires superantia.

S. Ignatius Martyr. de laud. D. Virg.

S. German. orat. de zona D. Virg.

Hæc, dum attentè perpendo, mihi evenire experior, quod quondam accidisse pulcherrimæ Homeri statuæ veteres commemorant Historici. Cui ante eam transeunte Alexandro Magno, undequaque vehemens sudor erupit. Quod inauditum portentum Areoli innuere asseruerunt, disertissimos etiam Oratores, ac subtilissimos Poetas, ad sudorem usque, elaboraturos, sed nec suffecturos, in heroicis, præclarisque hujus Monarchæ gestis pro dignitate decantandis. Haud aliter eloquentissimi Ecclesiæ Catholicæ Homeri, id est, SS. PP. quàm plurimùm insudarunt in exarandis Reginæ cælorum Mariæ Virginis laudibus: omnesque sese tanto oneri impares esse confitentur ingenuè. Audi si lubet horum Coriphæum, & lumen luminum S. P. N. Augustinum. Quid nos tantilli? quid actione pusilli? quid in ejus laudibus referemus? cum, etsi omnium nostrûm mèmbra verterentur in linguas, eam laudare non sufficerent. *Et paulò infrà*: De te, ô Virgo Maria! quid dicam pauper ingenio? cum quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua mereatur. Si cælum te vocem, altior es. Si Matrem gentium dicam, procedis. Si Dominam Angelorum te vocitem, per omnia sic esse probaris. Quid ergò de te dicam? quid referam? cum non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes. *Illa itaque est liber iste, de quo Isaias*: Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem, cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum, & respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei. Lege, Lege: & respondebit: Nescio litteras. *O mirabilis liber Maria, in quo continetur altissimum illud Incarnationis Mysterium, simulque arcanum SS. Trinitatis absconditum à sæculo,* Liber generationis Jesu Christi. *At signatus sigillis septem. Quis ergò eum reserabit? non nisi Deus ipse teste Ioanne*: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus. *Cui concinit D. Bernardinus.* Tanta fuit perfectio Mariæ, ut

S. Augus. serm 36. de SS.

Isai. c. 29. v. 21.

Matt. c. 1. v. 1.

Apoc. c. 5. v. 9.

Eccl. c.1. vers.9. ut soli Deo cognoscenda reservetur: *juxta illud Eccl.* Ipse creavit in Spiritu sancto, & vidit, & dinumeravit & mensus est.

Itaque cum tot recondita sint in hoc divino libro sacramenta, & arcana, ut non tantùm humanum, sed & Angelicum intellectum transcendant, maximæ argui vereor temeritatis: si nimiùm profundè Mariæ excellentiam penetrare præsumam. Præcipuè monitus ab Horatio:

Sumite materiam vestris, qui scribitis æquam
Viribus, & pensate diu, quid ferre recusent.

Quid igitur? eloquar? an sileam? sane in hac lucta aureis verbis D. Epiphanii appositè uti possum. Desiderium me trahit, ut de Deipara verba faciam, & formido me retinet in silentio, ut, qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus me deterret: ille quidem trahit me, iste verò me abstrahit. Cum ergò ab utroque detinear, expedit mihi, ut sermonem habeam de celebri Virgine. *Hoc confortatus consilio, tuâque fretus, O misericors Mater! benignitate, intro labyrinthum virtutum ac perfectionum tuarum: è quo ut incolumis evadam, ut alter Theseus ab Ariadna, à te, O piissima Virgo, subsidium divinis S. Bernardini verbis obnixè expostulo:* Hic totum decurrat ingenium, & aureus sermo totus reluceat Majestate. Voluntaria oris mei beneplacita faciat sibi Genitrix, Domina mundi, Regina cœli, ipsa sensum acuat, dirigat stylum, & linguam pauperis venustiori respergat eloquio, ut de magnificentiis ejus aliquid depromam.

S. Bern. serm. 81. de Virg.

Tu interim, Benevole Lector, *quandoquidem meam materiæ sublimitas longè superet imbecillitatem, quantumvis, ut par est, (quod impossibile factu) de Mariæ Dei Genitricis dignitate non disseruerim, benigno animo excusa: sed & de hoc te admonitum velim, ne bombysantem latinitatis stylum exspectes: malui enim tempus in inquirendis congruis ad Mariæ laudes enarrandas materiis insumere, quàm illud elegantiæ dedicare. Quod si tenerum hebetis ingenii mei, & tantilli laboris fœtum hunc benignè foveas: secundum favente Deo, primâ opportunitate de eadem, quam concepi, materia pariam, & in vestro rursùs benevolentiæ sinu reponam. Vale & fave.*

LICENTIA PRIORIS GENERALIS.

Magister F. Paulus Luchinus Pisaurensis, totius Ord. Erem. S. Augustini Prior Generalis.

UT *Opus inscriptum* (Tractatus Moralis de laudibus & prærogativis Beatæ Mariæ Virginis) *à Reverendo Patre Magistro Carolo van Hoorn Ordinis nostri elucubratum, & à Patribus per nos deputatis recognitum & approbatum, typis dari possit harum vi literarum, nostrique muneris authoritate quantum ad nos spectat, & servatis servandis licentiam impertimur. Datum Bruxellæ apud S. Augustinum in nostra visitatione, die 22. Augusti 1659.*

F. Paulus Luchinus Generalis indignus.
Nostri muneris affixo sigillo.
Magister F. Aurelius Mancinus Secretar. Ord.
Registratum libro 8.

Ego

EGo infrascriptus ex commissione R.mi. Patris Magistri Pauli Luchini, totius Ordinis Erem. S. Augustini Generalis, legi & probavi librum, cui titulus (*Tractatus moralis de laudibus & prærogativis Beatæ Mariæ Virginis*) ab Exim. P. F. Carolo van Hoorn. S.T. Doctore & Professore elaboratum, qui quoniam consentaneus est fidei & bonis moribus, & varios includit conceptus pios, doctos, ac raros, subtiliter, solidè facilèque deductos, non Concionatoribus tantùm, sed aliis etiam Deiparæ Virginis amatoribus perutilis est futurus, non duntaxat typis excudi, sed & immortalitati commendari debet. Gandavi in Conventu nostro Fratrum Erem. S. Augustini, die 20. Augusti 1659.

E. ALIPIUS REYLOF S.T.D. & Professor.

APPROBATIONES.

COnciones Quadragesimales, & ad laudem D. Virginis ab Adm. Rev. & Eximio Carolo van Hoorn Ord. Erem. S.P. Augustini S. Theol. Doctore concinnatas, quæ nihil Fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium continent, & non sine applausu & fructu ante annos aliquot lucem viderunt, dignissimas censeo, quæ ad communem legentium & audientium utilitatem typis recudantur. Datum Coloniæ apud S. Augustinum, Anno 1670. die 3. Septembris.

F. Joannes Schvveitzer *Ord. Erem. S.P. Augustini S. Theol. Doctor & Professor. Vicarius Provincialis.*

LEgi QUADRAGESIMALE uti & MARIALE Adm. Rev. ac Eximii P. Caroli van Hoorn. S. Theol. Doctoris, Ordinis Eremitarum S. Augustini, ac in utroque CORNUCOPIAM inveni, mirâ rerum pulcherrimarum varietate, ingeniosis conceptibus illustratâ, ac Sanctorum Patrum testimoniis solidè firmatâ, refertam, concinno insuper ordine ita digestam, ut facilem omnibus sui exhibeat copiam ac usum; idque absque ullo doctrinæ nævo ac nota contra fidem aut bonos mores: Quapropter è re Præconum verbi divini ac laudum Marianarum futurum existimo, ut iteratò uterque liber typis evulgetur, ne plures eorum abundantia deficiat, ac in illorum CORNUCOPIA plurimi sentiant inopiam. Coloniæ in nostro conventu Carmelitarum, die 4. Septembris. Anno 1670

F. AMBROSIUS à S. GODEFRIDO S. Theol. Lector ordinarius.

CENSURA ORDINARII.

OPus Concionum Quadragesimalium, & in laudem B.M.V. ab Adm. Rev. & Eximio P. Carolo van Horn ex Ordine Eremitarum S.P. Augustini, S. Theol. Doctore, egregiè concinnatum, ac jam alibi revisum, approbatum & impressum, Coloniensibus typis, plurimorum ejusdem B.V. Cultorum bono, jure merito in lucem prodit publicam. Coloniæ 4. Sept. Anno 1670.

HENRICUS FRANCKEN SIERSTORFF, D. Gymn. Laur. Regens, librorum Censor ordinarius.

INDEX
CONCIONUM, THEMATUM,
AC
ARGUMENTORUM,
Quæ in hoc opere Mariali continentur.

CON-

CON-

CONCIO PRIMA

Thema.

Maria Mater misericordiæ, cantat Ecclesia.

ARGUMENTUM.

Declaratur ex sacrâ Scripturâ: & ex variis S. S. P. P. eximia Mariæ Virginis erga genus humanum Misericordia.

DE prædicaturus Mariæ encomia à quo illorum exordiar, dubius hæreo, meque non minus intricatum reperio, quam olim fuerunt Israëlitæ. Hi obstupefacti ob admirabile cæli beneficium, manna pluentis, visis raris ejus proprietatibus, occultisque virtutibus, clamabant: *Manhu quid est hoc? nesciebant enim quid esset.* Nec ausi sunt cælesti huic cibo peculiare nomen indere, & quamvis Moyses ipsis illud satis apertè indicarit, dicens: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Quia tamen in eo omnem omnium ciborum, carnis, piscis, panis, &c. saporem experiebantur contentum, juxta illud Sapientiæ: *Panem de cælo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem:* A nomine abstinuerunt, judicantes nullum prorsus posse excogitari sufficiens, quod ejus celsitudinem exprimeret.

Exod. cap. 16. v. 15.

Sapie. cap. 6. vers. 20.

Non dissimiliter ego dum Mariam contemplor, cogor exclamare: *Manhu quid est hoc?* Quid est Maria? Idque præcipuè cum Seraphicos spiritus tanto hujus creaturæ splendore ac dignitate attonitos, audio sese invicem interrogantes: quæ est *ista quæ progreditur?* Et sanè quid hic aliter potest responderi nisi: Maria est illa, quæ non dumtaxat omnium creaturarum sublunarium & cælestium perfectiones in se complectitur, sed & longè cunctis supereminet. Ideòque nec unico vocabulo Mariæ Virginis eminentia, omnesque prærogativæ valent explicari. Etenim si Isaiam Prophetam interpellem, & petam, quid est Maria? Respondet, ipsa est reparatrix humanæ naturæ lapsæ: ipsa est pacificatrix Dei & hominis: ista est, quæ coram Tribunali SS. Trinitatis flammigerum ac sanguinolentum vexillum (apud Romanos olim belli & hostilitatis indicium) sustulit, albumque pacis & fœderis signum in mundo collocavit: *Posui te in fœdus populi.* David dic obsecro nobis, quæ est Maria? Non nisi mirificum ipsiusmet Dei inquit cælum: *Dominus in cælo paravit sedem suam.* Salomon quæ est Maria? *Quasi aurora consurgens* inquit. Ista est quæ ut vera aurora, quæ interpretatur ethymologicè aura rorans, in mundo ex defectu pluviæ divinæ gratiæ sterili, rorem cælestem Jesum Christum Dominum nostrum stillavit, eumque fæcundavit. Pro quo ingemiscentes defuncti clamabant Patres: *Rorate cæli desuper & nubes pluant justum.* Si rursus Sapientem interrogem, quæ est Maria? Ait: *Flos campi.* Cujus suavi odore, & virtutum fragrantiâ attracta est cælestis illa apis, Verbum Divinum inquam, ut ex eo nobis sugeret mel misericordiæ. Si petitionem denuò reiterem, respondet: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Tabernaculum sanè fœderis Maria, in quâ quievit, id est, ab ira cessavit iratus Dominus *Cant. 7.* intitulatur: *Turris eburnea.* Quia verè Maria firmissimum est, contra furorem Dei in hominem propugnaculum. Si SS. PP. interrogem, quæ est Maria? Millenos, & millenos huic Dominæ mirificos attribuunt titulos. S. P. N. Augustinus: *Aula Regis æterni, & auctrix meriti.* Bernardus: *Mater salutis.* Anselmus: *Mater gratiæ, &c.* At cuncti cùm Patriarchæ, & Prophetæ, tùm SS. PP. obfuscantur lumine tantæ dignitatis, & cùm Hebræis coarctantur clamare: *Manhu quæ est ista?* Huic tam profundæ petitioni succinctè non minus, quam ingeniosè respondet Dionysius

Cant. cap. 6. vers. 9.

Isaia cap. 49. vers. 8

Psal. 102. vers. 19.

Isaia cap. 45. vers. 8. Cant. cap. 2. vers. 1.

Cant. cap. 7. vers. 4.

S. Aug. ser. de Assump. S. Bern. ser. 2. Assump. Ansel. l. de ex V. c. 12.

Dion. Car. l. 3. de lau. Virg c. 3.
Basil. de D. Virgine.

Carthusianus: quæris quænam sit Maria? *Maria, inquit, interpretatur mare, quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic gratiæ excellentiam, gloriamque Mariæ nullus valet exprimere.* S. Basilius adæquatam difficultatis propositæ numquam dissolvendæ, dat rationem: *Universa, ait, quæ mundi ambitu continentur, cum Virginis dignitate comparari non valent.*

Quod cum ita sit, ego hoc vastissimum perfectionum mare transmeans, in eo conabor quosdam uniones, pretiosasque margaritas expiscari, è quibus cunctis apparebit Mariæ eminens fulgor, & mirificus candor. Quod ut ad optatum queam finem perducere, mecum ad ipsam recurrite Auditores, & rogate, ut opituletur naufrago per impetratam Spiritus sancti gratiam, salutantes eam suavissimis Angelicis verbis, *Ave gratiâ plena.*

Maria Mater misericordiæ.

Cant. cap. 8. vers. 10.
D. Bernar.

INter cæteras Mariæ prærogativas, & excellentias, minimam non existimo præallegatam, *Mater misericordiæ.* Si enim ab ipsa inquiratur, Maria quæ es? Mox respondet: *Ego murus, ex eo quod facta sum coram te quasi pacem reperiens.* Hic curiosè, & subtiliter annotat D. Bernard. tò *quasi*, petitque: an Maria absolutè ista non sit, & possit dici columba pacis ramum adferens mundo? Responsio in promptu est, Adamo transgrediente præceptum Domini, pacem, atque misericordiam divinam perdidit, non destruxit: quæ, utpotè divinæ essentiæ proprium attributum, nullatenus destrui poterat: sed bene quoad benignos ejus effectus, & influxus occultari: quæque totaliter è mundo exul, cælo inclusa, solâ dominante rigorosâ justitiâ, sedulò inquirebatur pro mundo misericordia, at frustra: Nec enim hæc pretiosa drachma naturæ lumine ab Adamo, nec circumcisionis ab Abrahamo, nec legis scriptæ lucerna à Moyse poterat adinveniri. Sed necessaria erat mulier, scilicet, benedicta Maria, quæ ad hanc drachmam reperiendam, lucernam accenderet profundæ humilitatis, & everteret domum: id est, universas naturæ leges immutaret. At quomodo evertit, inquit Bernardus?

D. Bernar.

Respondet: *Evertit domum quando effecit, ut immortalis evaderet mortalis, æternus temporalis, Creatura, Deus homo, & homo Deus. Evertit domum quando longitudinem fecit brevem, latitudinem angustam, altitudinem humilem, profunditatem plenam. Evertit domum quando fecit lucem non lucentem, verbum infantulum.* Et ecce tum *misericordia*

Psalm. 84. vers. 11.

& veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Quam lætabundi in Verbi incarnatione denuntiant mundo Angeli: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Nec ipsi tantum, sed & Romani, qui tum Templum Dei Jani belli tempore apertum, in signum communis pacis & concordiæ claudi jusserunt. Quod si itaque mulier illa, de qua Evangelista Lucas, exultans clamarit: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram:* Quo potiori jure Maria nos non invitat, ut ei de fructu ventris sui congratulemur, dicens: *Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cùm essem parvula placui altissimo, & de meis visceribus genui Deum, & hominem:* Per quem drachma gratiæ, misericordiæ, pacis, & mansuetudinis, tanto tempore inquisita, toti mundo reperta est. Bene ergo ô Maria de te cantat Ecclesia *Mater misericordiæ.*

Lucæ cap. 13. v. 9.

Pro tuenda prædicta doctrina ingeniosè magnam mellifluus Bernard. nominum, quæ Deo in novo, & illa, quæ in antiquo Testamento attribuuntur, advertit diversitatem. In hoc enim vocabatur nomine justitiæ. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit.* In illo aliud arripit, & *vocabunt nomen ejus Emanuel.* Quod secundum Bernardum, & S. Scripturæ Interpretes significat *nobiscum Deus*, id est, *misericors.* Deus in veteri Lege insidens throno divinæ majestatis, sceleribus & abominationibus mundi, ad iram provocatus, totus justus severam pronuntiat sententiam: *non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.* Deus in novâ Emanuel misericordiæ recordatus antiquæ totus misericors: & ecce, *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Deus justus peccatores à se abigit: *Discedite à me qui operamini iniquitatem.* Deus Emmanuel eos blandis verbis ad se invitat, & allicit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* De Deo justo loquuntur Asotii, qui sentientes terribilem manus Dei severitatem, clamarunt: *Non maneat Arca Dei Israel apud nos, quia dura est manus ejus super nos.* De Deo Emmanuele testatur Sponsa: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Manus, ait, dilecti Sponsi mei sunt tornatiles, ut miseris peccatoribus divinorum hyacinthos effundat beneficiorum. Manus ejus sunt vivus fons, è quo continuò scaturiunt aquæ misericordiæ, & pietatis: in lege autem veteri Deus justus, tam erat terribilis, & formidabilis Israëlitis, ut ipsi instantissimè Moysen rogarint: *Ne loquatur nobis Dominus Deus, ne fortè moriamur.* Dei autem Emmanuelis misericordis voce delectabantur Apostoli, dum di-

Psalm. 93. vers. 1.
Matt. cap. 1. vers. 23.
Genes. cap. 6. vers. 3.
Matt. c. 28. v. 2.
Matt. cap. 7. vers. 23.
Matt. cap. 11. v. 28.
1. Reg. 1. 7.
Cant. cap. 5. vers. 14.
Exodi cap. 20. v. 19.

cerent:

Ioan. cap. 6. vers. 69.

cerent: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

O mirabilis metamorphosis! Ille Deus cujus natura nullæ subjecta est mutabilitati, videtur quasi immutari. Ipse enim qui in mundi scelera acriter sæviebat: ille qui furibundus, iræ & indignationis suæ fulmine peccatores in infernum præcipitabat, ut patet in Dathan & Abiron, aliisque quam plurimis Scripturis. Ideoque de illo Deutron. c. 7. *Deus magnus & terribilis* Et psal. 75. *Tu terribilis es, & quis resistet? ex tunc ira tua:* Furore deposito omnimodè mansuescit, & amabilis evadit: id ipsemet testatur per Isaiam: *Ecce declinabo super eam quasi flumen pacis.* Non ait guttam, vel parvulam mensuram, sed abundatissimam in Ecclesiam meam pacis aquam effundam, & *quomodo si cui Mater blandiatur, ita ego consolabor vos.*

Deut. cap. 7. vers. 21.
Psalm. 75. vers. 8.
Isaiæ c. 66. v. 12. & 13

Ast quis tanti tamque eximii beneficii auctor? Quis ille Hercules, cujus tanta est potentia, ut iratum Deum placarit? Ipsa, ipsa est invicta nostra Amazon Maria, hæc ferocientem Deum compescuit, & mansuetum reddidit. Audite, testis est S. Antoninus: *Deus in veteri Testamento erat ut Leo rugiens, & ultionum Deus, peccatores terribiliter puniens: sed ferventissimo amoris calore in utero Virginis intrans, factus est totus suavis & benignus.* Maria ergo vera est Mater misericordiæ.

S. Anton. 4 p. tit. 15. cap. 22.

Propheta Moyses in antiquo Testamento Deũ describens in peccatores severum, vix sciens, cujus indomiti animalis sevitiæ ejus excessum compararet, ferocium Tauri, & Rhinocerotis animalium utitur similitudine: *Quasi primogeniti Tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Et sanè multum appositè. Taurus enim juxta Naturalistas hujus est naturæ, ut ferocia ejus ulla hominum vi vix compesci queat: Si tamen collum ejus foliis ficus circumdetur, aut ficui alligetur, ita mansuescit, ut minimè ferocire pergat, imò & immobilis permaneat. Quo modo Taurum ab Hercule compressum domitumque antiquo commento, Græcia confinxit. Unde ut ait Pierius, apud Auctores inter primas arbores ficus maximè celebrata est. *Atq; illud præcipuum*, inquit, *ejus est hieroglyphicum, ut per eam dulcedo intelligatur.* Quod Veteres in numis significatum reliquerunt, in quibus cernitur ficus inter duos tumulos sita: unius inscriptio est *ambrosia*, alterius *nectar*, quasi ficus utriusque vicem gerat. Subjungit ingeniosi hujus hieroglyphici aliam rationem Pierius: *Quia ruta ex naturâ amarissima, si juxta ficum seritur, mitior evadit.*

Deut. cap. 33. v. 17.
Pierius lib. 53.
Ibidem.

Deus noster ferocissimus fuit ut Taurus, irâ in peccatores excandescens, & fortissimis justitiæ suæ cornibus insectans: nunc per annos, & menses, ut tempore Eliæ terræ pluviam negando, nunc ignẽ devorantem super Sodomam & Gomorrham pluendo; nec à quopiam poterat tantus furor compesci, ut inquit Salomon: *Virtuti brachii tui quis resistet!* Sed ecce sanctissimæ, & præ millibus electæ arbori Mariæ Virginis hic Taurus alligatus, de quâ dici concinnè potest illud Cant. *Ficus protulit grossos suos*, id est, fructus suos, ejusque foliis, id est, purissima Mariæ carne coronatus, omnem ferociam deposuit, & placabilis mundo redditus est. Sic ingeniosè explicat S. Antoninus: *Sicut Taurus quantumq; ferus, si alligetur ficui mansuescit: ita Dei Filius alligatus Virgini dulcissimo vinculo charitatis, ex quâ incarnatus est, factus est mansuetus.*

Sapien. c. 11. v. 22.
Cant. cap. 2. vers. 13.
S. Antonin. loco citato.

Apposite & appellatur Rhinoceros: ille enim in feritate Tauro non cedit, sed eum longe antecellit, unde ait Pierius: *Hieroglyphici sunt, qui volentes potentem aliquem Regem, imbecillioris alicujus artibus vexatum intelligere, Elephantem pingunt in certamen, à Rhinocerote lacessitum.* Hujus ferociam approbat Eucherius ex illo Job, secundum textum Hebraicum: *Numquid vult Rhinoceros servire tibi?* *Terribilis*, ait, *fera Rhinoceros cui gemina in naribus cornua.*

Pier. lib. 2.
Iob cap. 39. vers. 9.

Ultra hanc, & aliam animali huic Naturalistæ attribuunt ingenitam naturæ proprietatem, inter quos Pierius, cujus verba sunt: *Sunt qui lentitudinem irascendi, ac nullum mox adhibitum modum excandescentiæ, per hujus animalis hieroglyphicum intelligant: nam in eo conveniunt Authores, magnâ id indigere irritatione, sed ubi irasci cœperit, esse ferocissimum.* Quod & Martialis exprimit epigrammate, depicto Rhinocerote in Ursum irato, cum dicto. *Ex tarditate ferocior.* Additque hos versus.

Sollicitant pavidi dum Rhinceronta magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ.
Desperabantur promissi prælia Martis.
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sic extulit Vrsum,
Iactat ut impositas Taurus in astra pilas.

Deus in Lege antiqua fuit Rhinoceros, ut indicat Propheta Balaã: *Fortissimus cujus fortitudo*, inquit, *similis est Rhinocerotis.* Contra hujus impetum, & ferociam, ut Chaldæi, & Arabes ex Psal. 21. elicuerunt, auxilium divinũ expostulat David: *Salva me à feroci fortissimo, sicut Leone: & à Rege potente, cujus potentia sit quasi Vnicornis.* Hoc animal tamen quantumq; ferox, quantumque robustum, hujus

Num. cap. 24. vers. 8.
Psalm. 21.

est naturæ, hancque sibi innatam habet proprietatem, ut operâ Virginis mitescat. Iterum Pierius: *Aiunt pudicitia ita amantem esse, ut non nisi Virginis ope capi possit.* Ideoque venatores, prædæ hujus avidi, Virginem in campo constituunt, cujus conspectu animal allectum, ad illam recurrit: *Inclinatumque*, inquit, *caput in ejus gremium collocat*, ac post altissimo somno obdormiens, à venatoribus nullo negotio, ac labore apprehenditur.

loco citato.

Optimè sanè Deus appellatur Rhinoceros in antiqua Lege, utpotè cui ad amussim præallegatæ Rhinocerotis conveniunt proprietates. Ipse enim verè est ut alter Rhinoceros tardus ad iram & vindictam, tamen nimium peccatis hominum lacessitus, atque provocatus, peccatores, ut stipulam, consumit. At tota hæc ferocia, & indomitus furor unius Virg. Mariæ aspectu mitigatur, abitque in fumum. Et post captam, in ejus utero sacratissimo, totius SS. Trinitatis triclinio, quietem, immemor vindictæ, solius misericordiæ recordatur. Audi quam appositè dictum meum confirmet S. Thomas à Villa nova: *Quid Filio Dei similius*, inquit, *quam filius Unicornium? Captus est & ipse amore Virginis, & majestatis oblitus, carnis vinculis irretitus: unde in Cant. quasi capturam suam prævidens, ex amore ad Virg. clamat: Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*: scilicet è sinu æterni Patris ad sinum tuum, ô Maria! in quo mansuetus redditus sum.

S. Thomas à Villa nova conc. 4. de nat. Christi.

Prætereundum hic non est id, quod in laudem Sponsi Christi incarnati adfert Maria sponsa: *Dilectus quemadmodum Filius Unicornium.* Ex Naturalistis enim clarissimè patet Rhinocerotem gemina in capite cornua gerere. Id etiam numi indicant Domitiani Imperatoris, *in quibus* ait Pierius, *Rhinoceros spectatur gemino cornu insignis.* Qui fit itaque, ut sponsa sponsum unicornem vocitet? Ex eodem Pierio objectæ difficultatis facile eruitur enodatio. Ait ille animali huic vindicativum cornu unum, alterum salutiferum, contraque omnia venena remedium efficacissimum, à natura esse concessum. Sic Deus noster duo cornua possidet: unum, *ventilans peccatores usque ad extremum terræ*: id est, strictæ justitiæ: aliud perquam utile, & salutare contra omnium hominum peccata antidotum: scilicet inextinguibilis misericordiæ: sicque rectissimè Rhinoceros & Unicornis appellatur: quia primo furoris, & justitiæ cornu severè in veteri testamento peccatores insectabatur, ac sæpissimè salutare cornu divinæ suæ misericordiæ retinebat: at ubi in sinu Mariæ Virginis ejusque

Psal 28. vers. 6.

Deut. cap. 33. v. 17.

benedicto utero novem mensibus requievit, ut Sampson in sinu Dalilæ, fortitudinem amisit! ita & Deus cornu vindictæ, & justitiæ perdidit, & totus misericors evasit. Itaque optimè Maria sponsa Christum sponsum Unicornem vocitat. Unde si Tauro, ficu domito, & Rhinoceroti dictum attribuatur, ubi in sinu Virginis caput reclinaverit, *mutatus exit*: Quidni & Verbo incarnato applicetur? Verè enim Christus *mutatus exit* è claustro Virginali Mariæ, non amplius justus & severus, sed Emmanuel & misericors.

Ex hoc & facillimum erit quæstioni sanè non contemnendæ respondere: cur Verbum Divinum nomen Christi, non ante, sed dumtaxat post Nativitatem sibi assumere voluerit, ut patet ex sacra Scriptura *de quâ natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Ratio enim est quia Christus secundum SS. PP. significat vinctum, id est, misericordem & pium. Deus autem tum erat *Deus ultionum.* Verùm ex utero Mariæ Virginis egressus, ecce *mutatus exit*: vinctus scilicet pretioso oleo misericordiæ, & pietatis. Sic doctissimus Vorago: *Qui vocatur Christus, olim enim Deus durus erat hominibus, sed modo est unctus, & ideo factus est flexibilis, & mansuetus: fuit enim unctus à Maria.*

Matth. c. 1. v. 16.

Vorago in hac verba.

Ovidius libro 2. Metamorphos. loquens de Vulcano, domus solis fabricatore, *Mulciber* eum appellat, *nam Mulciber illic.* Sed peto, cur non Vulcanum, aut filium Junonis vocat, ut libro 4. Metamorph. *Indoluit facto, Iunonigeneque marito*: vel etiam, cur ipsum non ignis intitulat dominum? Ut Virgilius: *Hoc nunc ignipotens cælo descendit ab alto.* Aut alio nomine utitur apud Poëtas usurpato? Donatus & Festus lib. de ethimologiâ docent vocabulum *Mulciber* dici, & derivari à *mulcendo*, & quamvis Vulcanus, ut Poëtæ fabulantur, fulmina conficeret, ut illa iratus Jupiter in terram dejiceret: cùm tamen, ad extruendam solis domum, manum admovet, non nominatur Vulcanus, sed *Mulciber*, quod est *demulcens.* Eo quòd in solis domo nil fit, nisi splendor suavitatis, & pacis. Sic Deus dum ædificavit regiam Solis æterni domum Virginem Mariam, juxta illud Proverb. *Sapientia ædificavit sibi domum*: non Deus ultionum, non vindicans usque in quartam generationem, sed Emanuel, id est nobiscum misericors, & mansuetus appellatur. Imò ab ipso Apostolo in abstracto pax ipsa nominatur: *Ipse enim pax est nostra, qui fecit utraque unum.*

Ovidius lib. 2. Metamorph.

Virgilius.

Prov. c. 9. v. 1.

Epist. ad Eph. c. 2. v. 14.

Nec est, quod quis de tam subitanea Dei mutatione (quoad effectus intelligo) admiretur: etenim Aristo-

Arist. l. 2. textu 9.

Aristoteles lib. 2. textu 9. ait, *Dura terminantur termino proprio, liquida alieno*, v. g. ensis, naturæ duræ, vaginæ immissus, terminatur termino proprio, quia extractus, similem ut antea, retinet figuram: aqua verò, oleum, omnisque liquor, terminatur termino alieno: infusus enim in vas rotundum rotundam, in longum longam, in planum planam recipit figuram, ut patet ad oculum. Ante incarnationem divina essentia terminabatur termino proprio, quia dura erat, & in hominum scelera maximè vindicativa: at ubi Verbum in uterum Virginis descendit, terminatumque est angusto hoc termino, quod cæli & terra capere non poterant, liquefactum est, flexibile, & benignum redditum, juxta illud: *Oleum effusum nomen tuum*. Unctum est enim à Maria.

Cant. c. 1. v. 2.

Ad hoc appositè Justinus Martyr in dialogo cum Triphone dixit, Deum esse centrum universi, quod ubique est: ejus tamen circumferentiam nullibi esse: quia illius infinita immensitas determinato limite minimè coarctari potest. Nihilominus tamen hæc in mirabili Verbi Divini Conceptione, in Mariæ Virginis utero facilè refellitur sententia. Illa enim, quem cælorum ambitus non continebat, hunc suo gremio comprehendit, ac immenso illi centro circumferentiam apposuit. Quod vaticinatus fuerat Jeremias: *Fœmina circumdabit virum*. Id est immensitatem Dei, simul ac majestatem in virginali claustro concludet, quod quam stupendum sit, nullus integræ mentis inficiabitur, si mirum tanti mysterii subsequutum effectum, attentè præponderet. Olim quidem immensum justitiæ divinæ mare absque termino, & limite tumentibus furoris sui fluctibus mundum inundabat: Marianum verò intrans uterum, parvo termino coarctatus, peccatoris miseretur Deus, iræque suæ impetus frangit & coërcet: misericordiâ, naturam humanam, verbo indissolubili unionis hypostaticæ vinculo copulatam, terminum severæ justitiæ constituente. Unde ad illum potest dici illud Job: *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*, id est, dum ad humanitatem perveneris, terminatusque fueris termino alieno, Virginis Mariæ corpore, liquefies & mansuesces.

Jerem. c. 31. v. 22.

Job c. 38. v. 11.

Plut. lib. de Prov. animaliũ.

Plutarchus celeberrimus historiographus stupendum refert naturæ sacramentum; si aqua marina, ex propriâ naturâ salsa, & amara, ac palato terrestrium animalium ingrata, in vase quodam cerâ virgineâ pleno purificetur, salis acritas in mellis suavitatem, amaritudo in dulcedinem commutatur. Id Deo nostro quàm optimè potest applicari. In veteri Testamento amarissimus erat, & maximè vindicativus, peccatis hominum irritatus, adeòque ait Propheta Oseas: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem provocavit Deum suum*. Et ecce conclusus in Virgineo vase benedicti Mariæ Virginis ventris, omnis amaritudo, id est, justitia Dei in suavissimum misericordiæ, pietatis, ac benignitatis mel commutata est. Ad quod alludere videtur Esdras, juxta versionem Vatabli: *Mulier portentum pariet, & in dulces mutabuntur amara*.

Osea c. 14. v. 1.

Esdras l. 4

Hæc omnia attentè considerans D. Bernardus in Mariæ Virginis laudes exclamat: *Maria convenienter vocatur Mater misericordiæ, quia divinæ pietatis abyssum, cui vult, & quomodo vult, creditur aperire: ut quivis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinii suffragia præstat.* Eja ergò Christiani, congratulamini Mariæ, eique gratias agite, quia ipsa est Mater misericordiæ, quia ipsa est illa mulier, quæ pretiosam misericordiæ drachmam deperditam adinvenit.

D. Bern. super Cãt.

Refert Aristoteles lib. de mirabilibus naturæ, ovem quamdam produxisse leonem, ex naturâ suâ ferocissimum, adeò mansuetum, ut naturâ non leo, sed agnus videretur. Hancque mansuetudinem indubiè ab ove receperat, idque vi naturæ: omne enim generans toto naturæ conatu sibi generatum assimilare studet. Leo ferocissimus erat Deus noster in antiqua lege, vindictæ continuò inhians: hunc tamen, dum ovis illa suavissima Maria Virgo peperit in stabulo, *mutatus exit*, & solitâ feritate depositâ, omnimode pius & benignus effectus est, & ille, qui virtute suâ cælum & terram faciebat tremere, imbellis & inermis jacet puer in præsepio. Nec id mirum: ut enim rectè notat S. Thomas à Villa-Nova, *Filii imitantur parentes ut plurimum, & parentes transfundunt in filios, non solùm proprietates & passiones, & ægritudines corporales, figuram, colorem, formam, motus, habitus, sed & passiones animorum, mores, ingenia, & virtutes: nam & iracundis parentibus iracundos filios, ex mansuetis mansuetos gigni sæpè videmus. Si hoc in aliis*, inquit, *multo magis in Christo*. Cum itaque Maria esset mansuetissima, & vera Mater misericordiæ, non potuit, nisi mansuetissimum, & misericordiæ filium parere. In cujus ostentationem maximum naturæ tempore Imperatoris Augusti contigit miraculum, dum Maria Virgo mundo peperit Christum. Quo, ut narrat Pierius, trans Tiberim oleum terræ erupisse constat, integroque die

Arist. l. de mirabilibus naturæ.

S. Thom. à Villa Nova serm. 3. de Nativitate Virg.

Pier. l. 52.

die abundanter fluxisse, in signum scilicet, in Salvatoris Nativitate, divinâ justitiâ totaliter depressâ, per Mariam fontem misericordiæ (cujus symbolum apud omnes scriptores est oleum) mirabiliter exundasse, ut cantantes attestantur Angelici spiritus: *Pax hominibus bonæ voluntatis*. Et ex hoc liquet, quàm rectè dicat S P.N. Augustinus: *Nativitas Christi potentiam divinitatis honoravit*. Quia per eam inventa est misericordia, per quam Deus, ut cantat Ecclesia, suam potentiam maxime manifestat.

Hic notatu dignum est, quod ab initio mundi usque ad hæc tempora, cùm à S. Scriptura, tum etiam ab ethnicis, celebres habiti sint ii, qui primi artem aliquam novam, vel rem magnæ utilitatis adinvenerunt. Sic laudabilis de Cham fit in Scriptura mentio: quia primus Civitates ædificavit. Noe quoque nomen celebratur, quia vineam mundo utilissimam plantavit. Ceres mirifice culta fuit, & pro Dea à gentilibus adorata, quia frumenti, Minerva olei inventrix exstitit: Jupiter pro Deorum Rege, & capite habitus est: quia artem aratro sulcandi terram, comperit. Rex Agæus plurimum æstimatus est: quia steriles campos, animalium excrementis fertiles reddere docuit agricolas. Athenienses mulieres: quia filandi, & viri texendi artificium repererunt, posteris summopere fuerunt commendabiles. Tandem, quia Cadmus aurum, Mercurius argentum, Cyprus æs, Cyron plumbum, Calibem Cyclopes, Madaclitus architecturam, Dedalus calceos, Vulcanus arma, Janus numismata conficiendi artem, Mars belli usum & armorum, Ericthonius currus, Neptunus naves, Ægyptii picturas & statuas invenerunt, à cæcâ non tantùm multum celebrati sunt gentilitate, sed & quidam, ut Dii adorati.

Quod si ita est: quantis laudibus nos Mariam Virginem non extollemus? Quanta cum devotione, ac animi submissione hanc divinam mulierem non adorabimus? Ipsa enim est, quæ, non ut Cadmus aurum periturum, & terrenum, at cœleste, & incorruptibile, purissimam, inquam Christi Domini nostri humanitatem è visceribus terræ benedictæ ventris sui mundo protulit universo. Hæc est, quæ, non ut Ceres frumentum pro corporis sustentaculo, sed vivificum panem pretiosi corporis Christi pro animæ vita adinvenit. Hæc non belli, ut Mars, sed pacis est auctrix. Unde ei insigne hoc D. Bernardus decantat elogium: *Ave Dei & hominum mediatrix optima, ave totius terrarum orbis consiliatrix efficacissima*. Hæc est, quæ D. Bern.

non equos furiosos, ut Pollux, domuit: sed omnes prorsus tenebrarum potestates deterruit. Non reperit, ut Minerva oleum corpori, sed misericordiam animæ necessariam. Pro quo immenso beneficio in grati animi mnemosynon Mariæ Virginis aræ hoc honorificum Ecclesia Catholica appendit elogium: *Maria Mater misericordiæ*. Nos hujus legitimi filii imitemur cives Bethuliæ, qui, occiso infestissimo hoste Holoferne, gratulabundi victrici Judith occurrerunt, & ob tantum ab ea acceptum favorem, unanimi voce clamarunt: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia* Judith c. *populi nostri, quia fecisti viriliter, ideò eris benedicta* 15. v. 11. *in æternum*. Sic & omni horâ, omni momento, & tempore victrici nostræ Virgini Mariæ benedicamus, ut evadamus severam, quam in ingratos, & Mariæ oblitos S. Bonaventura pronunciat sententiam: *Non solùm in te peccant ô Domina, qui tibi in-* S. Bonav. *juriam irrogant, sed etiam, qui te non rogant*.

Antequam huic discursui coronidem imponam, ausim in Divæ Virginis laudem sanè non exiguam asserere (quamvis id fortasse quàm pluribus videbitur paradoxum) illam non tantùm in terris commorantem, & in cælis triumphantem, sed etiam nondum natam, generi humano mirabiliter fuisse opitulatam. Ad quod evidenter probandum, difficilis satis discutienda occurrit quæstio. Genesis cap. 2. narratur Deum primo paren- Genes. c. 2. ti nostro Adamo jam creato, & in terrestri paradi- v. 17. so collocato, absolutum omnium arborum, atque fructuum dedisse dominium. *Ex ligno paradisi comede*: reservato solo ligno scientiæ boni, & mali: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*. Adjecta in contravenientem severâ mortis sententiâ: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Nunc quæro, quandoquidem Adam divinum hoc mandatum, de fructu vetito sumendo, trangressus sit: quomodò sententia lata à Deo ipso, qui fallere, nec falli potest, cujus omnipotentia insuperabilis est, & cui nullus resistere valet, executioni non sit demandata? Constat enim ex cap. 5. Genesios Adamo vitam longævam fuisse concessam: *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenta triginta; & mortuus est*. Scio S. P N. Augustinum sustinere, divinam contra Adamum prolatam sententiam, suum statim sortitam fuisse effectum: Adam enim jam, ob commissum peccatum, futuræ morti obnoxius, primo etiam ipso transgressionis die, inquit, mori incepit. Quoniam, cùm vita nostra sit continuus, & velox ad mortem cursus, nil nisi continua mors

repu-

reputanda est, juxta Augustinum. Sicque Deus verè dixit, *in quocumque die, &c.* Huic subtili, eximii Ecclesiæ Doctoris interpretationi non contradico, sed eam plurimùm veneror. Pro nunc tamen aliam, magis proposito meo congruam, mox adferam, ubi nodum prætactæ difficultatis parumper dilucidavero.

Huic enim nova non primâ minor accedit quæstio. Indagatur à SS.PP. & sacræ Scripturæ Interpretibus ratio, ob quam Deus (de quo Apostolus testatur, quòd non sit acceptor personarum) in Adamum peccantem exstiterit tam misericors, in Angelos apostatas tam severus: ut his peccantibus non pepercerit, sed, teste Petro Apostolo: *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Secus verò homini delinquenti, veniam & resipiscendi tempus impertitus fuerit. Et ne quispiam fortasse rigorosam Dei in Angelos vindictam in majorem delicti Angelici refunderet gravitatem; perplacet utriusque peccatum justa bilance trutinare.

Epist. 2. Petri cap. 2. v. 4.

Cujus speciei Angeli peccatum exstiterit, clarissimè constat tum ex sacra Scriptura, tum ex SS. PP. qui unanimi consensu asserunt illud fuisse superbiæ. Ezechiel: *Elevatum est cor tuum.* Isaias *conscendam in cælum, supra astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* S.P.N. Augustinus explicans illa verba Joannis cap. 1. *Ille homicida erat ab initio. Suo recusans,* inquit, *esse subditus creatori & suâ per superbiam velut potestate privatâ elatus, & qui per piam subjectionem noluit tenere, quod verè est, affectat per superbiæ elationem simulare quod non est.* Hieronymus: *Qui per superbiam dixerat in cælum ascendam, &c.* Hoc autem peccatum juxta Scholasticos pro objecto suo habuit divinæ naturæ similitudinem, ita Augustinus: *Hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit, perversè non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem.* Eruitur hæc doctrina evidentissime ex verbis jam citatis: *Et ero similis altissimo.*

Ezech. c. 28. v. 2.
Isaiæ 14. v. 13.
Aug. lib. 11. de civ. Dei. c. 13.
Hieron. in c. 14. Isai.
August. in psal. 7.

Ejusdem speciei & objecti fuit primum Adæ peccatum; ipse enim fallacibus tum Evæ: *Quia audivisti vocem uxoris tuæ:* tum serpentis verbis fidem tribuens: *Eritis sicuti dii,* superbiâ intumescens, & amore Deitatis inescatus, divinum præceptum contempsit: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Fructumque ab Eva porrectum deglutivit, & dentes filiorum obstupuerunt, sicque Adæ delictum & inobedientiæ & superbiæ malitiam in se continet: imò & annexam habet gulæ disordinationem, ut docet S. Thomas: *Vidit quod bonum esset lignum ad vescendum.* Nec insuper caret formali furti malitiâ, cum furtum sit ablatio rei alienæ invito Domino, & Adam hujus ligni dominio careret, consequens est, eum ex illo, invito Domino, comedentem, formale furti delictum commisisse, & quòd plurimum Adæ peccatum aggravat, est irreparabile toti humano generi illatum damnum; scilicet peccatum originale, quod in omnes omninò Adæ posteros (saltem de lege communi transfunditur) & mors, cujus originem Adæ fuisse delictum attestatur S.P.N. Augustinus dicens: *Fatendum est primos quidem homines ita fuisse institutos, ut si non peccassent, nullum mortis experirentur genus: sed eosdem primos peccatores morte fuisse mulctatos, ut etiam quidquid eorum stirpe esset exortum, eâdem pœnâ teneretur obnoxium.* Augustinus innititur verbis Apostolicis Rom. cap. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex his omnibus irrefragabilis deducitur hæc consequentia: ergò gravius in Deum peccavit homo, quam Angelus. Remanet itaque in suo vigore præallegata quæstio, quænam tam severæ in Angelos punitionis, & tam promptæ Adæ peccati condonationis assignabilis sit ratio.

Gen. c. 3. v. 5.
D. Th. 2. 2. q. 163. a. 1. ad 2.
Aug. lib. 6. de Gen. ad litteram c. 22.
Ad Rom. c. 5. v. 12.

Nec hæc depromi potest, ut quidam opinati sunt, ex Angelorum status, & hominis diversitate, quia isti merè spirituales, homo verò carne & ossibus constans, sicque magis ad malum amplectendum proclivis & pronus. Insuper Angelis potentius, ut in gratiâ sanctificante persisterent, concessum fuisse à Deo adjutorium, debilius verò homini, ideòque illos gravius homine Deum offendisse. Utrumque enim hoc apertè adversatur S. P. N. Augustini doctrinæ asserentis, in fœlicissimo primo hominis statu nullam exstitisse inter partes inferiores & superiores luctam, aut rebellionem, nullam concupiscentiam, nullam in malum inclinationem. Unde de lapsu & Adami transgressione miratus Augustinus ait: *Hoc tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoriâ retinendum: ubi præsertim nondum cupiditas resistebat, quod de pœnâ transgressionis postea subsequutum est.* Et lib. de corept. & gratiâ expressè docet, adjutorium Angelorum, & hominum in statu naturæ integræ in efficaciâ & potentiâ omninò fuisse æquale, sed de hâc materiâ latius Theologi. Ego itaque omissis memoratis, ad quæstionem responsionibus, aliam producam ex pulchra aliqua historiola.

August. de civit. Dei l. 12. c. 19.
De corrept. & gratia c. 11. & 12.

Narrant

Narrant Historici, quodam tempore Demetrium infestissimum civium Rhodanorum hostem seriò deliberasse civitatem eorum, quamvis fortissimam, & undequaque altis muris, & latis fossis apprimè præmunitam, dominio suo subjicere. Ut finem optatum facilius assequeretur, coacta ingenti militum copia eam arctè cinxit: quam, continuis præliis diu noctuque cives lassescens, ad tantam redegit necessitatem, ut de reddenda jam urbe ab obsessis deliberaretur: Demetrius tamen hujus consilii ignarus, & pertæsus tam longæ obsidionis tædio, urbem communibus totius exercitus viribus aggredi, vique muros perfringere statuit. Ad quod præparatis munimentis necessariis & arietibus, jam jam ultimam Rhodanis minabatur ruinam. Hoc bellico apparatu conspecto, cives veriti nimiam Demetrii Regis potentiam, de congruo avertendi communem cladem remedio sedulò consultabant. Dumque viribus sese impares & in summâ annonæ & militum constitutos invenirent penuriâ: stratagemate uti decreverunt.

Erat in civitate Rhodana celeberrima quædam pictura, in quâ famosissimus pictor Protogo imaginem Bacchi raro artificio depinxerat. In hac imagine delineanda, ferunt auctores, septem integros annos Protoginem insumpsisse, & in illis in cibo & potu maximam parsimoniam servasse, ut ita ingenium & spiritum ad illam artificiosè effingendam, perfectius possideret. Dicuntur eam quater vivis coloribus exornasse, ne temporum injuria, & vetustate colorem, aut splendorem amitteret. Fuit autem prædicta pictura tam stupendo exornata artificio, ut à Romanis multo post tempore Romam portata, in perpetuam pacis initæ inter Demetrium & Rhodanos memoriam, templo pacis sit consecrata. Hanc, dum ibidem vidit celeberrimus pictor Appelles, exclamavit: *O eximium opus! mira res; summus labor; artificium maximum, sed deest illi gratia, quam si habuisset, procul dubio foret immortalis.* Hanc noverant à Rege Demetrio passionatè adamari, ideòque illam urbis mœnibus affigi jusserunt, dicentes: *Quis scit an ob imaginem Demetrius non parcet urbi?* Quod & ipsis ad votum successit. Etenim cum Demetrius suos ad viriliter pugnandum esset adhortatus, acie optimè instructâ, ad urbis mœnia funditus dejicienda furibundus perrexit. At ecce, ubi pulcherrimam vicinus conspexit in muris pendentem Bacchi Protoginis imaginem, omni ira depositâ, furentem militem compescuit, & à pugnâ revocavit, clamans altâ voce: *Siste miles, parcatur urbi, ne pereat imago.*

Haud dissimiliter videtur meo judicio (salvo meliore) post divini mandati transgressionem accidisse protoplasti Adamo. Huic graviter, ob tot supra jam tacta scelera offensus supremus ille Rex Demetrius, Deus inquam: in eum crudeliter sævire statuit, & deambulans post meridiem divinâ voce ad justitiæ tribunal citat transgressorem, jam jam æternâ morte plectendum: *Adam ubi es?* *Genes. c. 3. v. 9.* Ac si diceret, accede scelerate, compareas ingrate, ego te de limo terræ plasmavi, & proprio flatu inspiravi tibi spiraculum vitæ, in deliciosis paradisi campis te constitui, tradidique in manus tuas omnium lignorum, ac arborum perfectum dominium atque possessionem: unico dumtaxat excepto ligno, scilicet scientiæ boni & mali: & illud ausus es nefaria manu attingere, & de fructu ejus deglutire? Hanc morte culpam dilues æterna juxta prolatam sententiam: *In quocumque die commederis ex eo, morte morieris.* Quid aget miser Adam tanta anxietate percitus? Abscondit se, & faciem avertit, & tergum irato Deo monstrat: ac si pro obtinenda delicti venia, ac remissione, clamaret: ô benigne Deus! eleva obsecro oculos misericordiæ tuæ, siste paulisper justitiæ tuæ ardorem, & respice quàm pulchram in lumbis meis portem imaginem, Mariam scilicet dilectam genitricem tuam, hanc hanc destrues Domine, si destruas Adamum. Eja ergo parce generi humano, ne pereat imago, & ecce stupendum: ob unum præexcellentissimæ hujus Virginis intuitum mansuefactus est in Adamum excandescens Deus, & justitiam cohibens, veniam pronunciat: clamans ut alter Demetrius, *justitia siste, parcatur Adamo totique generi humano, ne pereat Maria:* & sic æternum cum homine init amicitiæ fœdus. Et hæc est genuina ratio, cur Dominus Deus in reos Angelos exstiterit tam severus judex, & in Adamum transgressorem tam misericors Salvator. Sed hoc tam audacter asserere non præsumerem, nisi authoritate S. Bernardini fulcirer, qui pulchrè & acutè dictum meum corroborat his verbis: *Divina ultio quæ personarum acceptionem ignorat, sicut nec culpam Angelicam, sic* *S. Bern. serm. 61.* *neque humanam dimisisset naturam, sed propter præcipuam reverentiam, & singularissimam dilectionem, quam habebat ad Virginem præservavit. Quia hæc puella benedicta in lumbis erat Adæ secundum seminalem rationem indulsit, ergo misericors Deus primis parentibus, neque eos annihilavit, quia sic non fuisset exorta Beata Virgo: nec per consequens* Chri-

Christus. Ergo propter istam nobilem creaturam Deus salvavit parentes primos de primâ eorum transgressione, Noe à diluvio inundante, Iudaicum populum de Ægypto & impia Pharaonis manu. Et infra: *Et ut omnia brevi sermone comprehendam, omnes liberationes & indulgentias factas in Veteri Testamento, non ambigo Deum fecisse solum propter hujus benedicta puella reverentiam & amorem. quo eam Deus æterna sua prædestinatione cunctis operibus suis ab æterno præordinavit.* Concludo itaque per legitimam consequentiam; ergo hæc admirabilis Virgo Maria etiam nondum nata, nec concepta, divinis misericordiæ suæ radiis mundo mirabiliter effulsit.

Ex dictis mihi apparet Deum Adamum eo modo tractasse quo Rex Salomon Sacerdotem Abiathar 3. Regum cap. 2. Hic graviter in Adoniam, Joab, & Abiathar, ut ibidem narratur, excandescens, Adoniam & Joab interfici jussit: at Abiathar indemnem in Anathoth dimisit. O factum stupendum! quod nullatenus suo caret mysterio. Cur enim dic obsecro ô sapientissime Rex in fratrem reum tam severè sævis, & scelerato servo tam benignè parcis? Audite Salomonis ad Abiathar verba: *equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam* & clementiæ suæ subnectit rationem: *Quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo.* Ecce sicuti Abiathar quia Veteris Testamenti arcam portaverat, diram necem evasit, sic & Adæ quia in lumbis suis longe excellentiorem Novi Testamenti arcam Virginem Mariam gestabat, Deus misericorditer pepercit. Clamabat Deus, ejus offensa irritatus, Adam Adam *equidem vir mortis es:* tu enim audacter transgressus es divinum præceptum, in cujus pœnam decreta mors est: *In quocumque die, &c sed hodie non te interficiam quia portasti arcam Domini:* scilicet sanctissimam meam genitricem. Ob hujus enim arcæ reverentiam vindicativam manum retrahere cogor.

3. Reg. c. 2. v. 26.

Id idem mihi contigisse videtur Patriarchæ Noe Gen. cap. 5. ubi narratur quod Deus summè offensus generi humano ob fœdæ luxuriæ aliarumque specierum enormia peccata: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* De tota Adami progenie penitus delenda deliberat. Et tandem integritus sententiam pronuncians exclamat: *Delebo hominem quem creavi à facie terræ ab homine usque ad animantia.* Sed nonne hoc severum & universale prorsus judicium Noe cum suis evasit? Indubiè: *Noe invenit gratiam coram Domino.* At quomodo evasit? Certè non nisi per arcam id est Mariam, ut testatur Bernardinus supra citatus. Ita & modo inquit doctissimus Novarrinus per hanc plurimi peccatores urentes æternæ gehennæ flammas evadunt. *Multi in infernum,* inquit, *nunc essent trusi, nisi hanc portassent arcam in corpore suo, nisi in hunc sacrum locum se reciperent, qui eis est immunitatis causa ut olim civitas refugii.* Et sanè quid hoc mirum? Etenim si in tanto illa in veteri lege inanimata arca habita sit respectu: quis honor, quæ magnificentia, quæ gloria & potentia vivæ arcæ nostræ Mariæ, quæ vera est fœderis arca, & divinæ misericordiæ habitaculum, à Deo non attribuetur? Siquidem, inquit, Ambrosius: *Arca illa intrinsecus portabat Testamenti tabulas: Maria autem ipsius Testamenti gestabat hæredem. Illa intra semetipsam legem: hæc Evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc verbum. Verumtamen arca intus forisque auri nitore radiabat: sed & sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat illa terreno, illa cælesti.*

Gen. c. 6. v. 5. Vers. 7. Vers. 9. Novarrin. Ambr. ser. 6. in fine.

Ad hanc igitur arcam vos invito ô peccatores, ad hanc properate & cum Patriarcha Noe confugite, cujuscumque sceleris rei ut horrendo divinæ justitiæ diluvio eripiamini. Audeo enim dicere, si Mariæ devoti extiteritis ac obsequiosi, cogetur supremus ille & justus Judex ad vos, ut alter Salomon ad Abiathar clamare, *equidem viri mortis estis, sed quia portastis arcam Domini Mariam, non vos interficiam,* nec morte plectam æterna: sed misericors & benignus concedam locum & tempus pœnitentiæ. Et verissimè quoties ô sacrilege abominandis & execrandis tuis sacrilegiis Deus noster ad iram provocatus. Fulmen æviternæ damnationis in te vibrare non cogitat? Quoties ô avare, ô vindicative, ô adulter, divina justitia in scelera vestra invigilans iis finem imponere non minatur? At ecce quia quandoque portastis arcam Domini: quia in Mariæ honorem parvulam egenti elargiti estis Eleemosynam: quia sæpè sæpiùs ad ejus gloriam incruentum & sacrosanctum illud Filii sui corporis & sanguinis sacrificium offerri jussistis: quia humiles ad eam indies fudistis preces: imbellis fit Dei furor, nec quidquam contra Matris devotos potest attentare. Hoc disertè attestatur S. Bonaventura: *Per mansuetissimam*

Bonav. in speculo Virginis. *tissimam Mariam*, inquit, *mansuescit Deus ne de peccatore morte æterna ulciscatur.* De quo & ipsamet Virgo gloriatur, *qui invenerit me inveniet vitam & hauriet salutem à Domino.* Optimè itaque gloriosæ Virginis Mariæ coronæ pretiosa hæc margarita inseritur *Mater misericordiæ.* Prov. c. 8. v. 35.

CONCIO SECUNDA.

Super idem Thema.

Maria Mater misericordiæ.

ARGUMENTUM.

Rursus variis rationibus & figuris demonstratur magnifica Virginis in peccatores benignitas ac clementia.

DUm immensum ampliùs extensis velis misericordiæ Virginis excogitabam ingredi mare, in quo certum mihi verebar futurum naufragium: anchoram fiduciæ reperi, tum in S. Scriptura, tum in SS.PP. ad quos antequam accedam, placet illam arripere registratam 3. Reg. cap. 3. Ubi de lite satis dubia durarum meretricum, ob mortem filii altercantium, tractatur. Quandoquidem enim rixam illam, quam hic narrat Spiritus sanctus ex D. Bernardo ad propositum meum adeò intellexerim mysteriosam: rudi relicto litteralis sensus cortice, suavem mystici medullam assequi conabor: comparans harum impudicarum mulierum litem illi, quæ inter divina attributa misericordiam & justitiam, ob spiritualem Adami, & in ipso totius humani generis mortem, per primam mandati Dei prævaricationem causatam, exorta est: hac in sanctissimæ Trinitatis tribunali pro offensæ vindicta, illa pro ejusdem condonatione strenuè militante.

3. Reg. 3. cap. 3.

Misericordia in sui favorem in medium adferebat, hoc præcipuum inter cætera divinæ essentiæ attributum maximeque gloriosum esse, misereri semper & parcere juxta illud Apostoli: *Omnes peccaverunt & egent gloriâ Dei:* id est, misericordia & benignitate. E contra instans justitia pro causa sua allegabat in Dei laudem deprædicari Proverbiorum cap. 2. *Servans semitas justitiæ*, reddens scilicet unicuique secundùm opera ejus. Ideoque Davidem confiteri *justitia plena est dextera tua.* Misericordia replicabat eum amabili quam plurimum gaudere nomine, *pater misericordiarum & Deus totius consolationis.* Ad hoc justitia, sed & nomine gaudet justi: *Deus justus & hoc nomen illi quo vocabatur.* Rursus, instat misericordia: *Misericors & miserator Dominus.* Justitia ad Deum conversa hanc refellit rationem, dicens: *Et tu justus es in omnibus:* de te Propheta David ait, *judicabit populos in justitia*, itaque Adam meus est, non misericordiæ. Misericordia undique à justitia mire sese coarctari cernens: pro Achille & ratione peremptoria allegat: fateor est justus Dominus, sed magis ad miserandum pronus, *misericordia* enim *superexaltat judicium.*

Ad Rom. c. 3. v. 23. Prov. c. 2. v. 8. 2. ad Cor. c. 1. v. 13. Psal. 110. v. 4. Esdr. 2. c. 9. v. 33. Psal. 9. v. 9. Epist. Iac. c. 2. v. 13.

Ad hanc litem dirimendam à sanctissima Trinitate judex eligitur verbum divinum infinita sapientia Patris. Ille prudentissimus Salomon è regio cælesti suo tabernaculo, id est, è sinu Patris ad thronum majestatis suæ, nempe ad benedictum Mariæ Virginis uterum judicaturus descendit: *Thronus ejus sicut Sol.* In hac judiciali gloriæ sede quiescens favorabilem contra justitiam pro misericordia pronunciat sententiam, juxta Davidis vaticinium: *Sedisti super thronum qui judicant justitiam*, & addicit reum Adamum ac totum genus humanum misericordiæ, concluditque ei esse parcendum, æquum & justum arbitrans, ut *eum quem*, inquit Cyprianus, *ex misericordia creaverat, ex misericordia redimeret.* O dignissimum tribunal Maria! ô sanctissimum verbi æterni tabernaculum! in quo exaltata est misericordia, in quo pacifi-

Psal. 88. v. 38. Psal. 9. v. 5. Cyprian.

pacificata est, ut olim prædixerat David justitia, *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Meritò ergo de te, ô benedicta cantat Ecclesia: *Mater misericordiæ.* Quod enco-mium quam rectè ei conveniat, ut manifestè o-stendam, per illam Spiritus sancti opem implore-mus. Ave

Psal. 84. v. 11.

Maria Mater misericordiæ.

SAnctus Anselmus maturè considerans optatam illam à multis anteactis sæculis pacem, inter di-vina attributa misericordiam & justitiam in Ma-riæ utero medio Incarnationis mysterio conclu-sam, utrumque attributum triumphasse asserit. *Quid misericordius,* inquit, *intelligi potest, quàm ut peccatori & æternis tormentis deputato, & unde se redimeret non habenti, Pater dicat: accipe unigeni-tum meum, & da pro te, ipsius Filius, accipe me, & redime te. Quid autem justius, quam ut ille, cui da-tur omne pretium majus omni debito, dimittat omne debitum?* Attamen in hoc fœdere maximè supra justitiam elata est misericordia juxta Psalmistæ prognosticum *orietur in diebus ejus,* scilicet Mariæ, *justitia & abundantia pacis.*

Anselm.

Psal. 71. v. 7.

Ut autem clarius cunctis appareat hujus pacis & misericordiæ abundantiæ Mariam unicam ex-titisse causam, Salomonemque illum supremum in illius benedicto ventre tamquam in throno, mi-sericordiæ adjudicasse palmam: lubet curiosè cum Philippo Abbate indagare ex qua materia thronus Regis Salomonis fuerit confectus. Scriptura id clarissimè indicat 3. Regum cap. 10. *Fecit Rex Sa-lomon thronum ex ebore grandem.* Nunc inquiro, cur thronum suum Salomon non ex argento, aut auro artificiosè curarit elaborari? Cujus erat ma-ximè affluens ut patet ex Scriptura: *Fecit Rex Salo-mon ducenta scuta de auro purissimo: sexcentos au-ri siclos dedit in laminas scuti unius.*

3. Reg. c. 10. v. 16.

Pro hujus quæsiti satisfactione opere pretium est advertere Spiritum sanctum sponsam suam di-lectam Mariam Virginem sæpè sæpiùs ebori assi-milare. Cant. cap. 7. *Collum tuum sicut turris ebur-nea.* Et Cant. 5. *Venter ejus eburneus.* Et iterum de Maria cantat Ecclesia, *turris eburnea:* at cur quæso Spiritus sanctus hac utitur phrasi, dum eximias hujus Virginis depromere conatur prærogativas? Nonne congruentius diceret venter ejus aureus? Ipsa enim est nobilissima illa aurifodina in cujus visceribus inæstimabile & purissimum crevit au-rum, scilicet intemerata divini Verbi humanitas, cujus pretio redemptus est orbis universus. Sanè non ambigo, quin hic altum lateat mysterium, au-susque sum asserere vocabulum eboris, Mariæ Virginis celsitudinem in se complecti, ut ex qui-busdam naturæ ejus proprietatibus mox exami-nandis constabit.

Cant. c. 7. v. 4.
Cant. 5. v. 14.

Avicenna mirabilem annotat piscatorum astu-tiam ad aurum è mari expiscandum, *prudentes,* in-quit, *inquisitores auri quærunt illud scutellâ ebur-neâ subter aquas, quia aurum naturaliter attrahi-tur ab ebore.* Ut testatur Plinius de naturalium Hi-storia, sicut & ferrum à magnete. Numquid vir-tutem hanc eboris clarissimè conspicaris lector in Mariâ? illa enim pretiosum aurum divinam mi-sericordiam, peccatorum diluvio submersam, è castissimis uteri sui penetralibus mundo produ-xit: ac mirabili quadam virtute Verbum divinum ut ebur è sinu æterni patris ad angustum virginale claustrum attraxit. De quo Spiritus sanctus di-vam Virginem volens extollere optimè ait, *venter ejus eburneus:* tantæ utpotè virtutis, ut Deum ip-sum invincibilem de cælo ad terram descendere suaviter coegerit.

Avicenna.
Plinius.

O terribilis Mariæ potentia! hanc dum per-pendo cogor exclamare: ô cæca & fabulosa genti-litas! desine extollere pulcherrimarum puella-rum Arginæ & Danaen potentiam, quarum amo-re supremus Deorum Jupiter est inescatus. Sileant Græci, nec ampliùs exaltent Helenam quæ sua pulchritudine universam contra Trojanos com-movit Græciam. Desistant veteres encomiis cele-brare Polyenam, quæ fortissimum Achillem vali-dissimis eximiæ venustatis telis devicit. Taceant cuncti de Lavineâ Latini Regis filia, cujus amore captus est Turnus. Cedant hæ inquam palmam Mariæ, quæ rara & incomprehensibili virtute, ut verum ebur nitidissimo Virginitatis candore om-nipotentem Deum cælo extraxit & virginali clau-stro inclusit, totiusque naturæ ordinem invertit. O Maria tu verè efficacissimum es ebur, cujus virtuti ipsamet succumbit omnipotentia. Benè itaque de te Spiritus sanctus, *venter ejus ebur-neus.*

Nunc ut id clariùs constet, ad alteram non mi-nùs stupendam ebori à natura inditam propere-mus proprietatem, eamque Mariæ Virgini pro-priam ostendamus, *ebur,* inquit Philippus Abbas *tam mirabilis naturæ & virtutis est, ut si pannus li-neus super ipsum mittatur, & ipsi panno lineo carbo vivus desuper ponatur, suâ virtute ebur pannũ qui illi adhæret, illæsum custodiat, ne à superposito carbone*

vivo cremari possit. Verissimum herclè ebur est Maria, cujus virtute quam perfectissimè pollet Virgo potentissima Deus noster, qui *ignis consumens est,* olim totus ignitus & intensissimo furoris calore incensus peccatores ut stipulam consumebat, teste Davide. *Ascendit fumus in irâ ejus & ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.*
Psalm. 17. vers. 9. At ut suprà ex S. Antonino commemoravi, ipse in utero Matris intrans, *totus mansuetus factus est & suavis,* omnisque in fumum abiit furor. Venter enim Mariæ eburneus est, ideoque in eo excitatæ hominum sceleribus urentes veræ justitiæ flammæ facilè extinguuntur. Huic conceptui concinit Virginem Mariam alloquens non tantum S. Germanus: *Tu cum maternam habeas apud filium tuum potentiam, nos qui sumus condemnati, tuis intercessionibus æterno liberas supplicio.*
S. Germ. de zona Virg.

De hoc throno Salomonis loquens B. Petr. Dami. ait: *Fecit thronum uterum scilicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa Majestas. Hanc sessionem Filii probavit & cognovit Pater, ipso dicente, ut cognovisti sessionem meam, & thronus tuus Deus in sæculum sæculi, & thronus iste sicut sol in conspectu tuo. Et vox de throno exivit, dicens: laudem dicite Deo nostro omnes Sancti ejus & ex throno,* inquit, *hoc est, ex Virgine, laus Angelorum prorumpit & hominum: quia dum hic restituitur, illa resarcitur. Vnde uterq; debet gratiarum devotionem; felix thronus, in quo sedit dominator Dominus, in quo & per quem non solum omnes, sed omnia renovantur.* Unde post hanc unigeniti Filii Dei sessionem ait Spiritus sanctus *de præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.* Id est, misericordes & benignos oculos conjecit, captâ in eburneo Mariæ Matris Misericordiæ solio quiete, de quo vaticinatus erat
Isai. ca. 16. vers. 5. Propheta Isaias: *Præparabitur in misericordia* (id est in Mariâ) *solium* scilicet *agno dominatori terræ.* Bene itaque de Maria cantat Ecclesia Mater Misericordiæ: sed & idipsum disertè confirmat S. Anastasius tractans de mysteriosâ Isaiæ Prophetæ visione c. 66. *Volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari.* Per hunc enim ignitum carbonem mysticè intelligit verbum Incarnatum, per forcipem verò Mariam, *forceps autem Christi per duas pinnulas eum tenens, est intemerata ejus Mater.* Sed nonne videtur plurimùm claudicare hæc Anastasii comparatio? minimè sanè. Quia sicut accensus carbo absq; manuum læsione non nisi forcipe arripi & contrectari potest, sic Deus igne furoris sui inflammatus, à nullo nisi à diva Maria cohiberi ac compesci potuit: utpotè quæ ut candidum ebur virtute planè inexplicabili omnes divinæ iræ flammas extinguit. *Nemo,* inquit S. Bernardus, *O domina tam idoneus est, ut gladio manum pro nobis objiciat, ut tu Dei amantissima.*
vers. 1. Isai. ca. 16. vers. 6. Anast. in hac verba.
Bern. ser. 3. de Virg.

Ex dictis deducitur ad quæsitum responsio. Thronus Salomonis secundùm Sacræ Scripturæ Interpretes figura erat Mariæ Virginis, quæ sublimis fuit thronus pacifici Salomonis Christi Domini: quia sicut isti throno nulli nisi Regi Salomoni insidere permissum erat, ita eburneum castissimi Beatæ Virginis uteri thronum solus verus Salomon Sapientia Dei patris sibi vindicavit. Signatè verò appellatur *Mariæ* uterus eburneus: quia sicut ebur licet à fætidissimo elephante producatur, attamen ipsum undequaque intrinsecus & extrinsecus candidissimum est: sic Maria, licet à parentibus peccati originalis maculâ infectis oriatur, hujus tamen spurcitiæ penitus immunis exstitit. Sed maximè vocatur eburneus, quia ejus virtute ignis divinæ excandescentiæ debebat suffocari & in hoc utero à sapientissimo Salomone verbo Incarnato justitia dijudicari: *Sedisti super thronum qui judicas justitiam:* palmaque victoriæ misericordiæ offerri: juxta præallegatum vaticinium *in diebus ejus orietur abundantia pacis.* Pro quâ obtinendâ Prophetæ & Patriarchæ ex intimis cordis penetralibus gemitus gemitibus, lachrymas lachrymis intermiscentes, clamabant, *rorate cæli desuper & nubes pluant justum.*
Isai. c. 45. vers. 8.

Deplorabant enim defuncti Patres miserum mundi statum, experti severam nimium ob minima peccata Dei manum, quem qui placaret, nec inveniebatur, ut testatur Propheta Daniel: *Non est in tempore hoc Princeps & Dux & Propheta, ut possimus invenire misericordiam tuam.* Sola justitia tribunali Sanctissimæ Trinitatis prædominabatur. Deus erat ultionum: misericordia cælo exul instantibus precibus mundo desiderabatur. Sed cessent modò gemitus, cessent planctus & lachrymæ, exulent querimonia. Desistite clamare ô Prophetæ, *non est in tempore hoc &c.* Ecce Maria Virgo, quæ & ideò aurora nuncupatur, rorem illum cælestem Christum ad quem magno cum desiderio anhelabant Patres, in mundum roravit. Ipsa est Princeps, Dux & Prophetissa nostra, *ut possimus invenire misericordiam ejus.* Ipsa est: quæ cælos disrupit ac de suis visceribus genuit Salvatorem mundi, non ampliùs vindicativum, sed totum misericordem. Ipsa est: quæ instar excellentissimi eboris ignem furoris ejus compescuit. Unde si quis petat
Dan. ca. 3. vers. 4.

petat cum *Moyse*, ô bone Deus, quis es? non respondebit ut quondam *Moysi ego sum qui sum*: aut ut Joanni *ego sum Alpha & Omega*: sed ut Sancto Paulo *ego sum Iesus*, id est, Salvator. Justitia nunc recedat quæ tot jã sæculis in peccatores acriter sævijt. Succedat misericordia & dominetur usq; in consummationẽ sæculi, *ecce ego vobiscũ sum usq; ad consummationẽ sæculi*. Ecce ad æstuosã in vindictã justitiæ sitim extinguendã, ipse adhuc tenellus in circumcisione pretiosi sanguinis mei obtuli potum: ut mihi, sicut alter Eleazarus acquiram nomen in æternum *Iesu*, hoc est, Salvatoris populi.

Exod. c. 3. vers. 14. — *Matt. cap. 28. v. 20.* — *1 Machab. c. 6. v. 44.*

Sed hic obiter ad nostrum propositum curiosè indagandum est: quis Christo nomen Jesu imposuerit, quisque tenerum infantem octavo die circumciderit. De primo certò constat in Sacrâ Scripturâ, quæ fuisse ipsissimam Mariam Matrem attestatur: *& vocabis nomen ejus Iesum*; de secundo dubitant SS. PP. S. Bernardus sustinet etiam ipsam Virginem ex delicatissimo filii sui corpusculo pro justitiæ plenã satisfactione (mirè reluctante materno affectu) sanguinem primum extraxisse: tuncque impletum esse vaticinium Simeonis, *tuam ipsius animam gladius pertransibit*. *Virgo*, inquit Bernardus, *Christum genuit, lactavit, & octavo die circumcidit*.

Bern. ser. de circumcisione.

Quis hic non obstupescat virilem ac imperterritum Mariæ animum? dic ô piissima Domina, quomodo tanta & talis, tanti & talis filii Mater eò processisti temeritatis, ut tenellam illius carnem è tuo sanguine procreatam cultro ausa fueris attingere, & cruore unigeniti Filii hominis simul & Dei proprias manus incruentare? quæ quæso tam crudelis actus potest reddi ratio? Agar cernenti filium suum Ismaëlem præ siti jam morti vicinum, præ pietate & amore omnia viscera commota sunt: Resphe diu noctuq; ex filiorum commiseratione vigilias egit, ut contra quemcumque cadavera tutaretur, & tu tam pia Mater, tam pio Filio obsequiũ hoc cruentum præstas? quid ad hoc ô Domina? audi quid respondeat: ut *magnificaret anima mea Dominum & exultaret spiritus meus in Deo salutari meo*: Hebraicus textus habet, *in Deo Iesu meo*, ut mundo verum Salvatorem & Redemptorem in quo omnis filii mei gloria, omnis magnificentia & majestas elucet, apertè ostendam; & ut sic aperto misericordiæ fonte; tamquam ductrix te ô peccator ad divinum hunc pietatis succum depromendum deducam. Quo promerear mihi quoque nomen in æternum, *Mater Misericordiæ*.

Luc. 1. v. 47.

O mirus Mariæ erga genus humanum amor! qui tantus fuit, ut ipsa unigenito dilecto filio suo dura, rebelli verò homini exstiterit pia. Unde Mariam cùm tacitâ mente contemplor, tenelli pueri Jesu imperterrito animo sanguinem fundentem: ingenuè cogor fateri illius constantiam Alphonsi Hispaniæ Regis fortitudinem longè antecelluisse. De hoc commemorat Joannes Marianus lib. 5. de rebus Hispan. Quod ipse quodam tempore a capitali suo hoste Marcoccio Maurorum Rege in fortissimâ urbe Tartelia (aut ut alii volunt Carteria) arctissimè fuerit conclusus. Durante obsidione nescio quo fato, unigenitus Alphonsi filius ad Barbarorũ manus captivus devenit. Hunc Marcoccius funibus ligatũ, catenis onustũ ante civitatis portã paternis oculis exponi jussit, misso ad eum tubicine, qui Regis sui prætentionẽ his verbis illi aperiret. *Aut urbe trades, aut filiũ perdes*. Ut sic tum minis, tum lugubri captivi filii spectaculo miserum patrẽ ad compassionem commoveret, ejusq; animũ ad urbis deditionẽ pertraheret. Cogitate quomodo in tantâ angustia regale illud cor Alphonsi trepidabat: ab una parte civitatis ruinæ jam jam imminentis, subditorumq; interitus, ab altera unigeniti mortis commiserentis. Heu quo miser se vertet pater? attendite dũ lachrymoso vultu cives mœstos & filiũ gladio hostili in propria præsentia mox intuetur necandũ, naturam patriæ amore superante, exclamavit: *Moriatur filius, cives vivant, retineatur fides, natura in me extinguatur*. Quo dicto, pater appensum gladium hosti è muris projecit dicens: *Meo gladio meum filium jugulate*.

Longè rursus repeto, Mariam Virginẽ Alphonsum Regem erga suos benevolum, & in filium severum superasse: hic namq; mortalem, terrenum, creaturam ex subditorum amore atque compassione morti invitus, minis Marcoccii spretis, *aut urbem trades, aut filium perdes* concessit: ipsa verò immortalem, cælestem ac creatorem universi ex amore generis humani spontaneè atque hilariter justitiæ divinæ minanti, & clamanti, *aut hominem, aut filium perdes*: illius miserta, hujus quasi oblita annuit, unigenitumque tradit, in hæc verba corde erumpens: *moriatur filius, homo vivat: natura in me extinguatur*.

Quem stupendum erga genus humanũ Maria ut patefaceret amorem, non justitiæ, ut Alphonsus Marcoccio gladium obtulit: verum ipsamet cultellum arripuit, quo initium filii passionis, ejus sanguinem fundens, luculenter dedit. At quorsum? constanter respondet, ut promerear mihi quoque nomen in æternum: *Mater Misericordiæ*.

Et sanè quis ad hoc attendens, tam ingratus, qui Mariæ hoc elogium denegabit? quis in tantum in clarissima luce cæcutiens qui Mariam album pacis & concordiæ vexillum, id est, candidam Christi humanitatem in mundo plantasse, eumque per illam cum patre æterno pacificasse non videat? *Complacuit*, inquit Apostolus, *per eum reconciliare omnia in ipso pacificans sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.*

Ad Colos. 10. v. 20.

Unde jure meritò Mariam comparare non vereor cuidam avi maritimæ nomine Alcyoni, quæ ut ex experientia docet Plinius, ex naturæ suæ instinctu compartem ad maris littus suo cantu provocat: semperque prope illud nidificet & ova foveat, pro quorum excubatione spatium quatuordecim indiget dierum. Illa tantæ est virtutis, ut omnes à mari abigat tempestates, & toto tempore quo ovorum exclusioni intendit, illud pacatum & tranquillum reddit. Hinc à priscis authoribus pro pacis Hieroglyphico acceptabatur. Unde Plautus dum innuere vellet forum litibus vacuum esse, ajebat: *Alcyones sunt in foro.*

Plin. lib. 10 cap. 32.

Hoc totum quod diximus apprimè confirmat D. Ambrosius in examerone, cujus verba præcisè hic in majorem fidem subnecto. *Alcyon est avis maritima, quæ in littoribus fœtus suos edere solet, ita ut in arenis ova deponat medio ferè Hyemis: nam id temporis jovendi habet deputatum partubus, quando maximè insurgit mare, littoribus vehementiùs fluctus eliditur, quo magis repentinæ placiditatis ratio, & solemnitatis avis hujus eluceret gratia: nam quum undosum fuerit mare, positis ovis subitò mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ flatusque aurarum quiescunt ac placidum ventis stat mare, donec ova fovet Alcyon sua. Septem dies fœtus sunt, quibus decursis, educit pullos, illicò septem alios adjungit dies quibus enutriat partus suos: donec incipiant adolescere. Tantum autem beneficium hæc avicula divinitus sibi datum habet, ut suos quatuordecim nautici præsumptæ serenitatis observent dies, quos & Alcyonidas vocant, quibus nullos motus procellosæ tempestatis horrescant:* hactenus Ambrosius. Atque hinc poëtæ fabulandi ansam arripuerunt, dixeruntque Alcyonem filiam Æoli fuisse, qui in gratiam filiæ, dum illa in littore ova fovet, ventorum impetum compescit. Verè Maria Virgo est avis Alcyon, ipsa enim suavissimo & gratissimo suo cantu, de quo sponsus, *sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Dum scilicet exclamavit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Sponsum suum verbum Patris è cælesti Palatio ad littus maris, hoc est, ad benedictum uterum suum (Maria enim mare interpretatur) invitavit & suaviter attraxit *& verbum caro factum est.* Tuncque Virtute hujus Alcyonis cæli gloriâ impleti sunt, & omni Dei furentis tempestate depulsa, quiete & pace universus gavisus est orbis. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

D. Ambr.

Cant. cap. 2. vers. 14.

Ioan. cap. 1. vers. 14.

Luc. 2. v. 14.

Quod nec de externâ dumtaxat, sed quam maximè de interna animi pace & quiete intelligendum esse divinè asserit Bernardus: *Si ingenti peccatorum tuorum multitudine turbaris, Mariam invoca. Si conscientiæ turpitudine confunderis, Dei Matrem accede, & serenaberis. Si judicis horror te timidum reddit, Deiparam invoca, & habebis fiduciam. Hæc sit semper in corde tuo, hanc ama. Sic tibi erit fidelissimus ductor ad salutis portum.*

Bern ser. de Assump.

Unde si Romani summopere Deum Februam cùm, quia Martis mater erat, cujus potentia & auxilio Imperio suo cunctos populos subjugarant, tum quia omnium delictorum stultè credebatur fugatrix, teste Plinio: *Vulgata*, inquit, *priscis temporibus opinio obtinuit, quod per Februam malefactorum conscientiæ purgarentur peccata.* Cui concinit Ovidius.

Plinius.

Februa Romani dixere piamina patris
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.

Ovid. l. 2. Fast.

Quanta igitur in Veneratione Deam nostram Mariam nos Christiani non habebimus? quæ non tantum Martis mater est, cujus potentia totus devictus est infernus: sed & pacis & misericordiæ Mater, cujus piis precibus peccatorum omnium maculæ absterguntur & ira Dei placatur ut declarat S. Brigitta loquens in persona Christi: *nisi Matris meæ preces intervenirent, non esset spes misericordiæ.* Ad hujus ferventem Deæ cultum, ô Christiani! nos torpentes aureis his verbis excitat S. P. N. Augustinus: *Veneremur salutis auctricem, quæ dum auctorem suum concepit de cælo, nobis Redemptorem præbuit in terra.*

Brigitta l. 6. revel. 8. 26.

Augustin.

Mariam insuper quam appositè assimilari huic avi, quam Pierius Alcedonem appellat, constat ex mirabili nidi hujus constructione. *Est verò nidus*, inquit Pierius *ille miro artificio ex pisciculorum ossiculis & spinulis contextus, ad gladii cujuslibet ictus immunis*, ita ut miro modo ista avicula pullos suos contra hostes tueatur. Talis sanè nidus est Beata Virgo; quæ ad se confugientes peccatores, contra gladium furoris Dei, omniumque hostium strenue defendit, & protegit: *irascatur dæmon*, inquit

Pier. l. 25.

Bern. ser. 3. in Cant.

quit Bernardus; *imperversetur in nos Deus; Maria ab omnibus intercessione nos liberat, & defendit:* unde & ab Ecclesia vocatur refugium peccatorum.

In majorem Mariæ tam eximiæ mundi pacificatricis gloriam adducere non piget pervetustam, quam in Romanis annalibus reperi de Sabinis fœminis Historiam. Romulus condita urbe Româ, cernens pro ejus populatione fæminis quàm maximè opus esse: Sabinos ad publicos ludos invitavit, cumque ii statuto tempore muliebri comitatu Romam confluerent, Romani, dum Sabini spectaculo erant intenti, illorum filias vi apprehenderunt, sibique matrimonio junxerunt. Hoc perquam ægrè ferentes Sabini, pauco post tempore Romanis ferum bellum indixerunt, & sanguinolento utrimque prælio commisso, dum in se invicem crudeliter sævirent, Sabinæ Romanis nuptæ, filios inter brachia gestantes, pacem Sabinis persuaserunt dicentes: *Quid in vestra viscera ruitis? arma ponite, si sapitis: nam Romanos si occiditis, filiarum vestrarum viros, vestrosq; nepotes de medio tollitis.* Quæ verba adeò eorum animos commoverunt, ut dejectis armis odiisque depositis, pacem & fœdus inierint. Haud aliter Maria Virgo enixa puerpera in portu Bethlehem Christum, indictum inter hominem, & Deum à mundi origine bellum composuit; illa enim brachiis unigenitum elevans, patrique æterno ostendens, pro misericordiâ interpellat dicens: quousque Domine non misereberis miseri hominis? gladium obsecro reconde, & justitiæ tuæ rigorem coërce. Nam si in genus humanum furoris tui fulmen vibres, meos quoque parentes filiique a vos consternes. Clementiæ tuæ ô misericors Deus omninò repugnat etiam in mortuos desævire. Pande itaque misericordiæ tuæ januas, & gementibus in limbo patribus velociter succurre. Quæ Virginis Matris preces tantæ virtutis, ac efficaciæ extiterunt; ut illicò misericordia & justitia sese mutuo pacis osculo salutarint: *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Et crudele quod usque ad Christi felicissimum adventum bellum durarat, penitus hæc mirabilis avis Alcyon sedavit. Unde si juxta veteres, & Simonidem tempore brumali, id est, ut ait Pierius circa vigesimam quintam, aut vigesimam sextam Decemb. dies Alcyoniæ observabantur, *quibus fora conticessebant:* idque quia tunc Alcyon ova excubat, mareque tunc maximè tempestuosum sedat: pari modo Maria Virgo, instar alteriùs Alcyonis, verbum divinum brumali tempore, scilicet vigesimâ quintâ Decembris peperit, quo

Psalm. 84. v. 11.

Pierius.

cælo dies Alcyoniæ (tum enim omninò forum, ac tribunal divinæ justitiæ conticuit) denuntiari sunt *pax hominibus bonæ voluntatis.* Ac sic perfecta hujus Virginis opera mundo exorta est tranquillitas. Hanc Mariæ Virginis potentiam exaggerans doctissimus Novarrinus, alludensque ad pacem inter Sabinos & Romanos per mulieres compositam, exclamat: *Potuere hoc in homines mulieres: potuit Virgo in Deum ipsum, qui in mortales, eorum sceleribus provocatus, justè sæviebat; iram, & indignationem unius Virginis interventu deposuit, & pacem cum hominibus iniit. Ex quo enim in Mariæ utero hominis formam induit Dei filius, pacem cum humano genere fecit, & stabilivit.*

Luc cap. 2. vers. 14.

Novar. l. 4. sacr. elect.

Pulchram hujus habemus confirmationem in S. Scripturâ, Exodi c. 19. v. 18. Narratur Deum sese ostendisse omninò formidabilem in monte Sinai: *Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum igne, & ascenderet fumus ab eo quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis.* Rursus eidem illum apparuisse refertur sine terrore, sine formidabilitate. Exodi c. 3. Et quamvis utrobique in figura ignis; hic tamen nullus illius, ne quidem fumi, subsecutus est effectus, *Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi & videbat quod arderet & non combureretur.* Nunc quæro; cur tantam divinæ apparitionis signatè annotet Spiritus S. diversitatem? facilè respondetur. Per rubum enim tum SS. PP. tum S. Scripturæ Interpretes intelligunt Mariam, in cujus uterum verbum divinum, quod ignis consumens est, descendens Matrem fæcundavit, sed ei Virginitatem non abstulit. Dum itaque in monte Sinai, & in majestate sua Deus Moysi apparuit, nondum humana indutus carne repræsentabatur; ideòque prorsus terribilis, & formidabilis. At verò dum in rubo Mariani uteri symbolo in figura immensæ charitatis suæ ignis: totus mansuetus & benignus visus est. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris.* Ad significandum accensum divini furoris ignem, mediante Incarnatione in Mariæ Virginis ventre, eburneo compescendum fore.

Exod. c. 19. vers. 18.

Exod. c. 3. vers. 2.

Ad Titum c. 3. v. 4.

Nec ad hoc prætereundus est diversus Joannis Evangelistæ de Christo Domino loquendi modus; ipse enim Apoc. c. 5. Christum leonem simul & agnum nuncupat. *Vicit leo de tribu Iudâ,* & vers. 7. *Agnus qui occisus est.* Quod sanè mirum. Quæ enim inter leonem & agnum similitudo? ille totus est furibundus & sanguini inhians, hic totus mansuetus & mitis. Difficultatem enodat ingeniosum quoddam cujusdam Romani Principis Epitaphiũ, cui

Apoc. c. 5. vers. 5. vers. 7.

cui leo marmoreus artificiosè insculptus erat ambobus anterioribus pedibus agnum ut proprium suum catulum amplectens: cum hac inscriptione, *non sum qui fui*, qua significabatur defunctum in juventute severum extitisse, mansuetum verò occubuisse. Dum Joannes ergo Dominum leonem nominat, de nondum incarnato & severo loquitur ut Amos Propheta cap. 3. *Leo rugit & quis non timebit*? dum verò agnum jam humanitate indutum intelligit, per quam in eburneo Mariæ Virginis utero assumptam totus mitis ut agnus effectus est. Eique quàm optimè quadrat prædicti Epitaphii inscriptio *non sum qui fui*.

Amos c. 3. vers. 8.

Hoc prævidit Moyses dum desiderans intueri Dei faciem, id est divinitatem, *ostende mihi faciem tuam*, tergum vidit, *posteriora mea videbis*, id est humanitatem. Exod. cap. 33. Hic Hebræi existimant Deum sese incarnatum Moysi ostendisse, dorsumque suum in quo omnium hominum scelera, quæ verbum ipsum diluenda in se susceperat demonstrasse. Quod ipsi colligunt ex Psal. 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*. Quo mysterio jam cognito lætus exclamavit Moyses Exod. cap. 34. *Deus misericors & clemens: patiens & multæ miserationis*, quia scilicet tunc futurus erat non qualis antea.

Exod. c. 33. vers. 23.
Psal. 128. vers. 3.
Exod. c. 34 vers. 6.

Dictum est suprà, Mariam Christo indidisse nomen Jesu, secundum illud, *vocabis nomen ejus Iesum*. Ad quod curiosè quis posset indagare, cur Deus expressè à Matre filio nomen imponi voluerit? facilè respondetur, id quoque in summam Mariæ Virginis laudem cessisse. Impositio enim nominis juxtà jus antiquum imponenti quoddam dominium in rem nominatam tribuebat: Unde dũ Deus primo parenti Adæ omnium animantium dominium tradere vellet: *duxit ea ad Adam ut videret quid vocaret ea*. Illumque iis nomina imponere jussit. Quia ergo Deus nobilissimæ huic creaturæ Mariæ in Christum & Deum ipsum, imperium, & dominium deputarat, ab illâ nomen Jesu imponi mandavit per Angelum: *Et vocabis nomen ejus Iesum* Et cùm Vatablus loco Jesum legat misericordiam, sequitur Mariæ in illam à Deo concessam esse jurisdictionem. Quod & disertè de illâ deprædicat Damianus dicens: *Accedis ad aureum divinæ severitatis tribunal, non rogans, sed imperans: Domina, non ancilla*.

Gen. ca. 2. vers. 19.
Damianus.

S. Anselm.

Ex hoc forsitan scopũ D. Anselmi pro Mariana mirabili potentia sententiam pronunciantis attingemus: *Nonnumquã*, inquit, *velocior est salus, memorato nomine Mariæ, quam invocato nomine Domini Iesu Christi unici filii sui: & id quidẽ non fit ideò, quia ipsa major, & potentior eo sit: nec enim ipse magnus & potens per eã, sed illa per ipsum*. Quocirca hujus rationem inquirens petit: *quare igitur propitior salus in recordatione ejus, quam filii sui percipitur?*

Ad hoc nota patrem æternum imperium duorum divinorum attributorum justitiæ scilicet, & misericordiæ Christo, & Mariæ bipartitum fuisse; Christo enim judicium commisit, eumque severum scelerum omnium hominum vindicem constituit, mandans ut tamquam æquus judex tribueret unicuique secundum opera ejus: *Ante eum*, inquit Matthæus, *congregabuntur omnes gentes*. Et rursus *potestatem dedit ei, quia filius hominis est*. Mariæ verò in misericordiam detulit dominiũ, eamq; in pietatis, & gratiarum thesaurariam elegit: & sic Deus videtur cum matre sua egisse sicut Alexander Magnus cum Matre Olimpia; dum enim ab eo, ut refert Plutarchus aliqua gratia expostulabatur, precantem ad eam remittebat, dicens consule Matrem. Hoc dicto, innuere volens, omnis favoris & omnium beneficiorum dilectam genitricem suam Olimpiam esse dispensatricem, Ita inquam Deus misericordiæ & benignitatis dominam constituens Mariam, ad eam in omnibus nostris necessitatibus docet esse recurrendum, eamque esse consulendam. Audi quam pulchrè & ad hoc conformiter sese ibidem explicet S. Anselmus: *Dicam quod sentio; filius ejus Dominus est & judex omniũ, discernens merita singulorũ: dum igitur à quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profectò justè facit, invocato tamen nomine matris: etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen matris intercedunt*. Tanta enim, tamque innumera ergà Deum Filium Mariæ sunt merita, ut iratum Deum ad misericordiam potenter flectat.

Matth. c. 25. v. 32.
Ioan. c. 5. vers. 27.
Anselmus.

Appositè huic proposito pulchra, quam narrat Plutarchus de Quinto Metello juniori quadrat historia. Hic devicto Marco Antonio à Cæsare Octaviano, cernens inter cæteros captivos & mancipia proprium patrem ferro & vinculis onustum in triumphum deduci & ad Cæsarem jam jam crudeli morte plectendũ trahi (eo quòd Marci Antonii Cæsari rebellis partem foverat, armisque propugnarat) præceps in Octaviani amplexus ruit, atq; eum imperterrito vultu pro patris vitâ & salute deprecatus est hisce verbis: *Hic Imperator tuus hostis, quia in te Dominum suum ensem strinxit, mortem promeritus est: at ego sum premio dignus: qui tibi inservivi* (steterat enim Metellus à parte Cæsaris) *pro patre tuiq; salute contra Marcum Antonium & pro-*

& proprium patrē iupavide dimicans: igitur impero; ut pro illo munere, quod mihi debes, hunc mihi incoo-lumē reddas. Quo insolito non tam precandi, quam mandandi modo Octavianus obstupefactus, simulque immobili Metelli animo quasi perterritus ac ad pietatem commotus, petitioni ejus annuit, patremque illicò libertati restituit,

Non dissimiliter Diva Virgo ad justum filii sui accedit tribunal, pro misero peccatore deprecans, & clamans ad filium instar unius Metelli ad Octavianum: ô supreme Cæsar hic infamis adulter, hic maledictus, sacrilegus, avarus, seditiosus, vindicativus, æternæ fateor meretur adjudicari morti, flammisque inferni in perpetuum torqueri, quia tibi rebellis extitit, atque tua perfricta fronte vilipendit mandata; at ergo sum premio digna; quia tibi servivi: te novem mensibus in utero meo portans, & Virgineo uberum meorum lacte tantò tempore pascens, atque ab insano impii Herodis furore nocturna fuga te liberans. Pro signalati istis fili, in te meritis, impero tibi ut hunc mihi peccatorem incolumen reddas, & in gratiam recipias. Id attestatur Damianus. *Accedis ad aureum divinæ severitatis tribunal non rogans: sed imperans, Domina non ancilla*, cujus potentiæ & imperio divina justitia cogitur succumbere, & palmam misericordiæ cedere. Quia etsi, ut inquit Anselmus: *Merita invocantis* (scilicet ipsius peccatoris) *non merentur ut exaudiatur, merita tamen matris intercedunt.*

Damianus

Eia igitur peccator ad hanc Virginem pro delictorum tuorum venia impetranda recurre: & ex intimis medullis Mariam patronam elige, sequere salutare Divi Bernardi monitum te ad hunc salutis portum invitantis mellifluis hisce verbis: *Vade ad Matrem Misericordiæ, & ostende illi tuas plagas peccatorum, & ipsa pro te filio ostendet pectus & ubera, ille patri latus & vulnera: non potest esse repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia.* Et concludit, *exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater.*

Bern. serm. de Nativit.

Ad te modò mea se convertit, ô piissima Virgo oratio: tu sicut vidimus divinæ ut Domina absolutè imperas misericordiæ & omnium gratiarum thesaurum pro tua dispensas voluntate: tu es purissima illa columba, quæ mundo virentem pacis ramum attulisti: tu per benedictum fructum ventris tui Jesum Christum fædus inter genus humanum & Deum composuisti, obnixè & nunc te omnes rogamus, ut fero Marte è patria, nostro & miserrimo afflicto Belgio depulso, terrena nos frui facias pace. Nam ingenuè confitemur cum D. Thoma à Villa-Nova: *Nescimus aliud refugium, nisi te*

Serm. 3. de Nat. Virg.

tu sola es unica spes nostra, in qua confidimus: tu sola patrona nostra ad quam omnes conspicimus. Respice nunc, ô piissima, certantis Ecclesiæ filiæ tuæ tribulationem, attende ad familiam hanc pro qua Christus filius tuus mortuus est in afflictione, positam. Aperi, ô pia Virgo, misericordiæ tuæ oculos, & respice Cananæam ab infestissimo Ecclesiæ hoste oppressam, Candiam undequaque à Turcis fidei inimicis vallatam, Daniam & Poloniam à Suecis vexatam, Flandriam occidentalem hosti & hæretico Anglo apertam, plurimasque civitates sub Francorum armis: Virgo intuere gementes. Sis nobis ô Maria instar alterius generosæ matronæ Evadnæ, quæ post cruentum inter duos fratres Agathoclem, & Polycinem pro regno Thebano dimicantes, commissum prælium, factis armorum, pro corporibus cæsorum de more cremandis, induciis, utrumque ad forum, in quo ferale bustum erectum erat, suis precibus adduxit. Cumque jam flamma bustum invaderet, ad duos fratres exclamavit illud indignitans: *Hæc videtis & sustinetis?* ac si diceret, ô crudeles Principes, cernite quot generosi Capitanei & invicti milites jam busto impositi odium vestrum execrandum & ambitionem intollerandam morte sua detestantur. An nondum fervida in invicem iræ sitis copioso tot præclarorum virorum sanguine extincta? proh dolor! quibus dictis velocissimo cursu in ignem se projecit, unde cantat Poëta.

Arserit Evadne flammis injecta mariti.

Quæ Evadne verba, quodque tam triste ac lugubre busti spectaculum eorum animos tantoperè commoverunt, ut dejectis in terram armis, pacem inierint. Quamvis paulò pòst tempore antiquo odio reviviscente longè crudeliùs, quàm anteà bellum gesserint, ut Thebanæ referunt Historiæ. Sic tu, ô piissima domina, adinstar alteriùs Evadne divinis tuis inspirationibus interiùs illumina obcæcatum duorum potentissimorum Regum Philippi Hispaniæ, & Ludovici Franciæ animum: Emolli & concute malleo gratiæ tuæ horum obdurata corda: repræsenta illis continuam Catholicæ Ecclesiæ ruinam & inexplicabile toti Christianitati ex hoc bello emergens detrimentum. Pone iis præ oculis tantam sanguinis Christiani effusionem, tot subditorum cladem, totiusque patriæ depopulationem, ut funesto hoc spectaculo commoti, te ductrice, ad firmam & stabilem, jam dudum optatam, perducantur concordiam & pacem; ut hâc per te misericorditer obtenta, in æternum in laudem tuam ô Maria, hoc possimus decantare elogium, *Mater Misericordiæ*. Amen.

CONCIO TERTIA

De Misericordia Beatæ Mariæ Virginis.

THEMA.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. cap. 1. v. 1.

ARGUMENTUM.

Eximiam præexcelsæ Genitricis Dei Mariæ, de qua egimus, misericordiam, Christum è saluberrimo uberum maternorum fonte suxisse, variis conceptibus demonstratur.

CElebertimus ille Historiographus Politanus, miratus cum S.P.N. Augustino insania cæcæ gentilitatis deliria, torque diversorum falsorum Deorum execrans cultum, in summo olim ab Amazonibus honore Dianæ statuam, in templo Ephesi ad Publicam venerationem erectam, habitam fuisse tradit. Hanc credebant populi protectricem, & Matrem esse omnium viventium, *cultores, ejus* inquit *decepti, putabant eam esse omnium viventium nutricem*: ideoque à famosissimo sculptore Phidia ex electo marmore artificiosè sculptæ undequaque apparebant mammillæ, teste eodem, *in ejus imagine varia ubera sculpi jusserunt*. Ex his, etiam falsè arbitrabantur iratum ac furibùndum Jovem, si potitaret, mansuescere, fulmenque ejus accensum divino lactis Dianæ succo retundi, ac extingui. Huic statuæ magnificum hi gentiles hoc adscripserant elogium, *Dea mammillaris*. Polit.

Hàc non tantum Ephesini laborarunt dementiâ, at ea apud omnes gentiles nationes, arte diabolicâ inducta invaluit stultitia, ut fæmineum lac omni malo mederi reputarent. Hinc mari sese committentes, ut inquit Arcen, vecta secum juvencula fœmina, intumescentibus irati pelagi procellis, atque imminente indubitato naufragio, primò Æolo ventorum Domino, deinde Neptuno fluctuum maris dominatori, ad eorum furorem placandum, hujus lac offerebant.

Sic fingunt Poetæ Jasonem in Colcho remeantem terribilem evasisse cum tota navali classe maris tempestatem; dum enim formosissima mulier Persilia, intumescentibus undis navim furiosè quatientibus, unius uberis lac Æolo, alterius Neptuno obtulisset, utriusque cessit furor, sedatoque tempestuoso mari, ad Colcho feliciter, iis auspicibus, devectus est Jason. Non minorem, juxta eorumdem commentum expertus est Thesus; qui eâdem ope incolumis in Cretam appulit.

Fateor hæc, & plura, quæ adducere possem ethnicorum & idololatrarum esse non tantum figmenta, sed & inania deliramenta: ea tamen quam optimè Catholicæ veritati quadrare audacter asserunt. Etenim si cæcutiens & decepta quondam gentilitas Dianam ut Deam mammillarem, Matremque omnium viventium colebat: quid ni & ego secundum illuminatos, & veræ fidei veritate imbutos Ecclesiæ Catholicæ Doctores, constanter sustineam, verè mammillarem Deam fore Mariam omniumque nostrum Matrem? Maximè cum id asseverantem audio Richardum: *Mater nostra Maria est: quæ licet unicum tantum filium carnalem genuerit, in eo tamen spiritualis Mater effecta est magnæ multitudinis; quorum primogenitus est Christus.* Et si rursus Dianæ lacti virtutem Jovis iram depellendi inditam esse fabulabatur; ausim dicere; tantæ suavitatis fuisse Virgineum Mariæ Virginis lac, ut irati Dei nostri rigorem planè extinxerit: ejusque Richard.

ubera

ubera nihil fuisse, nisi scaturientem fontem, è quo omnes divinæ misericordiæ succus emanavit, cujus gustu sponsus Christus delectatus ad Mariam exclamat: *Meliora sunt ubera tua vino.* Vinum enim corporis æstum intendit, atque inflammat, lac verò remittit, & mitigat. Sed antequam de Virginei Mariæ lactis suavitate disseram, per illam Spiritus sancti implorandum est auxilium. Ave.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. 1. v. 1.

CUm maturè perpendo quibus encomiis Spiritus sanctus verus Mariæ sponsus, cujus mirabili virtute ineffabile peractum est Incarnationis mysterium, excellentiam ac pulchritudinem, non corporalem, sed mysticam conatur exprimere, eum in totam Mariam conjecisse intueor oculos. Cant.
cap. 1. *Oculi tui columbarum* Cant. 4. *Favus di-*
Cant. c. 1. *stillans labia tua sponsa.* Ibidem v. 9. *Vulnerasti cor*
v. 14. *meum in uno crine colli tui.* Et v. 3. *Fragmentum*
Cant. c. 4. *mali punici ita & genæ tuæ.* Imò & eam in omni
v. 11. corporis parte manifestè declarat decoram. v. 8.
Vers. 9. *Tota pulchra es amica mea.* Nec tamen hic sistit
Vers. 3. sponsæ suæ eximiæ pulchritudinis divinus enco-
Vers. 8. miasta: sed candidorum illius uberum aspectu ra-
ptus exclamat Cant. 4. *Quam pulchra sunt mam-*
Cant. c. 4. *mæ tuæ soror mea sponsa, meliora sunt ubera tua vi-*
v. 10. *no!* quia illa distillant saporiferum lac misericordiæ
& benignitatis. Ad quod alludens, Spiritus sanctus
Mariæ Virginis persona ad excandescentem in
peccatores Deum ait: *Dabo tibi ubera mea.* Ac si
Cant. c. 7. diceret, ô Deus ultionum, & in hominum pecca-
v. 12. ta crudelis: descende, descende è throno majesta-
tis tuæ in mundum, ibi, *dabo tibi ubera mea* quo-
rum dulcissimus liquor ardentem furoris tui ig-
nem penitùs absumet, juxta Jobi vaticinium cap.
Iob c. 38. 38. *Usque huc venies & non procedes amplius, & hic*
v. 11. *confringes tumentes fluctus tuos.* Quia ut prædi-
Isai cap. 11. xerat Isaias cap. 11. *Delectabitur infans ab u-*
v. 8. *bere.*

Ad maximum hoc divinæ misericordiæ beneficium, sub diro justitiæ jugo ingemiscens, anhela-
bat sitibunda natura humana; ideòque instantissi-
Cant. c. 8. mas ad cælum incessanter mittebat preces: *Quis*
v. 1. *mihi det te fratrem meum sugentem ubera Matris*
meæ, ut inveniam te foris & deosculer & jam nemo me despiciat. Ac si diceret, ecquis mihi illud concedet favoris, ut videam te ô Domine Deus, foris id est mortali indutum carne, non dumtaxat intus, in sinu paterno quiescentem, sed foris, in specioso Matris tuæ & meæ gremio sugentem ubera, quia tum ut David præcinit: *Exaltabitur*, alii legunt Psal. 91.
renovabitur senectus mea in misericordia uberi: id v. 11.
est, alia tunc humani status apparebit facies, dum rigidam Veteris Testamenti legem tamquam umbram, & figuram lex gratiæ ut veritas depellet, omnisque divinæ justitiæ fervor, cùm Christus inter ubera dilectæ Matris Mariæ commorabitur, in mansuetudinem & benignitatem commutabitur. *Et jam nemo me despiciat*, contumeliosè mihi improperans *ubi est Deus tuus?* Quod opprobrium profusis in abundantia lachrymis planxit Prophe-
ta David: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac* Psal. 41.
nocte, dum dicitur mihi quotidie ubi est Deus tuus? v. 4.
In promptu enim tum erit, quod respondeam: Ecce Deus meus, qui antea in sinu continebatur Patris æterni, nunc inter ubera matris mortalis commoratur, ex iisque gratum pro toto mundo
misericordiæ sugit & extrahit liquorem. *In te*, ait Richar.
Richardus alloquens Mariam, *crevit lac divinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit; ipsa priùs repleta es: & ex te nobis descendit hæc abundantia.*

Nec Mariæ Virgini tenello Filio virginea ubera sugenda præbenti ullatenus timendum erat il-
lud Ecclesiastici: *Lacta filium & paventem te fa-* Eccl. c. 30.
ciet. Meliora enim erant ubera ejus vino, ideò- v. 9.
que *delectabitur infans ab ubere.* Hujus lactis dulcedinem maturè considerans S. P. N. Augustinus
ad Mariam clamat: *Lacta Mariam creatorem* Aug. serm.
tuum, panem cæli, pretium mundi, præbe lambenti de Annūc.
mammillam, lacta illum, qui fecit te talem, ut ipse fieret in te.

Patriarcha Jacob jam vicinus morti, convocatis ad se filiis, cuilibet divino Spiritus sancti afflatu suam impertitus est benedictionem. Cùmque jam ad dilectum filium Joseph devenisset, in hæc ver-
ba prorupit: *Dominus Patris tui erit adjutor tuus,* Gen. c. 49.
& omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli de- v. 25.
super, benedictionibus abyssi jacentis deorsum. Et declarans in quo illæ benedictiones consisterent, subnectit, *benedictionibus uberum & vulvæ.* O profundum mysterium! ecce Patriarcha Jacob omnem dilecti filii sui Josephi, & totius ex eo descendentis progeniei benedictionem à ventre, & uberibus dependere attestatur. At cujus? sanè non-
nisi electæ ex millibus Virginis Mariæ de qua mu-
lier: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ su-* Luc. c. 11.
xisti. Verè Beatus Mariæ venter, quæ tamquam v. 27.
crater tornatilis ut Cant. cap. 7. dicitur, id est orbi- Cant. c. 7.
cularis Deum ipsum, quem cæli & terra com- v. 2.
prehendere non poterant, angusti gremii sui cir-

Ierem. c. 31. v. 12.

culo circumdedit, juxta Jerem. prophetiam: *Fœmina circumdabit virum.* Unde si olim in Faustinæ numo circulus imprimebatur cum hac inscriptione: *Magnæ Matri*: quia tantum ediderat in lucem filium, scilicet Constantinum: jure meritò id attribui potest Mariæ Virgini, verè *magnæ Matri*, quæ protulit Creatorem & Redemptorem universi.

Cant. c. 7. v. 2.

Verè benedictus Mariæ venter, *acervus tritici*, in quo tamquam in fornace divino Spiritus S. calore coctus est cælestis ille panis Christus Dominus noster, quo ipsi saginantur spiritus Angelici. Verè Beatus Mariæ venter *eburneus*, in quo accensus divini furoris ignis extinctus est.

Neque minori fundamento clamat Marcilla: *Beata ubera, quæ suxisti.* Verè Beata Mariæ ubera, quæ non naturali, ut cæterarum parturientium fæminarum lacte, sed supernaturali de cælo effuso repleta sunt.

S. Athan. in serm. de Virgine.

Vbera inquit S. Athanasius, *beatæ Virginis naturæ consueta radicem non habuerunt, & longe à naturali consuetudine, ac lege fuerunt alienæ: lac verò peregrino modo fluxit.*

Vincent, serm. de Nativit. Christi.

Et S. Vincentius ait: *Virginem lacte carentem, pro lacte Deum deprecatam, subitòque ejus ubera fuisse lacte plena.*

In Festo Circumcis.

Quibus & concinit Ecclesia: *Ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de cælo pleno.* Ubi nota τὸ ubere in singulari, & non uberibus in plurali, quia Maria Virgo unico ubere Christum filium suum pascens de cælo pleno, ex alio juxta Richardum nobis abundantem lactis divinæ misericordiæ, atque gratiarum succum effudit. Verè beata pronuntiari possunt Mariæ ubera, quorum candidissimo lacte summus ille Æolus Deus noster placatus est, sicque ad instar Jasonis vastissimum & procellosum hujus mundi pelagum homo transmeans, imminens æternæ mortis naufragium fœliciter evasit,

Psal. 91. v. 11.

ut prædixerat Propheta David: *Exaltabitur senectus mea à misericordia uberi.* Id est, tunc natura humana, quæ tot annis sub severæ justitiæ rigore ingemuit, misericordiæ succo ab uberibus Mariæ defluente refocillabitur, tuncque Christus Dominus pacis, ac fœderis amans, mundo misericordiæ palmam offert, ad quam stabiliendam ad Patrem suum æternum clamat filius per Psalmistam:

Psal. 21. v. 19.

Tu es, qui extraxisti me de ventre matris meæ, spes mea ab uberibus matris meæ. Ac si diceret: in benedicto genitricis Mariæ utero, tamquam in throno eburneo totaliter quiescebam, ipsamet teste. *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Cujus eburnei ventris mirabili virtute omnis iracundiæ & justitiæ ignis penitus evanuit. De hoc mirifico misericordiæ fonte, ô Pater æterne, me ad uberiorem transtulisti, scilicet ad matris meæ benedicta ubera, in quibus firmam spem totius generis humani omninò colloco. Per suavissimum enim horum liquorem divina misericordia firmiorem jaciet radicem, majores producet benignitatis fructus, iratumque in hominem Deum hæc benedicta ubera inebriabunt.

Prov. c. 5. v. 19.

Quod avidè exoptans Sapiens, clamat: *Vbera ejus inebrient te.* Et sanè quàm optimè: quia sicut vini nimiâ abundantiâ quilibet, quantumque fortis, viribus destituitur, seseque quocumque locorum ab alio deduci patitur: sic Deus noster iratꝰ, etsi potentissimus, cui nemo potest resistere, Marianorum uberum succo inebriatus, omninò imbellis redditur & Mariæ Virginis voluntate dirigitur,

Psal. 72. v. 24.

ut ipsemet per Davidem attestatur: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.*

Plin. lib. 28. c. 9.
Pier. l. 10

Finxerunt veteres Poetæ, ut testatur Plinius, Jovem lacte capræ fuisse enutritum: quo fundamento dubitatur. Ego Pierium illud rectè attigisse autumo. Dicit hic capram apud Ægyptios hieroglyphicum promptitudinis ad audiendum extitisse, rationemque addit: *Quia illam per aures perinde, atque per nares spiritum & emittere, & vicissim recipere, una cum Ægyptiis, tam Archelaus, quam Alemeon authores gravissimi prodidêre.* Quia itaque Jovi, utpote summo Deo promptitudinem miseros mortales exaudiendi adscribebant, illam ex capræ mammis ipsum suxisse credebant. Supremus ille Jupiter Deus noster in antiqua lege ad hominis clamores, gemitus, ac singultus, quibus divinam implorabat misericordiam, totus surdus apparebat,

2. Regum c. 22. v. 24.

ut patet ex illo 2. Regum. *Clamabunt, & non erit, qui salvet: ad Dominum, & non exaudiet eos.* At modò ubi divinæ hujus capræ Mariæ, Virginis ubera (de qua Spiritus sanctus Cant. 4. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli Capreæ*)

Cant. c. 2. v. 5.

luxit, aures erectas habet, ad promptissimè preces nostras audiendas. O mirabilis Mariani lactis efficacia! ô in æternum benedicta Virginis ubera mansuetudine plenissima! horum excellentiam demiratus Richardus ad Mariam exclamat: *Adeò pietate replentur ubera tua, ut alicujus miseriæ notitiâ tactâ statim lac fundas misericordiæ, nec possis miserias scire, & non subvenire*: Quid ergò mirum, si cælestis sponsus sponsam suam Mariam ab uberibus laudet, dicens: *Meliora sunt ubera tua vino.*

Magna apud Galenum & Avicennam peritissimos medicos sympathia observatur inter infantes

&

& nutrices, quarum cum lacte & affectibus ac moribus ordinariè imbuuntur, ut experientiâ constat. Tiberius Cæsar vino fuit addictissimus & maximè ebriosus, quod vitium ab ebria nutrice ab infantia didicerat. Dionysius Cass. narrat Calligulam tanto æstu sanguini inhiasse, ut cruentatum ensem summa cum delectatione lamberet, eamque crudelitatem non à suis parentibus, verùm à barbara nutrice cum lacte hæreditasse asserit, quæ extremum mammæ infanti porrigens, sanguine tingebat. Plutarchus dicit Romulum & Remum ad iracundiam, rapinas, & homicidia summoperè fuisse proclives, hancque feritatem cum lupæ nutricis suæ lacte imbibisse. Rex Agis in cursu velocissimus, plurima etiam animalia superabat, quod ab uberibus cervæ ei inditum erat. Ænæas visus fuit Didoni tam sævus & crudelis, ut eum lacte Tygridis enutritum judicaret. Sicut testatur Virgilius Ænæid. capite 4.

Dionysius Cass. in vitis Cæsarū.

Plutarch.

Virg. Æneid. c. 4.

> *Perfide! sed duris genuit te cautibus horrens*
> *Caucasus; Hyrcanæque admôrunt ubera tygres.*

Poetæ fingunt, summum Jovem filium suum Herculem in numerum Deorum minimè referri potuisse, nisi prius de Junonis omnium Deorum nutricis lacte potitasset. Quod clarè indicat Alciatus in suis emblematibus:

Alciatus embl. 139.

> *Nec prius esse Deus potuit quam sugeret infans*
> *Lac, quod fraudis nescia Iuno dedit.*

Quod si ita est, quid mirum, si Deus in peccatores iratus & excandescens, uberibus Mariæ Matris misericordiæ & mansuetissimæ fœminæ piissimam & benignissimam naturam imbiberit.

Duas SS. PP. confitentur Christi Domini Nativitates: Damascenus lib 3. *Confitemur duas Christi Nativitates*, unam æternam & alteram temporalem, unius sine matre ex fœcunda patris æterni mente, alteram sine patre, Spiritus sancti virtute ex utero Mariæ Matris. De illa ait David: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Et Isaias: *Generationem ejus quis enarrabit?* De hac scribit Lucas Evangelista: *Ecce concipies in utero & paries filium.* In prima Nativitate verbum divinum pro nutrice habuit justitiam juxta illud Esdræ: *Enutrivisti eum tua justitia.* Ideoque non nisi rigoris & justæ sævitiæ cernebantur effectus. At in secunda jam mortali indutum carne, pro matre & nutrice nactum est piissimam Mariam Virginem, è cujus uberibus pios & mites suxit affectus, ut satis apertè fatetur in persona Job ipsemet Christus: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio & ab utero matris meæ egressa est mecum*: Ac si diceret, præteritis sæculis in statu legis naturæ, circumcisionis & legis scriptæ, justitia misericordiæ palmam & dominium eripuerat: eamque zelotes & ultionum Deus, vindicans peccata hominum in quartam generationem; verùm suavissimo uberum matris meæ liquore enutritus, mores ac genium piissimæ nutricis indui, omnisque amaritudo in dulcedinem, ac rigida justitia in placidam mansuetudinem, severa fulmina in divina commutata sunt beneficia, audite quàm pulchrè id declaret Richardus: *Carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent, in te crevit lac divinæ misericordiæ & ex te nobis profluxit.*

Damasc. l. 3. de fide orthod. c. 7

Psal. 109. v. 3.

Isai. c. 53. v 8.

Luc. c. 1. v. 3.

Esdra l. 4. c. 8. v 12.

Iob. c. 31. v. 18.

Richard. 2. parte in Cant. c. 2 3

Nec sane hoc mirandum; si enim à matre & nutrice ovicula (ut suprà retulimus) leo naturâ ferox agninam sortitus sit mansuetudinem: quidni & rugiens leo; iratus inquam Deus, ex Mariæ Virginis uberibus benignitatem extraxerit: quorum lac ab ipsomet Spiritu sancto melli-fluum redditum est & purificatum, ut testatur Bernardinus: *Beata Virginis lac habuit saporositatem, quam traxit à Spiritus sancti depuratione, Numquàm enim aliqua mulier habuit lac tam saporosum sicut ipsa: & hujus ratio est, quia lac aliarum mulierum habet multum impuritatis, & ideò non potest esse magni saporis: lac autem Beatæ Virginis sic fuit à Spiritu sancto depuratum, quod factum sit dulcissimum & nimium saporosum.* Et idcircò ei mellis adscribitur suavitas, *mel & lac sub lingua ejus.* Delectatus itaque ab ubere sponsus Christus, optimè clamat ad sponsam: *Meliora sunt ubera tua vino.*

Bernardin. de Bustis serm. 3. de partu D. Virg.

Fertur Pythagoram olim dixisse, Fœminas uberibus suis Deorum potum gestare, utpote quibus suavis & dulcis lactis liquor plurimùm arridebat: verùm hoc dictum, quod ipse per exaggerationem protulit, nos rectè & Catholicè Mariæ Matri attribuemus: è cujus mamillis, non pro falsis ac fictis diis, sed vero Deo potus adeò suavis, atque divino huic infantulo acceptus effluxit,

fluxit, ut de eo dicat Scriptura: *Delectabitur infans ab ubere.*

Recordor veteres Poëtas somniasse, quod lilium flos, ob nitidissimum candorem & nobilitatem à quibusdam Regius appellatus, ex Deæ Junonis lacte pullularit. Quod accidisse fingunt, ut testatur

Pier. l. 55.

Pierius: cum Juno Herculem supremi Jovis filium lactaret, guttulis quibusdam lactis in terram decidentibus, Sic cecinit Conradus Gesnerus his versibus:

Lib. de lacte & operibus lactis

Dum puer Alcides divæ satis ubera suxit
Iunonis, dulci pressa sopore fuit
Ambrosioque alto lac distillavit olympo,
In terris fusum lilia nata sumus.

Cedant hæc inania deliria & antiqua figmenta Catholicæ veritati; ex Deiparæ enim sanguine exortus est candidissimus ac simul rubicundus flos Christus Dominus, atque ipsa lacte uberum suorum pavit omnia pascentem, aluit omnia alentem, & enutriit omnium creatorem. Illa potum subministravit non ficto sed veraci fortissimo illi Herculi Christo, *qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Et sicut ex Deæ Junonis lacte exortum est & enutritum, candidum lilium convallium Christus Dominus, qui à Spiritu sancto appellatur, *candor lucis æternæ*: ac denique si (ut Augustinus docet) cœca olim gentilitas Jovem tamquam omnium educatorem coluerit sub nominibus Ruminæ,

August. l. 4. de civit. Dei c. 11.

Potinæ & Edulicæ, sic enim ait: *In Diva Rumina mammam parvulo immulget, quia Ruminam dixerunt veteres mammam: in Diva Potina potionem ministrat, in Diva Edulica escam præbet.* Quo si inquam tantam falsè Ethnici attribuebant Jovi efficaciam, ut trium harum Dearum in enutriendo munere fungeretur: indubitanter assero Mariam Virginem earumdem educandi virtute verissimè pollere, utpote quæ creatorem ipsum proprio suo lacte aluerit, ac enutrierit. Nec tantum ipsa unigeniti filii nutrix exstitit, sed ab ea tria prædictarum Dearum ad nos spiritualiter promanant officia, per Mariam enim, ut alteram Deam Potinam & Edulicam, divinus ille Dominici sanguinis potus, & mundissimus Christi corporis cibus in Venerabili Sacramento, in æternam animæ vitam mirabiliter homini suppeditatur. Quoniam ut censet D. Thomas, si Verbum in hujus Virginis utero incarnatum non fuisset, hominem propriâ carne cibare nequiisset. Denique Maria, ut altera Rumina, etsi supra cunctos cœlestis spirituum choros elevata sit, adhuc mundi memor miseris in eo degentibus peccatoribus misericordiæ lac abundanter propinare non cessat. In testem invoco Bonaventuram: *Magna fuit erga miseros,*

Bonav. in spec. Virg. cap. 8.

inquit, *misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo: sed multò major ergà miseros est misericordia ejus regnantis in cœlo, majoremque per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. Quis est super quem sol non luceat? Quis est super quem misericordia Mariæ non resplendeat?* Et idcircò ad Virginem clamat mellifluus Bernardus:

Bern. ser. 2. Pon.

Meritò in te Maria respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis quidquid creaverat recreavit. Possumus itaque & nos cum Christo ad Mariam exclamare: *Meliora sunt ubera tua vino.*

Doctissimus Hugo Cardinalis attentè considerans celeberrima, quæ Mariæ Virginis uberibus attribuuntur elogia, atque encomia, summoperè obstupescit, quod ipsamet Maria ea assimilet turti:

Cant. c. 8. v. 10.

Vbera mea sicut turris. Multum enim inepta apparet hæc comparatio, & melius dixisse videretur, ubera mea sicut fons scaturiens, è quo dulce misericordiæ lac languenti peccatori indesinenter effluit. S. Ambrosius hoc vocabulo turris summam Mariani lactis abundantiam significari asserit: *Vbera mea sicut turris, hoc est, non parva ubera habeo, sed ut turres ubera mea sunt, in quibus est abundantia.* Nec hæc sane vocabulo *fons* congruentiùs fuisset expressa; ideo Hugo addit duas insignes per *tò turris* Mariæ Virginis uberibus adscribi prærogativas: scilicet illa non tantùm suos enutriendi, sed & adversus irati Dei furorem defendendi pollere potestate. *Beata Virgo,* inquit,

Hug. Cardinalis.

misericordiæ suæ uberibus lactis suavissimi copiâ turgentibus, & instar turris est, ac proinde ita excelsa, ut filios suos non nutriendi tantùm sed & protegendi vim habet, ex quo facta est coram eo quasi pacem reperiens, ipsa reperit pacem inimicis, salutem perditis, indulgentiam reis, misericordiam desperatis. Et sic tamquam vera Dea mammillaris omnium viventiũ spiritualis Mater effecta est Maria: *Non solùm mater Christi,* inquit *singularis est, sed etiam Mater omnium fidelium universalis* Et Ambrosius relatus à S. Bonaventura, sic argumaentatur; *si Christus est credentium frater: cur non ipsa quæ genuit Christum, credentium sit Mater? eja charissimi omnes nunc*

Bonav. in spec. Virg. c. 8.

gau

gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus, benedictus frater per quem Maria est nostra Mater, & benedicta Mater, per quam Christus est frater noster.

Lib. 7. c. 28.

Hanc admirabilem lactis è Mariæ uberibus effluentis efficaciam ac pietatem, ingenuè confiteri cogitur summus ille peccator, de quo Vincentius Beluacensis. Hic ut refert, à juvenili ætate, etiamsi sæculo plurimùm deditus ac mundi illecebris implicatus, reverentiam ergà Matrem Domini Mariam, tam tenaciter animo impresserat, ut quandocumque Ecclesiæ ingressus, vel per Ecclesiam ei contingeret transitus, semper Mariam Virginem honorificè salutaret, genuflexus dicens: *Ave Maria gratiâ plena Dominus tecum,* & denuò sese profundè inclinans: *Beatus venter, qui te portavit Christe, & beata ubera, quæ te lactaverunt Dominum Salvatorem nostrum.* Ille interlapso tempore phrenesi ex infirmitate tactus, linguam & labia sua dentibus penitus absumpsit. Quo facto (per lucidum intervallum mentis compos effectus) Angelum suum custodem est conspicatus, & ad Mariam Virginem clamantem audivit: *Quid ô Domina misericordiæ, fons pietatis, hoccine est gloria & gratia tuæ salutatorium? Haccine est lingua in beatificationem ventris, & partus tui longo usu & ardenti affectu sic assuefacta, ut pene nihil aliud sonare nosceret in Ecclesia Dei, quàm Domina, Domina; si tu dees tuis, quis aderit suis: Non sic Domina, non sic: ad nihilum deveniet spes hominum, si in te non incipiunt habere refugium.* Hæc cum ille dixisset, statim apparuit Maria, & ad lectum ægri propriùs accessit, extractisque uberibus, *visa est,* inquit Vincentius, lac immittere os ægri, quo sancti roris liquore infuso, subitò illi linguæ integritatem, labiis antiquum decorem, & toti ejus corpori pristinam sanitatem restituit. Et post per aliquod tempus dulcedine Mariani lactis ac efficaciâ immutatus, piissimâ vitâ traductâ, in Domino obdormivit. Nonne hic ad Mariam in æternùm vociferari potest? *Meliora sunt ubera tua vino.*

Dan. c. 10. v. 5.

Apoc. c. 1. v. 13.

Prædictam veritatem parumper clariùs eruemus ex duabus diversis apparitionibus. Daniel testatur se Dominum vidisse cap. 10. Verùm in qua figura? *Renes,* inquit, *ejus accincti auro obryzo.* Joannes verò è contra se eum intuitum esse dicit: *Præcinctam ad mammillam zonâ aureâ.* Quæ quæso tantæ diversitatis potest assignari ratio? Respondeo mammillam genuinum esse misericordiæ & pietatis symbolum: ideò cùm in antiquo testamento solus omnis prorsùs benignitatis succi fons & origo erat Dominus, simul & justitiæ, plerumque severus, misericordiæ quandoque pius administrator, accinctis renibus nudisque uberibus apparet, ut ex iis divinæ suæ mansuetudinis lac ad miseros peccatores diffundat. Verùm in Novo Testamento, cum illam prærogativam dispensandi gratiarum & benignitatis lac, cesserit Deæ nostræ mammillari Mariæ genitrici suæ, eamque misericordiæ absolutè constituerit Dominam atque thesaurariam, ut omnium vere secundùm spiritum viventium efficeretur Mater, ubera sua occultat, solummodò sibi dominium reservans justitiæ. Hóc de eâ attestatur Idiota: *Peccatoribus Virgo impetras veniam, & honorantibus te promittis gloriam, quia thesauraria cœlestium gratiarum existis,* & ut altera Diana summi Jovis irati Dei Filii tui, fulmen à mundo potenter avertis.

Idiota.

Gratian. Castro

Mirum & quàm maximè stupendum est quod de Mariæ Virginis lacte antiquæ Armenorum narrant Historiæ: id referente celebri scriptore Gratiano, in vita S. Josephi, nec non Castro in vita Deiparæ Mariæ. Ab his traditur, quod certo quodam tempore Maria, quando cum filio, ut cruentas furentis Regis Herodis manus evaderet, in Ægyptum fugerat, Josepho sponso suo necessariis victui comparandis occupato, in specu quodam aliquantulum delituerit, in quo cum Christo infanti mammillam porrigeret, paucis lactis guttulis super nigerrimam & durissimam speluncæ petram effusis, confestim illa omninò emollita candidaque ut nix effecta fuit. Et ad instar candidissimæ terræ in tenuissimum pulverem conversa; quod si, ô Auditores, tantæ virtutis ac potentiæ paucæ quædam dumtaxat lactis Marianæ guttulæ extiterint, ut inanimati lapidis innatam duritiem emollire potuerint: quantam abundantissimo Mariæ Virginis uberum lacti efficaciam non attribuemus? Et si confiteri cogamur hunc mammillarem liquorem ex natura sua durum lapidem totaliter mollem reddidisse; quid miri cuipiam videbitur, si dicamus Deum nostrum in nos peccatores irâ obduratum, & ad misericordiam inflexibilem, divino lactis Mariæ Virginis succo flexibilem, ac mansuetum effectum fuisse?

Antonius l. 2. Orlogii Principum.

Ad hoc concinnè quadrat pulchra, quam de antiquis Romanis Antonius di Quivera in aureo suo libro intitulato, *Orlogio Principum,* refert Historiola. Accidit certo tempore, quod insuperabilis ille Romanæ militiæ Dux Cornelius Scipio Asianus, hoc glorioso nomine, ob debellatam uni-

versam

versam Asiam insignitus, ob execrandum ac neutiquam in sana republica tolerandum crimen, justissimè in plurimos Romanos, & quidem nobilissimos iratus, severam mortis tulerit sententiam: quam ut pro sua benignitate atque clementia immutaret, vel saltem mitigaret, totus senatus populusque Romanus supplex instantissimis precibus Asianum rogavit, at frustrà: quocircà spretis communibus precibus, suas addidit proprius frater ejus Scipio Africanus, sic ob devictam totam Africam nuncupatus, & pro reis genuflectens, profusis etiam lachrymis, veniam ac delicti remissionem expostulavit: verùm in vanum. Accedens tandem pro miseris deprecatura Amaltha illius nutrix, veste in frustra conscissâ, pectus nudatum, atque ubera quæ suxerat, ei ostendit, atque his signis muta eum sic alloquebatur: O invictissime Dux Asiane, intuere benignis oculis hoc nudum pectus supra quod toties requievisti, intuêre hæc ubera, quæ toties tibi infantulo cum tanto amore porrexi: in horum gratiam, & in tanti à me recepti beneficii gratitudinem, delinquentibus parce Asiane. Quo viso, Asiani accensus furor penitùs evanuit, totusque mansuetus effectus, reis veniam impertitus est. Quod ægerrimè ferenti fratri Africano respondit Asianus: *Quid excandescis frater? Fateor tecum in eodem materno utero delitui: sed hæc mihi vitam conservavit, hæc me proprio suo lacte pavit & enutriit, quid ei negare possum?* Ac si diceret, impossibile est, quin animus irâ obduratus ad pietatem flectatur, ubi tot apparent charitatis insignia.

Ah! si tantum nutrix Amaltha in Asianum Scipionem potuit, quid non Maria Virgo non tantùm Christi nutrix, sed & mater in eum poterit? Et si nutrix ipsius iram atque indignationem ostensis mammillis delinierit, quid non efficiet pro miseris peccatoribus Maria, non solummodò ut nutrix, ubera, verùm & ut Mater, ostentans unigenito filio viscera? Profectò conquerenti de misericordia divinæ justitiæ, respondebit sicut Africano Christus: *Quid excandescis, ô justitia, hæc mihi vitam dedit, conservavit, proprioque lacte enutriit, quid ei negare possum?* Ac si diceret, ô justitia! impossibile est ut detur repulsa, ubi ostenduntur tot amoris indicia. Unde optimè Damianus ait, accedit ad divinæ severitatis tribunal, non rogans sed imperans. *Conquerebatur enim Deus*, inquit Richardus, *antequam nasceretur dicens, non est qui consurgat & teneat me, sed ipsa facta est advocata nostra & allegat pro nobis fideliter coràm filio suo*

Damian. Richar. l. 2. de D. Virg.

ubera eidem repræsentans, & ipse velut piissimus infans delectabitur ab ubere matris. Bene itaque dicitur O Maria, *meliora sunt ubera tua vino.*

Hic non incongruè, sed multùm ingeniosè quis posset inquirere, cur tam mirabilis & accurata sit Mariæ Virgini cura, nos ex uberibus pietatis & charitatis suæ abundanti gratiarũ lacte enutriendi? Et quare tam anxiè à Christo illa ei fuerit demandata. *Pasce hædos tuos.* Celeberrimus Historiographus Plutarchus pulchrâ quâdam quam describit, Historiolâ, ad quæsitum nobis pandet responsum. Narrat ipse nobilem matronam Catonis matrem, simul cum filio Catone, adscitum pauperculæ cujusdam mulieris infantulum, nomine Androinum, propriis uberibus lactâsse, & ad perfectum statum enutriisse, cumque rogaretur, quid per hoc prætenderet? Respondit, *ut Catoni filio meo fidelem servum adipiscar.* Ille idem plane scopus est, in quem Christus & Maria collimant: ille matri nobis lac effundere mandat gratiarum, curamque dat de peccatoribus, *pasce hædos tuos*, & ipsa lætabunda filii mandatum exequitur, ut fidelissimi filii sui Christi servi efficiamur. At proh nefas! quot, quot, pudet dicere? tanto beneficio reperiuntur ingrati! quot sunt fidelissimi servi carnis, mundi, & diaboli, non Jesu Christi. Dic mihi obsecro luxuriosè, an tu es servus Christi, qui carnalibus tuis concupiscentiis, & concubinarum tuarum libidinoso amori servus addictus es? An tu avare, qui ut fluxas hujus mundi divitias, ac inania bona accumules, per fas & nefas, contra justitiam & æquitatem pupillorum atque viduarum hæreditates fraudulenter invadis? An tu vindicative, cujus manus proximi tui sanguine plenæ sunt? An tu insolens juvenis, qui juveniles annos, nonnisi mundi voluptatibus dedicas? Quid! dicam vos Christi fideles servos? Dico, vos ex patre diabolo estis, filii simul & ejus servi. Huic jam dudum ob tam enormia annis & annis continuata scelera in infernum æternis flammis cruciandi præcipitati & traditi fuissetis: nisi piissima hæc mater irato filio, pro vobis paccatoribus ubera sua ostendens, ignem furoris ejus mitigasset; audi hujus testem S. Fulgentium lib. 4. *Cælum & terra dudum ruisset, si non Maria precibus sustentasset:* Et adhuc diviná, ô scelerati, hac spretâ benignitate, piæ matris lentam attenditis misericordiam? Nec imminentem jam nimium provocatam veremini Dei justitiam? Sed sine timore & verecundia obstinatè omnibus illicitis vestris cupiditatibus indulgetis?

Plutarch. in vita Caton.

Fulg. l. 4.

O ho-

O homines tygride crudeliores! ac cane ingratiores! O scelus abominandum! vos immaniores estis Androino, hic quidem fateor Catonis Matris uberibus lactatus, atque in fidelem filii servum enutritus, Dominum suum impiè & fraudulenter iræ Pompei & Cæsaris tradidit. Verùm vos obdurati peccatores divino toties Marianæ misericordiæ succo spiritualiter pasti, ut fideles filii servi redderemini, unicum hujus Virginis Mariæ filium Christum denuò crudeliter traditis crucifigendum, ut ait Apostolus. Cavete, cavete, ô insulsi peccatores, ne toties nimiâ peccatorum vestrorum abundantiâ obstructis gratiæ & misericordiæ Marianis uberibus vobis contingat, quod olim Edmogino Reginæ Japoniæ Sceltæ nomine, contigisse veteres commemorāt Historiæ. Hæc dum partum infantulum uberibus admovisset: Edmoginus furore nescio quo incensus, dexteram mammillam imbelli manu crudeliter dilaceravit. Quo patienter tolerato, amorosa Mater alteram detexit, ac benignè puerum sugendam porrexit, quam rursùs ille furibundus in frusta concidit. Scelta dolore atque indignatione plena, Edmogino præ siti languenti relicto (eo quod nec conductitiæ nutrices pueri feritati ubera committere auderent) in sui materni amoris singulare testimonium exclamavit, *totum dedi, & hoc sufficit*.

Hoc in te, ô scelerate munde, meritò Mariæ insurgere potest opprobrio, ad te jure meritò potest clamare Maria, ô obdurate peccator, ego divino acquiescens mandato, voluntariéque dicens: *Ecce ancilla Domini, &c.* Dexteram mammillam Trinitatis, secundam inquam personam unigenitum æterni patris filium Incarnatum Deum Sadæi, id est Latinè uberum, mundo protuli, ut ex eo salutiferam rectæ instituendæ vitæ normam sugeres: at fera gens propria Hæbraica, tot millibus flagris atque ictibus hanc mammillam enormiter dilaceravit, & in cruce è Christi sanctissima humanitate, tamquàm in torculari pretiosum sanguinis succum in propriam vindictam expressit clamans: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Vatablus legit: *Sanguis ejus contra nos & contra filios nostros.* Et vos, ô peccatores, furentium & insanorum Judæorum vestigia indies imitamini, crucifigentes iterùm Christum.

Attamen hæc benigna misericordiæ Mater, nondum immemor solitæ benignitatis, tamquàm divini thesauri, & omnium Spiritus S. gratiarum dispensatrix, peccatoribus offert lac sinistræ mammillæ sanctissimæ Trinitatis, inquam tertiæ personæ, Spiritus sancti à patre procedentis, gratiæ prævenientis & excitantis: atque continuò cordibus vestris internos ad bonum motus infundit; & tamen omne hujus Matris misericordiæ donum, in peccatis obdurati temerariè vilipenditis. Quid tandem, ô ingratissimi dictura est Maria? Quid in sui gratuiti vobis exhibiti officii favorem allegabit Virgo? Ah profectò nil, nisi ut Scelta: *Totum dedi & hoc sufficit. Perditio tua ex te Israel.*

Inauditam hanc tuam, ô Christiane, Ethnicus Cyrus Persarum Rex potentissimus, erga Virginem Mariam ingratitudinem acriter redarguit. De quo referūnt Historici: quod ipse adhuc tenellus puer, à patruo Monarchiam iniquè ambiente, cuidam regiæ aulæ nobili traditus fuerit clanculò necandus: sed ipse vagientis infantuli misertus, manus innoxio sanguine immunes servans, eum vivum in sylva exposuit; quam fortuitò mulier quædam super gregem vigilias agens, nomine Sino, pertransiens, tenellum puerum è terra levavit, eumque propriis uberibus incognitum lactavit, & ut legitimum suum filium enutriit. Cyrus grandævus regno, ut legitimus hæres potitus, tanto in se Sinonis nutricis suæ beneficio intellecto, eam ad aulam accersiri jussit, gratitudinem regiâ majestate dignam demonstraturus; verùm audito illam fato cessisse, vehementissimè indoluit ac lachrymatus est, eò quod tam benignæ nutrici, atque vitæ suæ auctrici benefacre nequiret. Hoc tamen de eo memoratu dignum, quod indies sæpè sæpiùs ingemiscens submissâ aliquantulum, sed utcumque intelligibili voce, diceret: *O Sino, Sino.* Et interrogatus ab adstantibus aulicis, cur tototies illud nomen repeteret; altâ tum voce exclamavit, *Sino, Sino, utinam viveres!* Hæc sanè sicuti laudanda est Cyri in benefactricem gratitudo: ita & maximè tua, ô Christiane, vituperanda in Mariam ingratitudo. Sino Regem Cyrum à morte temporali & corporali, Maria te ab æterna ac spirituali liberavit. Illa mundi, hæc cœlorum regem proprio lacte potavit. Per illam Cyrus Regni thronum ascendit: per Mariam cœlestem scalam ad supernum æternitatis natura humana erigitur solium. Et quid obsecro vicissitudinis tantæ rependis benefactrici? Clamasne cum Cyro, O Maria! Maria? invocasne illam ac honoras, quæ tuo nullatenus eget beneficio? Ah! quam tepidus es & incurius, ô homo, in colendo vitæ tuæ auctricem Mariam; ubi tamen audis clamantem

tem Bonaventuram: *Non solùm in te peccant O Domina, qui tibi injuriam irrogant; sed etiam qui te non rogant.* Eja ergò expergiſce, ô homo, ex tam turpi ingratitudinis ſomno evigila & ſequere Cyrum, ac continuò mente revolvens eximium Mariæ in te beneficium, intona alacriter, ô Maria! Maria! ad hoc te exhortatur D. Bernardus aureis his verbis: *In omnibus periculis & necessitatibus, & rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat ab ore, non recedat à corde.* Et ſic tua in eam ingratitudine plena Mariæ divinæ miſericordiæ lacte ubera, neutiquàm ſiccabuntur, ſed inceſſanter diffluent.

D. Bernar. hom. 12.

Scelta adhuc ingrati filii Edmogini miſerta, dum eum ex defectu & penuria lactis cerneret morientem, doloris impatiens, ac amoris plena, ingemiſcens exclamavit: *O utinam haberem! non moreretur.* Fatemur ingenuè ô piiſſima Virgo Maria, tamquam ingratiſſimi lac tuum divinæ miſericordiæ & benignitatis cõtempſimus, modò tamen meliora vovemus, & te humiliter rogamus, O Virgo, ut ſis nobis Scelta, tuumque in ingratos conſerves affectum Hoc unicum nobis ſufficit; tu enim dicere non potes, *utinam haberem! non moreretur homo.* Etenim tua turgent divino miſericordiæ lacte ubera, è quibus lactari & enutriri expoſtulamus ô benigna Mater, ut tandem in æternum delectari ab ubere, cum Christo filio tuo cantare valeamus: *Meliora ſunt ubera tua vino.* Amen.

CONCIO QVARTA

THEMA.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas. Prov. cap. 13.

ARGUMENTUM.

Mariam Virginem omnibus, omnium Sanctorum prærogativis ac perfectionibus fuiſſe dotatam; imo nec tantùm eos, ſed & Angelos longè antecelluiſſe, perſpicuè demonſtratur.

A Sæculis tum anteactis, tum moderno, numquam ſufficienter laudatus artificioſiſſimus Apelles, inani gloriâ ac ambitione inflatus, ante obitum ſuum deſiderans, rarâ quâdam picturâ, ſtupendâ arte elaboratâ, poſteritati patefacere; quâ ingenii ſagacitate, quâ manuum agilitate, quâ penicilli directione polleret Apelles: pro prototypo ſibi aſſumpſit pulcherrimam Helenæ Reginæ Trojæ imaginem delineandam. Hujus pulchritudo tanta erat tamque eximia, ut Rex Priamus Helenæ maritus, furentibus undequaque flammis ex altiſſima turri cernens Trojam abſumi, ejuſque ultimum, profuſis lachrymis deplorans interitum, unico Helenæ, (quæ eum conſolatura turrim aſcenderat) adeò refocillatus & recreatus eſt intuitu, ut omni mœrore depulſo, communis calamitatis oblitus exclamarit: *Decor ac pulchritudo Helenæ ruinâ Trojæ meretur.*

Hanc ut perfectè attingeret, formoſiſſimas ex univerſa Græcia juſſit accerſiri filias, ut earum diſperſas pulchritudines, hujus ſcilicet vultus leporē, iſtius eximium faciei candorem, hujus oculorum ſagacitatem, illius corallinum labiorum atque genarum colorem, dentium albedinem, criſpos & fulvos capitis crines &c omnes in Helenæ effigie adunaret. Quâ inventione ac methodo tam artificioſa, atque admiranda ab Apelle producta eſt pictura, ut univerſus obſtupeſcens mundus, tan tâque hujus imaginis venuſtate quaſi excœcatus, ſententiæ ſubſcripſerit Priami: *Decor ac pulchritudo Helenæ, Trojæ ruinam meretur.*

Apelles tamen attentiùs inſpectâ ac conſideratâ hujus Reginæ incomparabil pulchritudine, ingenuè confeſſus eſt, vanam atque inanem eſſe ſuam pingendi artem, imbecillem penicillum, rudem nimium manum ad effigiem unius Helenæ pro dignitate

dignitate ac exigentia efformandam. Unde proprii nominis picturæ inscriptioni: *Apelles me pinxit*, adjunxit, *sed necdum satis*.

Cùm rudi & impolito calami mei penicillo vivis virtutum & prærogativarum coloribus non Helenæ Trojæ, sed Virginis Mariæ cœlorum Reginæ, pulchritudinem depromere attentarē: magni istius artificis Apellis subtili usus stratagemate, non universæ formosarum puellarum Græciæ decorem inspexi, sed totum cœlestis Paradisi ambitum perlustravi, ut arreptæ præ manibus pulcherrimæ Mariæ Virginis imagini deliniandæ cunctorum Sanctorum, imò & trium Angelorum Hierarchiarum perfectiones conjunctim adscriberem. Verùm dum maturiùs modo eximiam atque excellentem Mariæ contemplor sanctitatem, quidquid de ea disseruero, quascumque illi attribuero Sanctorum virtutes, cogor fateri & cum Apelle exclamare: *Necdum satis*, & uti illis Arnoldi Cartonensis verbis, *si linguis hominum loquor & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de Mariæ gloria eloqui potero.* Quia licet multæ creaturæ plurimas diversarum virtutum congregârint divitias, tu supergressa es universas.

Permitte tamen ô clementissima Domina, ut mihi in hoc brevi discursu pro primis, & incoloritis eximiæ sanctitatis tuæ imaginis delineamentis jacere liceat omnium electorum simul virtutes ac perfectiones, ut saltem ex iis non obscurè innotescat quod cunctis major sis: quamvis delitescet quanta sis. Permitte, inquam, ut illud, quod Plinius pulcherrimæ Helenæ ab Apelle imagini depictæ, & Deæ Junonis à Xeuxe famosissimo quoque artifice efformatæ effigiei (eò quod ambo omnem formosarum, illæ Græciæ, hic Argentinæ filiarum venustatem ac decorem in iis congregârant) adscribit elogium: *Simulachrum ex defloratione diversarum pulchritudinum constructum*: illud inquam liceat, ô Maria appendere. Tu enim stupendum es simulachrum ex defloratione sive coagulatione omnium Sanctorum virtutum atq; perfectionum, à supremo illo artifice Deo omnipotenti brachio mirabiliter constructum. Quod elogium quàm propriè & concinnè tibi conveniat, ô Maria, ut dilucidè ostendere valeam, gratiæ tuæ obnixè imploro auxilium, ut tuâ intercessione mens mea tanto celsitudinis tuæ lumine quasi excœcata, Spiritus sancti gratia illuminetur.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.

PErtinacem ob eximiam illius subtilissimi Poetæ Homeri excellentiam, olim inter doctos exortam esse contentionem veteres referunt Historici. Ad tantùm enim, inquit Cicero, celeberrimi hujus viri laudis fastigiū fama pervenerat, ut non tantùm inter subtilissimos oratores ac disertissimos Poetas, non parva extiterit æmulatio, quis dignior & aptior foret ad excelsis titulis, atq; sublimibus encomiis Homerum pro dignitate extollendum: verum etiam dissentiosum inter septem potentissimas civitates commotū fuerit bellum, qualibet eum pro cive suo prætendente. Unde quidam Poeta cecinit:

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri
-- Smyrna, Rhodes, Colophon, Salamis, Chios,
Argos, Athenæ.

Haud dissimilem reor in gloriosa Dei Genitricis Mariæ in cœlū Assumptione inter omnes Sanctorum status cœlestesq; spiritus exortam fuisse litē. Ecce enim ob ascendentis toto superno Paradiso ineffabilē sanctitatis splendorē obstupescēte. Cherubin atq; Seraphim altissimâ voce conclamârunt, quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluēs, pulchra ut Luna, electa ut Sol? ac si dicerent conversi ad cœli cives, ô animæ beatæ, judicate quis dignus thronus sublimitatē, quodve nobile tabernaculum tantæ Virginis celsitudinē adæquare possit? dicite, ô cœlestes concives, in quo Sanctorū cætu collocanda sit illa, quæ sacrosanctis suis inclusit visceribus illū, quem cœli & terra comprehendere nequibant? ad hoc exurgunt omnes SS. Virgines, atq; Mariæ tamquàm Virginū Reginæ inter se supremum destinant locum; SS. Confessores Mariam in Confessorum cœtu collocandam esse contestantur. Idemq; & Patriarchæ & Prophetæ & Apostoli & Evangelistæ & Martyres, imò & omnes Angelorum Chori prosequuntur argumentū, dum omnes omnium in hac intemerata Virgine ac Dei Matre in suprema perfectione conspiciunt virtutes atq; prærogativas. Sed Sanctissima Trinitas Marianæ dignitatis profunditate ac immensitate penetratâ eam super universos Angelorū Choros evexit, atq; sublimavit, quia illa *supergressa est universas* ut ait Epiphanius: *Cunctis solo Deo excepto superior existis: nam formosior es Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico.* Ideoque ei in tantæ sanctitatis premium, juxtà ipsius divinitatis solium

Epiph. ser. de lament. Virg.

solium thronus constitutus est, ut inquit Bernardus: *O Virgo Virga sublimis, in quem sublimem verticem caput Sanctorum erigis? usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis,* quia multæ, ô Maria, filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.

Bern. sermon. 2. Advent.

Et primò Virgo Virgines. Quod tamen miraculum est miraculorum, quia Maria simul fœcunda & vera mater est. Catholicam tamen hanc veritatem quam plurima indubitanter adstruunt Scripturæ loca, & divina oracula; inter quæ satis celebre est illud Jeremiæ: *Novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Sed in quo quæso interrogat S. Hieronymus tam mira, tamq; inaudita consistit novitas? quodnam illud stupendum portentum? & respondet: *Novā rem creavit Dominus super terram. Absque ullo semine, absque ullo coitu, absque complexu fœmina circumdedit virum gremio uteri sui, qui juxtà incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videtur sapientiâ & ætate, sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebatur.* Cui concinit egregiâ eruditione D. Bernardus: *Novum facit Dominus super terram. Quæris quod novum? mulier, inquit circumdabit virum, non ab alio viro virum suscipiet, non humanâ lege concipiet hominem, sed intra viscera intacta & integra virum claudet. Ita sanè ut intrante & exeunte Domino juxtà alium Prophetam, porta orientalis clausa jugiter perseveret.* De Ezechiele loquitur D. Bernard. cujus testimonium *porta hæc clausa erit,* plurimum Mariæ Virginitatē commendat, atque jam tactam doctrinam secundùm S.P.N. Augustinum, S. Ambrosium, S. Cyprianum corroborat. Augustinus: *Porta erit clausa & non aperta, & quasi interrogaretur, cur non aperta est? adjecit, quia Dominus transivit per eam. Porta clausa est, id est, signaculum pudoris, immaculata carnis integritas: non enim est violata partu, quæ magis est sanctificata conceptu.* D. Ambros. *Quæ est hæc porta nisi Maria? ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria per quam Christus intravit in mundū, quando virginali fusus est partu & genitalia Virginitatis claustra non solvit, mansit intemeratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravêre signacula, cum exierit ex Virgine.* Et S. Cyprianus: *Partus ipsius mirabilem modum Ezechiel Propheta ante formaverat, Mariam portam Domini nominans, per quam scilicet Dominus ingressus est mundum. Dicit ergò hoc modo, porta autem, quæ respicit ad orientem clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam, quoniam Deus Israel transibit per eam, & clausa erit.* Quid tam evidens dici de conservatione Virginis potuit? *Clausa fuit in ea Virginitatis porta & per ipsam in hunc mundum de utero Virginis processit, & in æternum porta Virginis clausa, servatâ Virginitate permansit.* Imò hic partus & luculentiùs Mariæ Virginitatem illustravit inquit Bernardus: *Magis per partum mirabilem & mundissimum est decorata Virginitas, ubi lex, ubi jura naturæ abscissa sunt.* Unde notanter inquit quidam modernus: Propheta usus est vocabulo *Dominus* & non *Deus*, ut in prima mundi creatione: *In principio creavit Deus, &c.* sed *novum creavit Dominus*, ut significaret supremum opificem, tamquam absolutum Dominum, nullis penitus naturæ legibus astrictum, miro modo omnem naturæ facultatem divina virtute transcendisse. Hinc, *quid primum miror,* inquit Euseb. *quidve postremum? quod sine virili conceptu est collata fœcunditas, an quod per partum magis est glorificata Virginitas.*

Ier. cap. 31. v. 22.

Hier. in c. 30. Ezech.

Bern. serm. 30. in Purif.

Aug. serm. 2. de Nat. Domini.

D. Ambr. l. de inst. Virg. ad Euseb. c. 4

S. Cypr.

Bern. l. 1. de Passione Domini c. 6.

Eusebius hom. 2 de Nat. Dom.

Et hoc tam præclarum, tamque pretiosum donum nobilissimæ creaturæ matri suæ communicans omnipotens Deus, ad eam dicere videtur illud Canticorum: *Omnia poma nova & vetera servavit tibi.* Vetera matris fœcunditatem, & nova simul & Virginitatem. Sic S.P.N. Augustinus: *Virginis filius & Virginis sponsus attulit Matri fœcunditatem, sed non abstulit Virginitatem.* Ad quas duas hactenus incompossibiles prærogativas alludens, canit Cardinalis Hugo:

Cant. c. 7. v 13.

S. August. l. 2. de fide ad cathec.

Partus & integritas discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Quod privilegiū sicuti nemini ante Mariam concessum est: sic nec ulli post eam concedendum inquit Bern. *Sola hæc est Beata Deipara, in qua Virginitas & Maternitas obviaverunt sibi, in ea semel factum est quod factum non fuerat, nec erit in æternū.* Erat enim hoc gratiæ munus specialiter à SS. Trinitate deputatum in eximium matris ornamentum secundum Idelphonsum: *Virgineus pudor & Virginem super omnes nobilitat fœtus.* Unde mirabile hoc Virginitatis & Maternitatis quasi connubium advertens D. Bernardus obstupefactus ait: *Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudium videlicet Matris, cum Virginitate honore.* Bene itaque O Maria, honorificum hoc triumphali aræ tuæ appenditur elogium: multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas: fœcundas, quia non creaturam, sed universi genuisti creatorē. Virgines verò, quia non tantùm ipsa Virgo es, sed & germi-

S. Bernar. serm. 51.

D. Bern. serm. 5. Assumpt.

germinans Virgines, etenim tu prima votum Virginitatis emisisti.

S. Anton. 4. part. sum. Theol. tit. 15. c. 20. § 10.

Quod constanter de te, ô Maria, docet S Antoninus: *Beata Virgo est Mater omnium in Virginitate, quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo Virginitatis munus Deo obtulit*: Et per Virginitatis votum opprobrium Virginitatis abstulit, & eam in se consecravit, & sic omnes Virgines per imitationem sui genuit. Atque hinc ortum habuêre celeberrima quibus SS. PP. Beatam Virginem cohonestarunt elogia. D. Ambrosius eam appellat *Vexilliferam Virginem, Virginitatis magistram.* Epiphanius: *Principem Virginum.* Damascenus: *Virginum Reginam, Matrem, & gloriam.* S.P.N. Augustinus: *Virginum initium.* Ac tandem universa Ecclesia, *illam Virginem Virginum* luculenter profitetur. Maria ergò instar generosissimi Ducis Joab, qui nullo præcedente, primus vexillum super muros Hebron erexit, prima fuit, quæ candidum Virginitatis vexillum super muros Ecclesiæ evexit, Et sicuti Evandri prima extitit, quæ vestalium virginum ritum instituit: sic Maria prima Virginitatis votum emittendi consuetudini principium dedit. Idcòque S. Thomas à Villa-nova eximium hoc Mariæ pius consecrat encomium, *tu Virgo regia inter Virgines primatum tenes, tu Virginum prima Dux, & magistra, tu Virginitatis forma, tu Virginitatis inventrix, institutrixque, tu religionis hujus sacra prima fundatrix* Et infrà: *O Virginem puram. Virginem unicam, Virginem singularem, & verò singularem, verè unicam ad quam nulla est alia Virgo, ad cujus comparationem omnis alia Virginitas, corruptio videri potest* additq; in mirificâ hujus Virginis laudem, *cui etiam præ aliis, hoc erat Virginitatis insigne, ut conspectores suos Virgines faceret. Erat enim in ea (ut Propheta utar eloquio) Virgines germinans Virginitas.* Quod & clarè confirmat S. Ambrosius dicens: *Tanta erat ejus gratia, ut non solum in se Virginitatis gratiam servaret; sed etiam his quos viseret insigne Virginitatis conferret.* Tu ergò, ô Maria, supergressa es universas.

D. Ambr. de just. Virg. c. 5.
S. Ephip. serm. 78.
D. Damasc. hom. de Ass.
S. August. tract. 10. in Ioan.
S. Thom. conc. 2. de Annunc. Virg.
S. Ambr. loco citato c. 7.

Hoc totum dictum pulchrè & subtiliter indicavit dilectus Mariæ Joannes Evangelista Apoc. cap. 2. dum dixit: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona Stellarum duodecim.* Mira profectò visio; cum enim ad lucidissimi Solis radios stellæ confestim disppareant, quomodò S. Joannes sese mulierem Stellis & Sole amictam distinctè vidisse testatur? S. Isidorus per Solem Virginitatem, per Stellas maternitatem intelligi, Virginesq; soli, Matres stellis, rectè comparari asserit, *Soli eos qui Virginitatem amplexi sunt, Stellis verò, qui honorabile connubium conservarunt comparare licet.* Per hanc mulierem doctissimus Novarrinus Divam Virginem intelligit. Dum itaque inquit Joannes eam intuitus est Sole, & Stellis vestitam, nil nisi Mariam universas fæminas supergressam atque incomprehensibili supremi Dei omnipotentiâ utroque, tum purissimæ Virginitatis, tum fæcundissimæ tantæ prolis Maternitatis lumine circumornatam fuisse insinuat: *Stellis coronatur, quia Mater, vestitur Sole, quia in Maria Virginitatis Sol, maternitatis lumen ab oculis nostris non subducit, sed potiùs illustriùs reddit, nec è contrà fæcunditatis Stellæ Solem puritatis abiisse indicant, sed adesse, & majori splendore lucere.*

Apoc. c. 2. v. 1.
Novar. de Virg c. 20

Et ne in natura ineffabilis Virgineæ Conceptionis vestigium aliquod deesset, author naturæ (teste Aristotele) prodigiosam quandam avem in Arabia commorantem, nomine Ormomegiam, alii avem regiam vocitant; quæ quâdam sanguinis parte è corde extractâ, & ad matricem dimissâ, absque ulla præcedente commixtione maris & femellæ, solo vitali calore, ut cælesti influxu fætum concipit, & producit. Sic Maria ut avis regia (de ea enim cantat Ecclesia, *regali ex progenie Maria orta refulget*) masculum nesciens concipit, & è purissimo cordis sui sanguine divino Spiritus S. calore, & mirabili concursu sacratissimam illam prolem Christum Jesum in lucem edidit. Vacillantibus itaque de Mariæ Virginis integritate hæreticis, appositè illud Job objicere possumus: *Interroga jumenta & docebunt te: volatilia cæli, & indicabunt tibi: & loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt tibi pisces maris.* Aristoteles enim docet quam plurima piscium genera inter quæ Alexem, & Anguillas connumerat, sine ulla maris & femellæ commixtione generari. Et S.P.N. Augustinus, equas in Capadocia ex vento concipere asserit. Ut quid ergo negabimus Virginem concipere potuisse ex vivifico Spiritus S. flamine.

Arist lib. 5. de hist. anim.
Iob 21. v. 7.
S. August. lib. 21. de civ. Dei c. 5.

Nec ab hoc naturæ miraculo fabulosa abhorruit antiquitas, teste D. Cyrillo, quæ Vulcanum ex sola Junone sine patre, Bacchum ex Jabii cruore, & Minervam ex Jovis cerebro prodiisse falsè credebat. Et Ruffinus in expositione symboli, narrat gentiles sustinere Venerem è spuma maris esse ortam, Castorem & Pollucem ex ovo natos. Si ergò infert præfatus author, adeò mirabilia, ipsique naturæ quasi repugnantia autumarint Ethnici; quo fundamento conceptum ex Matre Virgine Christum

Ruffinus.

ſtum hæretici negabunt. *Hic enim fœmina eſt;* inquit, *hic ordo naturæ ſervatur, hic conceptus & partus temporibus ſuis editur, ibi numquam fœmineus ſexus ſed vir ſolus, & partus Qui illa credit, cur hæc miretur?*

Notat S. Cyrillus (ut Chriſtianorum pectoribus indelebilem Mariæ Virginis inſerat venerationem) cæcam gentilitatem adeò Jovem extuliſſe, ut eum omnium Deorum caput declararit: eo quòd virginea mente peperit Minervam. Et S. Dorothæus ad idem narrat Ægyptios ſingulis annis cum infantulo virginem in lecto collocaſſe, eamque tamquam omnium virginum maximam adoraſſe: *Nunc autem* inquit, *virginem in lecto, & infantem in præſepio collocant, & velut prodigium ſuper omnes Virgines adorant.* Quanta itaque exclamat Cyrillus, cum veneratione nos Chriſtiani non colemus illam Virginem quæ è caſtiſſimis ſuis viſceribus mundo peperit Salvatorem? *Si mentem Iovis tam extollunt Poetæ, eò quod puriſſimam filiam genuit Minervam: & Ægyptii ſuper omnes virgines, virginē pariturā tanto tempore venerabantur,* inquit Dorotheus, *quantâ majori devotione, ac humiliori corde nos venerari debemus præ cæteris virginibus Mariam, quæ fœcunditatem virginitati aſſociavit, & mater ſimul, & virgo apparuit?*

Cyrillus.

Doroth.

Huic noſtro inſtituto ſatis congruè adaptari poſſunt verba illa Davidica: *Deus in mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Per mare Mariam Virginem intelligi, non eſt qui ambigat, ſemitæ quas per hoc mare Deus perambulavit, conceptio & nativitas extitêre, quantumcumque perſpicaciſſimè indages, nulla alicujus viatoris veſtigia deprehendes: quia intemeratum Mariæ uterum ingrediens Chriſtus Jeſus, & egrediens, intactam prorſus ejus reliquit Virginitatem, inquit Chryſologus: *Qui ingreditur & egreditur, & introitus ſui, & exitus nulla veſtigia relinquit, divinus habitator eſt, non humanus. Et qui conceptu ſuo Virginem ſervat, & ortu ſuo relinquit Virginem, non terrenus homo eſt, ſed cæleſtis.*

Pſal. 76. v. 20.

S. Chryſol. ſerm. 141.

Nec ſane Maria Virgo in animi pudore ac puritate terreſtres creaturas tantum; verum etiam cœleſtes & Angelicos ſpiritus longè antecellit, ut clarè teſtatur mellifluus Doctor dicens: *Quæ vel Angelica puritas ipſius Virginitati audeat comparari? quæ digna fuit Spiritus S. ſacrarium fieri & habitaculum Filii Dei.*

Bernard.

Sed modò ab hac ad alias Mariæ Virginis præeminentias procedamus ac oſtendamus, illam in arcanis fidei myſteriis elucidandis longè Apoſtolos, & Sanctæ Eccleſiæ Patres ſuperaſſe. S. Brigitta in ſuis revelationibus apertè profitetur Mariam Virginem tamquam magiſtram, ad plenam Diſcipulorum ſuorum inſtructionem, à Chriſto poſt ſuum in cælum aſcenſum, fuiſſe relictam. *Aſcendente filio, inquit, ad ſuum regnum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum conſolationem, & errantium correptionem remanere permiſſa eſt. Erat enim magiſtra Apoſtolorum, confortatrix Martyrum, doctrix Confeſſorum, clariſſimum ſpeculum virginum, conſolatrix viduarum, & conjugio viventium ſaluberrima monitrix, atque omnium in fide Catholica perfectiſſima roboratrix: Apoſtolis namque ad ſe venientibus omnia quæ de ſuo filio perfectè non noverant, revelabat.* S. Brigittæ concinit Rupertus in hæc verba, Cant. 5, cap. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto &c. Opportuna,* inquit, *percunctatio, ſi reſpiciamus ad illa tempora, quando tu dilecta propter Evangelium dilecti præſens aderas, & in corpore detinebaris magiſtra neceſſaria, & teſtis valde idonea contra Iudæos blaſphemantes, & hæreticos chriſtianam veritatem corrumpere laborantes. Pulſandum igitur erat ad oſtium veritatis, & conſulendum oraculum Spiritus S. ſcilicet ſacrarium pectoris tui, ut vivâ voce omnem neceſſariò tenendam demonſtrares regulam fidei, cum teſtimonio ſcripturarum quas memoria tenebas, propheтiſſa magna, & capax omnium prophetiarum.*

S. Brigitta c. 19.

Rupert. in Cant. c. 5.

Ex ultimis citatis doctiſſimi Ruperti verbis dilucidè deducitur Mariam Virginem, tum in ſcientia, tum in prophetia cunctos longè ſuperaſſe, quod evidenter oſtendo tribus argumentis à minori ad majus. Etenim ſecundùm Originem, Elizabeth mediante fœtu D. Joanne ventre materno incluſo Spiritus S. gratiâ in Mariæ adventu repleta eſt; & ſecundùm S. P. N. Auguſt. propheтiæ donum recepit: *Non eſt dubium,* inquit Origenes, *quin, quæ tunc repleta eſt Spiritus S. propter filium ſit repleta, nec enim mater primum Spiritus S. meruit: ſed cum Ioannes adhuc clauſus in utero Spiritus S. recepiſſet, tunc & illa, poſt ſanctificationem filii repleta eſt Spiritu S.* Auguſtinus verò ait: *Ioannes ſpirituali flamine per os matris de naſcituro ex Virgine Chriſto prophetavit, dum enim Moyſis ſpiritus in ſeptuaginta duos conſiliarios diſtribuitur, quid mirum, ſi pueri adhuc in utero manentis ſpiritus per matrem loqueretur?* Conclude modò, ſi tantum cognatæ Elizabeth ob Chriſti in Matris utero latentis præſentiam, collatum ſit beneficium; quid de Maria Virgine dicemus? quæ filium benedictum Chriſtum Jeſum novem menſibus, intimè ſibi præſentem, in clauſtro virginali continuit?

Orig. hom. 7. in Luc.

S. Auguſt. de mirab. ſcrip. lib. 3. c. 1.

Sacra Scriptura narrat Luc. c. 2. Simeonem Jesu infantulo viso, & in ulnis recepto, subitò prophetasse: *Ecce positus est hic in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* At unde tam subitanea Simeoni infunditur vaticinandi gratia? ad hoc notat D. Athanas. Stinaita summum Sacerdotem in antiquo testamento pretiosum in pectore adamantem portasse, vi cujus plurima arcana & futura contingentia vaticinari solebat; quid itaque mirum infert Athanasius, si Simeon habens collo suo, & pectori admotum pretiosissimum adamantem Jesum Christum Dominum nostrum Incarnatum, confestim divinus vates evaserit? si hoc prophetiæ donum minimè in Simeone admiretur Athanasius, quæ quæso admirationis ansa nobis suppeditabitur, dum Mariam Reginam Prophetarum ab Ecclesia proclamari audimus? quandoquidem hæc non semel tantum, nec pauco tempore ut Simeon, sed millies benedictum hunc infantem in ulnis susceperit, atque pectori admotum Virgineis uberibus paverit.

Luc. c. 2. v. 34.

D. Athanas. Stinaita.

Ut tandem admirandam, profundamque Mariæ Virginis de divinis mysteriis depromamus scientiam, eam incomparabili, dilecti ejus filii Joannis super omnes Evangelistas, doctrinâ metiri perplacet. Etenim sicuti à Naturalistis omnium avium nobilissima, & in visu perspicacissima agnoscitur aquila, ita & Joannes Evangelista à SS. PP. cunctorum Apostolorum & Evangelistarum constituitur Coryphæus. S. P. N. Augustinum in testem invoco in Joannis laudem intonantem, *cæteri Evangelistæ in terra ambulant, de divinitate ejus pauca dixerunt. Istum autem quasi piguerit in terra ambulare, erexit se non solum super terram, sed super omnem ambitum aeris & cæli, & super omnes etiam exercitus Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum; & pervenit ad eum per quem facta sunt omnia: dicendo in principio erat verbum.* Quod idem in suis scriptis August. attestatur, de Joanne divinum sensisse Platonem in hæc verba prorumpentem: *Principium Evangelii Sancti Ioannis dignum est, quod litteris aureis in januis omnium divinorum librorum inscribatur, ubi omnes illud legere, eoque potiri possent.*

S. August. in Ioan. serm. 34.

Hoc quoque non obscurè declarat Propheta Ezechiel currum à quatuor diversorum animalium generibus tractum describens, quæ quatuor secundum SS. PP. Evangelistas repræsentant. Et unum externam hominis, id est scilicet Matthæus, aliud Leonis, ut Marcus, tertium bovis nempe Lucas, ac quartum aquilæ ut Joannes speciem præ se ferebat. At hîc appositè annotanda est ipsorum inter se localis, quam signanter exprimit Propheta, dispositio. *Facies hominis, & facies Leonis, à dextris ipsorum quatuor, & facies bovis à sinistris ipsorum quatuor;* supremum vero locum aquilæ S. Joanni tamquam Evangelistarum coryphæo, & principi attribuit: *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor:* ex quo non minus ingeniosè quam disertè argumentatur D. Gregorius: *Locus aquilæ non juxtà sed desuper esse describitur, quia Ioannes verbum patris, dum apud Deum esse denuntiat, super cæteras Evangelistas virtute contemplationis excelluit.* Nec mysterio caret juxta S. P. N. Augustinum, quod Spiritus S. dicat facies aquilæ desuper ipsorum quatuor; ubi videretur ad Joannis præeminentiam dixisse sufficere, desuper ipsorum trium: *Quia hæc aquila non tantum omnes Evangelistas, sed etiam seipsum in describenda temporali & æterna verbi generatione superavit. Et ultrà humanas vires perspicaci intellectus sui divinitus illuminati intuitu usque cælum ascendit.* Cui concinit Dam. *In principio, inquit Ioannes, erat verbum, ecce aquila Dei ad cæli verticem subliminter evolat.*

Ezech. c. 1. v. 10.

D. Greg. in 1. Ezech.

August. tract 16. in Ioan.

Dam. serm. 1. de Ioan.

At unde Joannes tam grandis aquila evasit? Plinius narrat de aquila, quod illa pullos suos jam exclusos, sub alis fovens, cordis vicinioribus magis acutam & perspicacem oculorum aciem indere, ideoque eos propinquius ad fulgidissimum solem accedentes, in eum constanter lumina figere: Joannes ut aquila grandis, vicinior cordi Christi admotus, *qui suprà pectus Domini in cœna recubuit,* acumen ac sagacitatem ingenii super omnes Evangelistas elevatus, à Christo obtinuit, & in lucem inaccessibilem æternæ & temporalis verbi divini generationis mentis oculos firmiter fixit: *In principio erat verbum,* Joan. c. 1. *& verbum caro factum est.*

Plinius.

Ioan. c. 21. v. 20.

Ioan c. 1. v. 2. v. 14.

Fingunt Poetæ in Beotia juxtà Elconæ montem à Cadmo fontem repertum nomine Hyppocrene, aut Aganippe musisque dedicatum, qui à pede equi Pegasii originem sumpsit. Unde cantat Ovidius:

Dicite quæ fontes Aganippidos Hypocrenes
Grata Pegasæi signa tenetis equi.

Ovidius.

Ex hoc omnes Poetas doctrinæ aquam in certa mensura hausisse asserunt: solum verò Homerum labiis fonti indesinenter insistentem depingunt, per hoc innuentes illum cæteros, quantumvis celebres

bres

bres Poetas, in scientia longè antecelluisse, utpotè qui solus è musarum fonte aquam sine mensura ore deprompserat. Cuncti Eccl. Doctores sanam fidei doctrinam è vivifico omnis sapientiæ fonte hauserunt, qui est Christus: *De plenitudine ejus omnes accipimus*, verum quilibet in limitata mensura, *dividens singulis prout vult*, ut inquit Apostolus: *alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii gratia linguarum, alii interpretatio sermonum*: sed Joannes absque ulla mensura in cœna Domini è divinæ sapientiæ fonte suprà pectus Christi recumbens, ut alter Homerus, sacram fidei arcanorum ac divinorum mysteriorum medullam exsuxit, ut disertè profitetur S. Thom. à Villa-nova: *Revelavit illi Christus secreta personæ, secreta domus, secreta regni, in illo namque exstatico somno, quando suprà pectus eius in cœna recubuit, mira de illius divinitate secreta cognovit. E quo evigilans, stupendum illud Evangelii sui exordium, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum mirabiliter eructavit; qualis, ac quantus Philosophus subitò factus est. Quoniam sublimiter super omnem intellectum volavit: neq; è fonte protulit labra caballino, neque in bicipiti somniavit Parnasso, ut sic repentè prodiret Propheta; sed Sancti Evangelii secreta de Sacro Dominici pectoris fonte potavit. O miram scholam! quæ talem repentè Discipulum mundo edidit! non sic doctus Plato, non sic verbosus Demosthenes, sic argutus Aristoteles De divinis disseruit super humanam facultatem, & suprà seipsum elevatus, velut aquila potens magnarum alarum, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.* Scilicet æternam hactenus quasi mundo incognitam, è densissimis tenebris eruens filiationem inquit Chrysostomus: *Verum quonam pacto nullâ habitâ patris mentione de filio sermonem aggreditur? quia omnibus patrem esse constabat, saltem ut Deum, unigenitus autem ignorabatur? quare haud immeritò ad ejus cognitionem à principio statim festinavit, ut nescientibus eum ostenderet.* Unde & illud Joanni Evangelistæ, S. Damianus rectè adscribit elogium: *Meritò dicitur os Dei, lingua Spiritus sancti, logotheca divinitatis.*

1. ad Cor. c. 12. v. 8. 9. & 10.

S. Thom. à Villa-nova Conc. de Ioanne.

Ioan. c. 1. v. 1.

Chrysost. in c. 1. Ioan.

S. Dam. serm. de Ioanne.

Argumentemur nunc à minori ad majus. Si è divino Christi pectoris fonte S. Joanni tantillo temporis spatio super Dominum decumbenti, tam mirifici cœlestis doctrinæ thesauri effluxerint; concludamus, ah! quam immensam, quam incomprehensibilem Maria à dilecto filio suo sapientiam, & scientiam non hæreditavit? illa siquidem Virgo, quæ non in una cœna, sed millenis vicibus suprà ejus pectus, & hic suprà matris ubera & sinum tenellus recubuit. Et si de Joanne dicat Bernardus: *Hausit Ioannes de sinu unigeniti quod de paterno hauserat ille*: à fortiori dicam, è filiali fonte, id est divino ore, æterni patris doctrinam potitasse Mariam. Quandoquidem hæc, ut alter Homerus: huic fonti labiis suis incessanter adhæserit, nec passa sit os suum à dilecti sui ore unquam develli, ad eum instanter clamitans: *Osculetur me osculo oris sui.* Ah! quantâ cum sapientiæ, tum scientiæ, ac prophetiæ, omnisque ut paucis absolvam gratiæ gratis datæ abundantiâ perfusa non fuit tanta Mater, quæ Sacrosancta ipsius scientiæ & gratiæ per essentiam Christi Domini arca extitit, eumque novem mensibus in utero portavit, in quo sunt omnes scientiæ & sapientiæ thesauri? Audite an non acutè idem argumentum objiciat S. Anselmus: *Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat Christus ut ait Apostolus? virtus Dei, & Dei sapientia, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi; Christus autem in Maria: ergo Dei virtus, sapientia, & omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ in Maria.* Unde & illam quoque *thesaurariam omnis divinæ sapientiæ appellat.* Nec immeritò, quia non tantum ipsemet Evangelista Joannes, verum etiam Angelici spiritus multa de Deo mysteria per eam cognoverunt, juxtà S. Ambrosium: *Multa mysteria edocti sunt Angeli à Maria, & Ioanne, quæ ipse ab ea didicerat.*

Bern. ser. 8. in Cant.

Cant. c. 1. vers. 1.

S. Anselm.

Ad Coloss. c. 2. v. 3.

S. Ambr. in c. 3. ad Epiph.

Ne cedat itaque dumtaxat fictæ & vanæ scientiæ summa vani & ficti supremi Dei Jovis Dea uxor Juno, cui occultavit Jupiter quamplurima regiminis sui, juxta Homerum secreta, scientiâ verâ plena Mater Dei Maria: iste enim ut testatur citatus author uxori Junoni apertè dixit: *Noli Iuno putare scituram te omnes sermones meos*; verùm Christus ipsa sapientia cuncta divina sua mysteria ac arcana Mariæ revelavit, ut testatur S. Bernardus: *Sole amicta perhibetur Maria, quæ profundissimam divinæ sapientiæ ultrà quam credi valeat penetravit abyssum.* Et tandem concinnè ad assumptum hujus discursus thema concludit: *Nullus Angelus, nullus Sanctorum ei potest æquari in multitudine, & congregatione bonorum cœlestium, juxta illud, multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

S. Bern. super Apoc.

Unicum

Unicum modò restat Mariæ ab universa Ecclesia decantatum enucleare elogium, ac magnificum encomium, *Regina Martyrum*, ut de ea plenè verificetur, quod Maria quoque in Martyrio Martyres supergressa sit universos. At quia stupenda prorsus est hujus Virginis passio, eaque centenos meretur discursus, de illa, ut brevitati studeam, paucis persolvam. Pro quo sit

CONCIO QUINTA.

THEMA.

Stabat autem juxta Crucem Jesu Mater ejus.
Joan. cap. 19.

ARGUMENTUM.

Quam justè & pulchrè ab Ecclesia Maria Virgo honoretur hoc titulo, Regina Martyrum, dilucidissimè ex SS. Patribus, & sacrâ Scripturâ demonstratur.

DE Regina Artemisia Mausoli Regis Icariæ, Asiæ Provinciæ fidelissima conjuge veteres scribunt Historici: quod ipsa, ut intensissimum, quem vivo marito semper ostenderat, coram toto mundo profiteretur amorem, simulque posteritati cognitum faceret, quot tela in dilecti viri corpus crudelis mors jecisset, tot sese in corde recepisse; magnificum ac pretiosum maximeque dolorosum atque mœstum Mausolo jussit exstrui sepulchrum; in quo tamquam in crystallino speculo suprà modum afflictum Artemisiæ animum orbi daretur intueri universo. Ad hunc finem quatuor famosissimos sui ævi selegit sculptores: qui tanto, ac tam stupendo artificio præfatum opus elaborarunt, ut unanimi in ea arte peritorum consensu, dignum judicatum fuerit inter septem mundi miracula computari. Fabrica hæc quadratæ figuræ erat, in parte, quæ orientem respicit, à celeberrimo artifice Scopa sculpta cernebatur mæsta Juno, quæ mortuum suum Adonidem amarè deflebat. Ad septentrionem mirabili dexteritate varias lugubres peritissimus Briasses figuras collocarat, quæ vivæ quasi intollerabilis doloris videbantur imagines. Nec in hoc opificio arti suæ pepercerat supremus Sculptor Timotheus, sed illud artificiosissimâ Didonis effigiè exornarat, profusis lachrymis deplorantis fœdifragi Æneæ discessum. Ad aquilonem eximius artifex Alcocor omnium stupore dignam imaginem sculpserat pulcherrimæ Carthaginis Reginæ, conantis sallis oculorum aquis extinguere voracem ignem urbis Trojæ. Erat moles hæc in circuitu quadragintorum pedum, & alta cubitis viginti quinque. Porticum habebat sustentatam viginti sex columnis prophyro extisis. Tandem in suprema parte dolorosa visebatur Artemisiæ velo coopertæ statua, emortuum dilecti Mausoli corpus in gremio recipientis, illudque non lympidâ (ut gentilium mors erat) aquâ, sed propriis lachrymis lavantis. Huic insculptum erat hoc epitaphium, lugubreque dictum *quis explicabit?* quo significabatur nullum capacem fore Artemisiæ dolorem exprimendi.

Cum tantum fidelissimæ hujus Reginæ perdilecti privatæ conjugis consortio mærorem attentâ mente intueor, illum nec umbram quidem Marianæ tristitiæ in passione, & Christi unigeniti Filii sui morte extitisse ingenuè profiteri cogor. Artemisia enim terreni Regis naturali fato mundo erepti corpus incruentum in sinu ostentabat: at verò Maria Virgo tanta, tantique filii æterni Regis Mater, ex propriâ mortalis facti voluntate, sanguinolentum & undequaque crudeliter rabidorum Judæorum flagris dilaceratum cadaver à

Josepho & Nicodemo in gremium è Cruce suscepit teste Alano! *Ioseph & Nicodemus ipsum de cruce deposuerunt, & super genua Mariæ declinaverunt.* Et si Artemisia lachrymis suis mariti corpus, Maria filii proprio sanguine lavit, quem è manibus, iis acutas è benedicto filii capite spinas extrahendo, graviter læsit, abundanter effundebat; quod maternæ pietatis Theophilactus obstupescens obsequium exclamat, *O admirabile commercium! miscebatur sanguis Mariæ, cum sanguine Christi.* Ut Osæas vaticinatus fuerat: *Sanguis sanguinem tetigit.*

Theoph. Osæ.c.D.

Unde si Artemisiæ doloris magnitudinem ejus effigiei insculptam indicat epigraphe, *quis explicabit?* poriori jure omnes pariter clamabimus, Mariæ Virginis planctum, lachrymas, dolores, martyrium, atq; tormenta *quis explicabit?* etenim ut benè ait de præsenti materia Guilielmus Parisiensis: *Etsi Enceladus alter forem, tantarum rerum pondere nonnè penitùs succumberem?* Ego in hoc discursu quod certum scio, apertè confiteor. Ostendam scilicet Mariam in filii sui passione tot tormentis fuisse afflictam ut jure meritò sibi usurpare queat illa filii verba: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus!* sed ante imploremus per Virginem Spiritus sancti adjutorium dicentes ave.

Thren.c.1. v.12.

Stabat autem juxta Crucem Iesu Mater ejus.

Cum arduum Marianæ passionis describendæ onus aggrederer, memini rursùs memorati pictoris Apellis stratagematis ad pulcherrimam Helenam artificiosè delineandam: illoque firmiter statueram in præsenti proposito uti; ut, sicut ipse omnium formosarum universæ gratiæ puellarum venustates ac vultus pulchritudines in Helenæ facie simul coadunando picturam produxit artificiosissimam: ita ego omnium afflictorum hominum, ac omnium Martyrum tormenta dispersa, Laurentii v.g ignes & craticulam, Protomartyris Stephani lapides, Petri, & Andreæ crucem, Pauli ensem, Bartholomæi cultrum, dolorosæ Virgini Mariæ conjunctim adscribendo, illam omnium Martyrum Reginam vobis clarissimè ob oculos ponerem. Sed heu! rursus sicut Apelles (ut Concione præcedenti annotavi) argutius inspectâ admirabili Helenæ forma, exclamare coactus fuit, necdum satis; ita & ego, indagatâ ex SS. PP. Mariæ Martyrii atque passionis immensâ gravitate, coarctor fateri omnia omnium Martyrum tormenta, omnesque in unum conglomeratas & coagulatas angustias ac dolores: ne micam, nedum umbram Dei genitricis Martyrii attingere. Quin imò Martyres omnes in comparatione hujus Virginis passionis, nihil perpessos esse constanter assero, innixus solido, ac irrefragabili S. Anselmi testimonio dicentis: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit: aut nihil in comparatione tuæ, Maria, passionis.*

S. Ansel. de excel. Virg.c.5.

Et sanè rectè, aliorum enim Martyrum passio momentanea fuit & breviter pertransiens, at Mariæ diuturna & continua ab instanti quidem Conceptionis Christi usque ad mortem perduravit, ait Rupertus his verbis in ejus persona: *Cum igitur talem filium in sinu foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem, qualem, quantam, quamque prolixam me putatis materni doloris protulisse passionem? ut meritò dicere potuerim, fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Et hæc Mariæ Virginis tormenta in quantum adaucta sint, cum dilecti filii sui candidissimum corpus diris sævorum tortorum flagris, propriis oculis minutatim concidi, atque dilaniari conspexit, & spinea pungentissima corona tenerrimum caput crudeliter perforari: quis dubitet? Audite Anselmum de flagellatione disserentem: *O Domina, quos fontes lachrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, & carnem de carne tua ab impiis crudeliter dissecari?* Et rursùs: *Æstimabam siquidem quod nudato corpore, formosis membrorum lineamentis parcerent; sed heu! in momento temporis ejus corporis superficies ita sanguine superfundebatur, ac si purpurâ esset circumdatus, & in stuporem, & deformitatem transformatus omnibus apparuit quasi leprâ percussus.* De Coronatione ait Beatus Amadæus: *Currit Mater ad Iesum non tantum in odorem unguentorum, sed in multitudine dolorum, non solum in gaudio consolationum, verum in abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem Mater ejus in diademate, quo coronavit eum noverca synagoga; & ipsa coronata est coronâ tribulationi.*

Rup.l.1.in Cant.c.1.

Ansel.de compass. Virg.

Idem dial. de Pass.

B. Amad. hom.5.de Virg.laud.

Quam rectè tunc ad Gabrielem poterat exclamare Maria! O cœlestis paranymphe, tu ave gratiâ plena mihi protulisti; quomodo dulcedo in ama-

amaritudinem conversa est? ecce quam gratiâ plena appellasti; tribulatione repleta est. Nec S. Antoninus de Mariana passione loquens illam salutatione Angelicâ, *Ave Dominus tecum* interpellare audet; cum jam derelicta, illud sibi quam optimè pro replica attribuere possit Maria à contrario, *si Dominus mecum, quomodo invenerunt me mala hæc.*

Deut. c. 31. v. 17.

Sed quis immensitatem Marianorum dolorum penetrabit? quis explicabit cuncta ejus tormenta, quæ dum filium ultimum in Cruce exhalantem spiritum est intuita pia mater reddere? si S. Ansel. præcedentes Mariæ dolores dixerit fore explicabiles his verbis considerans illud Thren.: *Magna est velut mare contritio tua: quis existimare potest quantâ tristitiâ, & mœrore & dolore vulnerabatur cor Mariæ super unici & naturalis filii passione: quem tàm castè concepit, tàm gaudiosè peperit, tàm dulciter aluit? vidit eum ligatum, & solvere non potuit: vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit, vidit sanguinem fluere, & abstergere nequiit.* Ecquis igitur cordis Mariæ angustias in filii morte nobis pandet?

Anselm.

O perdilecte Mariæ fili Joannes! enarra quæso Mariæ devotis compatientibus occulta passionis ejus mysteria. Tu sanguinolentæ hujus tragœdiæ oculatus testis extitisti, tu è Mariæ oculis, tamquam è duobus scaturientibus fontibus, sanguineas in terram diffundi conspicatus es lachrymas; tu lamentabiles, quibus surdas æterni patris aures pulsabat, voces audivisti. Tu benè & disertè infamem Christi capturam, ingrati militis alapam, aliaque tormenta descripsisti, tu electum illum Calvariæ montem, in quo cruentum illud holocaustum, in totius mundi redemptionem, Patrisque pacificationem offerri decretum erat, appositè designasti; tu inauditam Judæorum crudelitatem, & stupendam Christi mansuetudinem annotasti: tu legisti quàm curiosè condiscipulus tuus Matthæus varia in passione Christi facta portenta, scilicet terrá tremuisse, petras scissas, monumenta aperta fuisse declararit; & tu adeò taciturnus de Mariæ tormentis subtices? eja, eja Joannes denuntia nobis quis fuit dolor? quæ passio Mariæ?

Matth. c. 28.

Heu! heu! nec verbis movetur, nec lachrymis, sed totus obmutescens hæret, nihilque profert, nisi *Stabat juxta crucem Iesu Mater ejus.* Quid hoc rei, ô Joannes? tam distinctè & enucleatè insensibilium & inanimatarum in nece creatoris sui dolorem descriptum cernis, & tu Mariæ Matris tuæ luctum à nobis abscondis? pro justa Joannis Evangelistæ excusatione, & tàm alti de Maria silentii fundamentali alleganda ratione:

Recordor pulcherrimæ quam de peritissimo pictore Timanthe Plinius & Valerius Maximus narrant historiæ. Hic conatus luctuosum Ephigeniæ Agamemnonis filiæ sacrificium vivis coloribus repræsentare, artificiosè depicto mœsto calcante præ nimia anxietate ululante Ulysse, capillos è capite vellente Ajace, ac Menelao lachrymis inundante: ad Agamemnonem Regem Ephigeniæ patrem, mortem dilectæ filiæ deplorantem depingendum, dum manum admovit, artificioso suo penicillo mœstitiam illius ad vivum exprimere cogitans, arti suæ diffidens incapaxque tantæ tristitiæ prototypum juxtà fati exigentiam delineare, eum, vultu sudario coperto, lachrymas oculis abstergentem depinxit. Ac si diceret, ecce spectatores, dilecta filia in patris conspectu è vita trahitur: ejus planctum, paternorumque viscerum ex compassione commotionem quis exprimet?

Plin. & Val. Max.

Haud dissimiliter perspicacissima Evangelistarum aquila in describendo cruentissimo æterni patris, & temporalis Mariæ Matris filii holocausto sese gessit Joannes, Sat longâ enim Historiæ serie inauditæ Christi Passionis circumstantiis enarratis Mariæ dolores divino suo calamo expressurus, tantá ponderis mole oppressus, penitùs obmutuit, ac dicere suffecisse sustinet, *Stabat juxtà crucem &c.* Attende ô homo qualis Mater Maria, & qualis filius fuerit Christus, & ex amore Mariæ erga filium, ut ex ungue leonem ejus intensissimum dolorem cognosces. Ita excusat taciturnitatem Joannis Doctissimus Novarrinus, *Appositè apponit Ioannes, stabat juxtà Crucem Mater ejus, cæteras particulas dolorum transcurrens. Quis enim explicare poterit, quam magni in Maria dolores fuerint?* Quoniam cum ex vi amoris desumenda sit mensura doloris, & amor Mariæ secundum Bernardum sit infinitus, sylogisticè sequitur, ergò infinitus fuit Mariæ dolor, cui ratiocinationi ipsemet applaudit dicens: *Virginis dolor fuit major plusquam omnes creaturæ portare possent; quantò enim plus amabat Christum, tantè plus dolebat: & amor, quem ipsa portabat, Christo fuit infinitus.* Ergò & dolor passionis. Eadem mensurâ utitur Richardus aureis his verbis: *Quanto incomparabilior a*

Novarr. de Virg.

Bernard. serm. 15.

Rich. Vict. in Cant. c. 26.

*mavit, tanto vehementius doluit; unde sicut non
fuit amor, sicut amor ejus, ita non fuit dolor simi-
lis dolori ejus. In martyribus magnitudo amoris
dolorem linivit passionis, sed Beata Virgo quantò
plus amavit, tantò plus doluit. Unde quia plus
omnibus dilexit, graviùs passa fuit mente quàm
carne.* Meritò itaque Beata Virgo ab Ecclesia Re-
gina Martyrum appellatur.

Magni apud omnes æstimatus fuit fortissimi
Regis Davidis amor in Absalonem filium, etsi
rebellem & paricidam: cujus inopinatus interi-
tus adeò paterna viscera commovit, ut teste Scri-
pturâ incessanter pro filio mortem expetens cla-
mârit: *Absolom fili mi, fili mi Absolom! quis mi-*
2. Reg. c. 19. v. 4. *hi det ut moriar pro te?* Non secus sanè in nece
perdilecti, non perduellis Filii Jesu Christi Mater
ejus ad filium clamabat, inquit Bernardus: *Ma-*
Bern. de Pass. vitis myst. c. 10. *riam verò quoties capite cooperto ingemuisse putas
lugendo filium & dicendo: fili mi Iesu! Iesu fili
mi! quis mihi det ut tecum, & propter te moriar,
fili mi, dulcis Iesu!* & altâ voce ejus loco cruci af-
S. Bonav. in Sp. c. c. 4 figi expostulans, ut ait S. Bonaventura: *Christum
singultibus interruptis alloquitur baculum sene-
ctutis meæ! quare me dereliquisti? Nolo enim abs-
que te vivere. Nonne tu vita mea, lux mea, con-
solatio mea, refugium meum, portio mea, benigni-
tas mea, gaudium meum, & omnes deliciæ meæ?
vivere enim sine te, mors mihi est.* Et quia tor-
menta ac vulnera filii in carne Mariæ stigmatizari
visibiliter denegatur, invisibiliter imprimun-
tur, ut attestatur jam citatus S. Doctor dicens
ad Mariam: *O suavissimum cor amoris! cur
conversum es in cor doloris? adspicio charissima
Domina cor tuum, & jam non est cor, sed fel ama-
rum & myrrham, & absynthium video. Quæ-
ro matrem Dei, & invenio spinas, clavos, lan-
ceam, spongiam, atque acetum. In Cruce quo-
que quæro Christi Matrem & invenio sputa, lu-
dibria, flagella, vulnera, quia tota conversa es
in ista.*

Si itaque apud fabulosos Poetas tantæ fidei
extiterit ficta amantium Metamorphosis, quis
non piè credet Mariam in Crucifixum Jesum
suum amatum transformatam fuisse, omnesque
ejus pœnas in corde sensisse. *Hoc solùm restat*, ait
Ibidem. Bonaventura, *quod ipse in corpore, tu verò in corde
passa es, nec non singula vulnera per corpus ejus
dispersa, generaliter in tuo corde sunt unita, tuam
ipsius animam pertransivit gladius. Tu Domi-
na in tuo corde es lanceata, tu amaris clavis in-
clavata, tu illusa & exprobrata, tu contumeliis &
maledictis affecta, etiam felle & aceto potata.* Nec
mirum, quia verè Maria & Christus mysticè u-
num quid erant, ut concinnè insinuat D. Grego-
rius suprà hoc stabat &c. *Stabat, eò quod Crux &* Greg. in moral.
*clavi filii, fuerunt etiam & Matris; erant enim
duæ mysticæ cytharæ, quarum una sonante, reso-
nabat & altera, etiam nullo pulsante. Iesu dolen-
te, dolet & Mater, Christo crucifixo crucifigitur
& Mater.* Quod & apertè S. Hieronymus at- S. Hier. de Passione.
testatur: *Quot læsiones in corpore filii, tot vulnera
in corde Matris. Clavi, quibus corpus Christi
pendebat in Cruce, & cor Virginis confixum ha-
bebant; nullum ictum recipiebat filii corpus, cui
non tristis Echo responderet in corde Matris.* Sed
& crucem ipsam corporaliter simul cum filio
subire ferventi amore anhelabat Maria, inquit
Bonaventura loquens in ipsius persona: *Heu fili* Ibidem.
*mi! heu me dolentem quid faciam? quare me
permittis stare juxta crucem, & te in cruce? O
chare fili, quare non acquiescis petitioni infelicis-
simæ matris? quare vis sine Matre stare? cor meum
tecum est, sume ergò & corpus meum, & ambo in
cruce moriamur.* Qui amoris ardor adeò intima
Mariæ præcordia accenderat, ut, si fas fuisset, ipsa,
ut altera Thysbe, quæ amantis sponsi morte cog-
nitâ, ut mors, quos vita separataverat, conjunge-
ret, propriis manibus ense pectus transfudit, ut fa-
bulatur Ovidius, sibi, dilecto sponso occumbente, Ovid. l. 4. Meth.
vitam eripuisset.

Verùm cùm divinum Matris & filii simul mor-
tem inhibuisset decretum; amorosum inter Chri-
stum & Mariam, ut inter Orestem & Pyladem Cicero in dial. amicitia.
contemplor exortum conflictum: hic, ut author
est Cicero, cùm in regionem Tauricam confu-
gissent ad sedandum, quo Orestes agitabatur, fu-
rorem, quia Clitemnestram matrem in adulterio
deprehensam occiderant, essentq; à Rege Thoan-
te ob violatum Dianæ sepulchrum apprehensi,
Rex Orestem morti adjudicavit. Cum verò ig-
noraret uter eorum foret Orestes, Pylades supra
omnes amicissimi necem non æquo animo fe-
rens, se Orestem esse affirmabat, è contrà Ore-
stes se supplicium promeritum contendebat, ut
vitam Pyladis conservaret. Haud secus Maria
exclamabat ô perfidi Judæ, me me dilacerate,
corpus hoc diris clavis cruci affigite. Ecce ma-
nus & pedes: ego rea sum, hic autem innocens
quid mali fecit? & ad filium conversa dicebat,
heu fili mi Jesu! quis mihi det ut moriar
pro te?

Videor audire maternis querelis responden-

tem filium. O Domina, acquiesce æterni Patris voluntati, expedit, ut unus homo moriatur, ne tota gens pereat, hunc amarum passionis calicem, quem pater mihi propinavit, non vis ut bibam illum? hunc sitiebam fatigatus ab itinere, ad hunc toties ardenti anhelavi desiderio, discipulis dicens: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Ad hæc Maria, dicto tò *fiat voluntas tua*, Unigenitum suum in humani generis redemptionem in monte Calvariæ æterno Patri obtulit. Sic pulchrè Arnoldus Carnotensis: *Omnino hîc erat una Christi, & Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.*

Luc. 12. 50

Arnoldus de laud. D. Virg.

Unde si magni olim apud Spartanos æstimata fuerit nobilissimæ matronæ Celeuciæ constantia, & in patriam amor, quantum nos Christiani Mariæ animi fortitudinem, & erga genus humanum amorem non extollemus? De Celeucia refert Plutarchus, quòd ipsam funeralibus filii sui unigeniti in bello pro patria cæsi, immotam adstantem, quædam mulier ex compassione, illius fortunam iniquam deplorans, sit consolata, & exclamarit: *O infelix fortuna!* quo audito, Celeucia ad eam conversa, indignabunda respondit: *Per Castores propitia. Cujus enim gratiâ eum peperi, nisi ut pro Sparta moreretur, id sum consecuta?* De Maria verò ait sacra Scriptura, *Stabat juxta crucem, &c.* ac immota lugubre considerans spectaculum, plorantibus Angelis, motâ terrâ, lugente Sole, tristitiæque signa & portenta mundo ostentante universo, ac muto modo clamante: *Heu infelix fortuna!* corde respondit, ad instar Celeuciæ, *sanè propitia, cujus enim gratiâ eum peperi, nisi ut pro homine moreretur? id sum consecuta.* Ideoque ait Richardus: *Beata Virgo nec passionem filii impedivit, nec crucifixoribus maledixit.* Et paulò pòst: *Sicuti tu Domine salutem humani generis in Cruce sitisti, sic & ipsa Virgo sitivit. Stabat enim juxta Crucem, non ut dolores filii tantùm consideraret, sed ut salutem humani generis exspectaret.* Sicque Mariæ amor longè Celeuciæ amorem excessit: hæc enim pro Spartana Republica hominem purum & terrenum peperit ac obtulit: illa verò hominem Deum & cælestem mundo edidit universo, & consecravit.

Plutarch.

Rich. de laud. D. Virg. l. 10.

Historiographi duo mirabilia ad nostrum institutum commemorant spectacula, unum, Crœsus Regum opulentissimus ad necem vinctis manibus post tergum deductus: alterum illustris Zenobia Regina Phalmirenorum, ab Aureliano Imperatore aureis ligata catenis, Romam in triumphum adducta præbuit: hæc enim duo mirum ac stupendum, quod in monte Calvariæ contigit spectaculum, in se complectitur. Ecce Rex omnium Regum potentissimus, & Dominus dominantium, à rabidis militibus vinctus ad mortem rapitur: & cælestis illa Zenobia Virgo Maria, aureis ab Aureliano Cæsare Christo Jesu amoris catenis alligata, *dilectus meus mihi, & ego illi*, ad Crucem & internam mentis mortem, in triumphum inseparabilis amoris deducitur; unde non incongruè de Maria mihi dixisse videtur Bernardus: *Stabat juxta Crucem Christi emortua Mater, quasi mortua vivens, vivebat moriens, moriebatur vivens, nec poterat mori, quæ vivens mortua erat.* Imò & eam cum Christo spiritualiter sepultam fuisse, ait Brigitta: *Verè dicere possum,* (loquitur autem in persona Mariæ) *quòd sepulto filio meo, quasi duo corpora in uno sepulchro fuêre.*

Bern. de lament. Virg.

Brigitta l. 2. revel. c. 21.

Mirabilem Spiritus sancti, æternâque memoriâ dignam nobis de Respha narrat historiam, 2. Regum c. 21. è qua quantus sit matris in filios amor, quantus in eorumdem morte cruciatus, facilè quilibet dignoscere poterit. Prudentissimus ille Rex David, intellecto à divino oraculo, populum Israêliticum, ob commissum Saulis in Gabaonitas scelus, dirâ fame atque extremâ annonæ penuriâ premi; convocatis Gabaonitis, dixit: *Quid faciam vobis, & quod erit vestri piaculum, ut hæreditati Domini benedicatis.* Ad quod Gabaonitæ responderunt: *Non est nobis super auro & argento quæstio, sed contra Saul & domum ejus:* Petieruntque in expletionem delicti septem de domo, & semine Saulis crucifigendos tradi. Cui petitioni Rex David consentiens, inter cæteros duos Resphæ filios, quos ipsa pepererat Sauli Armoni & Miphiboseth cruci addixit. Quo mœsto nuntio percepto, Respha, ut in natos amoris sui magnitudinem commendaret, eos lachrymabunda ad luctuosam tragœdiam, ac funestum exitum comitata, non solita, sed numquam audita pietatis officia, usque ad ultimum vitæ halitum ipsis demonstravit, nec ab iis quoque post mortem cessavit, ut clarissimè indicat textus: *Tollens autem Respha filia Aja cilicium, substravit sibi super petram: corpora suspensa contra mordaces aves defendens, nec dimisit lacerare eos per diem, neque*

2. Reg. 21. v. 4.

V. 10.

beſtias per noctem. Imò à cruce nullâ aeris injuria, nec æſtu ſolis, nec noctis horrore paſſa eſt ſeſe divelli, donec charorum filiorum cadavera de ligno deponerentur.

Ah quàm aptè hæc hiſtoria noſtro quadrat propoſito! æternus Pater benignus & miſericors Deus, cernens ob Adæ protoplaſtis divini prævaricationis præcepti juſtitiam furore incenſam, in totalem generis humani ruinam conſpirare, illudque fæcundi benignitate & gratiæ roris penuriâ penitus langueſcere animadvertens, ejus miſertus, ut ſupplicii imponat modum, juſtitiam ad Sanctiſſimæ Trinitatis tribunal citat, dicitque, ut ita dicam, ſicut alter David ad Gabaonitas: *Iuſtitia quid faciam tibi, & quod erit tui piaculum, ut benedicas hæreditati Domini?* Ut grave Adami delictum generi humano condones, atque illud miſericordiæ tradas? at illa vindictæ inhians, prorſuſque implacabilis ſacrificia & oblationes veteris legis ſpernit, Abrahæ circumciſionem tamquam imbellem explodit, legem Moyſaicam, ut inefficacem irridet, atque pertinax ab homine rigoroſam expoſtulat ſatisfactionem juxtà illud

Pſal. 84. v. 8. Davidis vaticinium, *frater non redimit, redimet homo*; petitque ad hoc non hominem purum, ſed hominem Deum infamiter crucifigendum. Annuit pius David, unicumque ſuum filium verbum æternum fæcundo intellectu patris genitum cruci tradit, hoc mortale & impaſſibile, in Mariæ Virginis utero, mortali & impaſſibili carnè indutum obediens patri æterno mortis ſententiam, in primi parentis expiationem lubens ſuſ-

Ad Hebr. c. 10. v. 5. cepit, & ut ait Apoſtolus: *Ingrediens mundum dixit, hoſtias & oblationem noluiſti, tunc dixi ecce venio.*

Sed nunc ad doloroſam, & amoroſam Matrem Mariam redeamus, cujus ſanè amori & dolori amor & dolor Reſphæ palmam cedat, neceſſe eſt: Illa enim ab inſtanti verbi divini conceptionis myſterii, paſſionis filii non ignara, ſicut amorem in corde fovit, ita & continuò dolorem & compaſſionem in pectore enutrivit, nec ullam umquam Chriſto infantulo lactis guttam è candidis uberibus ſtillavit, quam in ſanguine convertendam, filii paſſioni deſerviturám non præſagiret. Quis tunc dolor Mariæ? quis cruciatus? meritò,

Cant. c. 1. v. 12. profectò corde ingemiſcens, clamabat: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, ideoque ne filio quandoque paſſuro, fortè invita deeſſet officioſa Mater, utque ſemper materna præſtaret obſequia, numquam eum dereliquit, ſed ad crucem uſque comitata eſt. Audite quàm diſertè ut ſolet S.P.N. Auguſtinus Marianam laudans conſtantiam & erga Chriſtum amorem hoc atteſtetur; *Numquam te deſeruit, non in infantia, non in adoleſcentia, non in paſſione tua, numquam tibi defuit ejus ſolatium, ſed neque obſequium: lactat infantem, audit & ſequitur prædicantem, videt & comitatur patientem & contemplatur opprobria.* Fuit itaque Maria inſtar Sileni, qui ut poëtæ fingunt, in mundo peregrinantis Bacchi ſummi Jovis filii aſſiduus erat Pædagogus ab illo deſtinatus, ut ſedulam ſemper curam filii gereret. *Aug. tr. 117. in Ioan.*

Nùnc audite Chriſtiani ex D. Bernardo, an doloroſa Virgo, crucifixo filio in Cruce pendenti non longe excellentiora doloris ſimul & amoris oſtenderit ſigna? *Surſum manus niſu, quo poterat extendebat unicum ſuum amplecti deſiderans, nec valebat. Volebat amplecti Chriſtum in alto pendentem, ſed manus fruſtrà protenſæ, in ſe comploſæ & complexæ redibant. Levabatur à terra ſurſum ut dilectum ſuum contingeret, ipſumque tangere nequiens, duriſſimè collidebatur in terram, Ibi doloris immenſitate oppreſſa, proſtrata jacebat. Sed maxima vis amoris quo incenſa mens ejus ardebat, eam erigere compellebat, & amoris impetu ſurgens, reextenſis manibus ſuum attrectare filium affectabat, & rurſùs magno cruciata dolore, terram repetere cogebatur.* Nec etiam ut altera Reſpha crucem deſeruit, niſi benedictum ſinum ſuum, qui tenello infantulo Chriſto inſtar cunæ inſervierat, feretri munus obeuntem videret. *Bern. de lament. D. Virg.*

Modò ne quis forſitan Mariæ martyrium aliquomodo vilipenderet, eò quòd illa non ut cæteri Martyres paſſa ſit in corpore, ſed dumtaxat in corde, & ut cuilibet pateat, quantum in gravitate martyrium mentis antecellat martyrium corporis; operæ pretium eſt, curioſum, & indagatione dignum, ob quam rationem Deus nullum qui Paſſionis Chriſti oculatus fuit teſtis, ejuſque Cruci adſtiterit, corporaliter permiſerit martyrizari inquirere; non tantum enim præſumendum eſt, at indubitanter credendum, Deum dilecto Diſcipulo ſuo Joanni, putatitio patri ſuo Joſepho, quem ex S.P.N. Auguſtin in cap. 27. Geneſ. aſſerente illum tempore mortis Chriſti adhuc ſuperſtitem triſti huic ſpectaculo interfuiſſe quidam SS. PP. deducunt, imò & pro-

priæ

priæ ſuæ Matri Martyrii aureolam ſine myſterio denegaſſe. Et quod argumentum plus corroborat eſt, quod in Joanne miraculum, ne in ferventiſſimum oleum miſſus, ac venefico calice potatus, ne corporaliter martyrium ſubiret, permiſerit.

Ad hoc declarandum rectè quadrat illa, quæ de Empedocle Athenienſium viro primario à veteribus refertur hiſtoria. Hic ob civilem quamdam contrà rempublicam factionem (ceteris ejus aſſeclis à ſenatu ad mortem condemnatis (in exilium relegatus, conſanguineis & amicis urbe diſceſſurus obviam venit, qui unanimiter ei de tam benigna ſententia congratulantes, illum ſolum felicem proclamarunt, quos torvis oculis adſpiciens ac mordaci voce alloquens Empedocles ait: O *ſtulti! durius eſt martyrium cæteris quod patior: alii ſuſtinuerunt tormenta in corpore, ego verò in corde, & vivus à patria & diis abſtineo.* Sic & tormenta Chriſti dilectus Joſeph, & charus Joannes in corde cæteris martyribus corporaliter martyrizatis longè crudeliora ſuſtinuerunt: & præ omnibus Chriſti genetrix Maria de qua B Amadæus: *Maria in Paſſione Domini vicit ſexum, vicit hominem, & paſſa eſt ultrà humanitatem, torquebatur enim in corde magis in Chriſto, quam in ſe, quia ſuprà ſe incomparabiliter diligebat id, undè dolebat.* Hinc neutiquam Deus Mariam permiſit corporaliter martyrizari, quia doloris ipſius martyrii omnia martyria ſuperabat.

Nec quidquam ſolatii aut tormentorum decrementi, Mariæ Virginis martyrii confert pia S. Ambr. ſententia, qui ait: *Stantem lego, flentem non lego,* ſed magis magiſque adauget. Ut hujus veritas pateſiat, pulchra de Samnite Ægyptii, & Cambyſe Rege Perſiæ, quam Herodotus narrat, mente recolenda eſt Hiſtoria. Hic Samnitem bello ſuperatum ac captivum affligere ſtudens, primò ante oculos ejus filiam habitu mancipiorum indutam cum cæteris aquam gerentem introduxit, poſt in conſpectu ejus unicum dilectumque filium ferro ac ponderoſis compedibus vinctum adduci curavit. Ad hæc duo lugubria ſpectacula ut indurata rupes immotus ſtetit Samnites; at à Cambiſe deductus die quodam per urbem, viſo amico aulico panem oſtiatim emendicante, abundantes effudit lachrymas, omniaque doloris ſigna, caput parietibus impingendo, crineſque evellendo oſtendit. Et à Cambyſe rogatus, cur potius miſerum extranei, quam filiæ, filiique ſtatum deploraret? reſpondit. *Filii aſpectu præpeditus plorare non potui, & in lachrymas prorumpere, quia ſi flere mihi conceſſum eſſet, jam ex hoc mihi pœna lenior fuiſſet: Sed domeſtica mala graviora ſunt, quã ut lachrymas recipiant.* Hoc triſtitiæ ſolamen ex lachrymis agnoſcit ipſemet Ambroſius: *Paſcunt frequenter lachrymæ, & mentem allevant, fletus refrigerant pectus, & mæſtum conſolantur*: gravitas itaque fuit doloris Mariani, quæ oculorum lachrymas impedivit, ſicque ſtrictius cor ejus coarctavit, quia domeſtica mala unigeniti ſcilicet filii ſui cruenta mors & crudelis paſſio graviora erant, quàm ut lachrymas reciperent.

Ambr. l. de inſt. Virg. c. 3. Herodotus.

Sed crudeliſſimus gladius, qui tenerum Mariæ cor transfodit, illiuſque ſævus carnifex extitit, ipſemet fuit filius ejus Chriſtus Jeſus, dum ad deſolatam matrem clamavit: *Mulier ecce filius tuus,* quia non ait Mater, ſed mulier, jam factus filius crucis; quæ verba quàm dura Mariæ fuerint cùm loco naturalis filii audiret ſupponi filium adoptivum Joannem, ex D. Bernardo percipite ad Virginem ſic loquente: *An non tibi pluſquam gladius ſermo ille reverà pertranſiens uſque ad diviſionem animæ & corporis: Mulier ecce filius tuus? ô commutatio! Ioannes tibi traditur, ſervus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero, quomodo afflictiſſimam animam tuam non pertranſiret hæc auditio? quando noſtra licet ſaxea, licet ferrea pectora ſolâ recordatione ſcinduntur.* Et ad Chriſtum converſus Bernardus, piè pro Domina ipſum Chriſtum interpellat: *Quid meruit mater ut jam non eſſet mater? imò quid non meruit ut jam compenſaretur? & hæc eſt compenſatio? jam non eris mea mater, nec ego ero tuus filius.* O dura metamorphoſis! ô crudelis transformatio! quis hic non obſtupeſcat tam mitis filii, in tam crudelem ergà piam genetricem commutationem? Apud omnem poſteritatem etiam gentiles, abominanda nefandi Imperatoris Neronis habita eſt ſeveritas, eò quod propriam matrem alienis manibus crudeliter juſſerit necari; & tu Chriſte matris tuæ tibi uſque ad mortem fideliſſimæ propriâ linguâ, ut acutiſſimo gladio, animam transfigis? Ah quàm rectè Maria virgo cum matrona illa Theſſalonica lamentari poteſt! quæ ut narrat Trogus, à Tyranno Ægypti proprio filio ſuo, morti adjudicata, altâ voce ſuſpirans exclamavit: *Hoc ſolum mihi durum eſt à proprio filio occidi.* Idipſum inquam, doloroſa mater intonare poteſt: *Hoc ſolum mihi durum eſt, à proprio filio pati.*

Bern. Epiſt. 6. ad Paulinum.

Verum

Verum ô piissime atque mitissime Jesu! cur adeò severus in matrem, quæ in te tam benigna & officiosa existit? illa in castissimis suis visceribus novem mensibus cum gaudio reportavit, tanto tempore uberum lacte liberaliter pavit, ab ira Herodis, non verita densissimas noctis tenebras liberavit, anxia in templo perditum quæsivit, & ad crucem euntem non dereliquit, & ita tanta in te collata pietatis obsequia matri rependis? Ah! in quit Richardus, id fervens filii amor facere coegit, qui enim matrem, quam super omnes tenerrimè diligebat, super omnes Martyres elevare, ac reginam Martyrum creare statuerat, illam durissimum martyrii genus, scilicet cordis sustinere debere decreverat. Audite ejus verba: *Voluit siquidem filius ut omnium Sanctorum speciositates participaret mater sua, imò universam Sanctorum pulchritudinem excederet, & sicut appellatur Virgo Virginum, ita Martyr Martyrum debet appellari.*

Rich. lib. 1. de D. Virg.

Fuit itaque sponsus, & filius Christus sponsæ, & matri Mariæ amarosus carnifex, & non crudelis. Verum quod præcipuum Marianæ passionis fuit instrumentum. Nunquam annotastis, Martyres omnes cum instrumentis, quibus passi sunt depingi? Andreas enim cum cruce. Paulus cum gladio, Laurentius cum craticula, Bartholomæus cum cultro proponitur, & sic de cæteris. At quomodo quæso exhibetur Mariæ martyrium? Sanè diversimodè; quandoque enim illam emortuum filii corpus in sinu suo repositum, profusis lachrymis contemplantem depictam intueor. Nec absque fundamento; Christus enim verissimum matris martyrii extitit instrumentum, quoniam vulneribus Christi corpori inflictis, aliis Virginis Mariæ menti correspondentibus, quod Christus in carne, ut supra dictum est, Maria patiebatur in corde. Quandoque etiam cum gladio pectus Mariæ perfodiente: & etiam rectè, quia & hic Mariæ Virginis visera invisibiliter quidem, sed non insensibiliter transfixit, juxta Simeonis vaticinium: *Tuam ipsius animam gladius pertransibit.* Quod tunc maximè impletum est, dum Longinus Christi pectus crudeli lanceâ aperuit, ut mellifluis verbis attestatur Bernardus: *Posteaquam emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli, tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Martyrem te non immeritò prædicemus, in qua corporeæ passionis sensum excessit compassionis affectus.*

Bernard. serm. 1. hoc signũ magnum.

Viso jam per lanceæ vulnus Christi corde perforato, mihi Mariam imperterritam imitatam fuisse, imò longè superasse videtur inauditã Sigismundæ Principis Tancredi filiæ animi fortitudinem. Hæc ut narrant Salernitani annales plurimum adamabat Principem quemdam Palatinum Guiscardum, Pater in utrumque amantem crudelis, corpori Guiscardi crudeliter & impiè occisi cor exscindi jussit, illudque in phiala aurea repositum filiæ misit: cui hæc verba insculpta erant. *Ecce cor amantis.* Sigismunda tam infami ac tristi spectaculo obstupefacta, phialam volvens & revolvens, in hæc verba prorupit: *Sapienter ô Pater cor aureum aureo tumulo honorasti.* Et ad cor reversa exclamavit: quid in amoris & gratitudinis tesseram amanti refundam? Et aliquantulum hæsitans, pugionem tandem arripuit, & proprio cordi infixit cum his verbis: *Vt cor corde rependam.* Pater æternus per Longinum Mariæ charissimæ sponsæ cruci adstanti mittit, non tantum sponsi sed & unigeniti filii sui cor, ut in eo contemplaretur ejus immensum amorem, cujus ardore inflammatus Christus non solum Mariam matrem, verum etiam totum humanum genus redemit. Huic sponsi amori, ut correspondere Maria, gladio contemplationis proprium cor perfodit, illudque charo Christo filio suo vicissim consecravit, ut cor corde rependeret, præbens omnibus Christi fidelibus exemplum, ut cor suum utpote hominis primogenitum Deo offerant; quatenus cuilibet veraciter ad Deum possit exclamare, ecce in testimonium tanti accepti beneficii, & amoris tui tesseram, *cor corde rependo.*

Sed sicuti inter gentiles paucæ inventæ fuerunt Sigismundæ, mundano correspondentes amori, ita proh dolor! vix inveniuntur grati Christiani, qui divinæ Christi Domini Charitati cor suum cum Maria dedicent, dicantque ob hoc, & infinita alia beneficia cor meum & animam meam in sincerum gratitudinis pignus offero; sed quam plurimi à Christo aures & cor avertentes ad fabulas, id est ad divitias, honores, voluptates, ac mundana convertuntur. Resipisce, resipisce ô Christiane, Deus cor tuum exigit, quia suum ultrò dedit, & tu impie illud consecras luxui, carni, dæmoni, ac illecebris mundi? Tuam intollerabilem tibi maturè considerandam relinquo ingratitudinem.

Et me ad te converto ô piissima Domina, ad te venio

venio, de cujus martyrio pauca me dixisse confiteor; superant enim tui in Christi passione tolerati dolores & tormenta humanum intellectum; accedo ad te pro gratia deprecaturus, ut omnes tuâ intercessione ad Deum (sine quo nihil possumus) memores reddamur passionis tuæ & Christi, quod & unanimiter, & ex intimo corde expostulamus aureis hisce D. Bernardi verbis: *Vtiam dolor ille, quem tunc passa es, sic nunc inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tunc tuis! utinam die, quo assumpta fuisti in cælum, ut in æternum gauderes cum filio tuo, mihi indicares lachrymas tuas, ut per illas cognoscerem, quantum tibi amaritudinis fuerit, cùm Iesum dilectum tibi, sed heu! heu! parum dilectum mihi, clavis in ligno crucifixum, capite inclinato suum exhalare spiritum videres. Mihi itaque obsecro lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti, dum stares sub Cruce, ut ego tibi, & filio tuo possim condolere.* Et sic condolendo in hac vita æterna gaudere beatitudine.

CONCIO SEXTA.

THEMA.

Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum.
Joan. cap. 1.

ARGUMENTUM.

Maria Virgo omnium cælestium donorum, & gratiarum est receptaculum, meritòque ab Ecclesia hoc elogio honoratur, Regina Sanctorum omnium.

MIHI Marianis laudibus & prærogativis intento, ac planè inscio, quomodo ad hoc immensum Matris Dei perfectionum mare transmeandum felicia vela panderem, pergrata nec minùs proposito congrua, quam Jovi affingunt Poëtæ, occurrit fabula; cujus meminêre doctissimi scriptores Plutarchus & Hesiodus. Dicunt illi, quodam tempore Jovem Vulcano demandâsse, ut fœminam quandam speciosam & formosam efformaret, cæteras omnes pulchritudine, vultus venustate, atque faciei decore longè antecellentem. Vulcanus præcepto summi Jovis obtemperare desiderans, operi confestim manum admovit, fœminamque tantâ arte, industriâ, tantâque pulchritudine eminentem perfecit, ut illa semidea videretur; verùm enimverò hanc attentiùs intuitus, ei quàm plurima Deorum ac Dearum dona, perfectiones, atque divinas prærogativas deesse intelligens: Jovem, reliquosque Deos deprecatus est, ut singuli singulas productæ fœminæ impertirent perfectiones & virtutes. Cujus voto & instantibus precibus annuente cælo, primò omnium Mars ei fortitudinem contulit, Minerva sapientiam, Venus venustatem, Mercurius eloquentiam, Apollo musicam donavit. Et tandem supremus Deorum Jupiter pro coronide illam summæ potentiæ munere nobilitavit. Hæc post tanto virtutum coruscans splendore, deabus annumerata est, illique Pandoræ nomen inditum, quod omnium donorum congregationem significat.

Hesiodus tom. 1. Plut. lib. de Fortuna.

Fabulosa quidem fateor hæc enarratio est, merumque commentum; verùm si hoc ad Catholicam veritatem detorqueamus, illud valde excellenter Deiparæ Virgini Mariæ summæ illi Dei Pandoræ historicè convenire comperiemus; etenim hanc tres Sanctissimæ Trinitatis divinæ personæ adeò donis atque cælestibus gratiis locupletarunt, ut omnes, quæ dispersæ in omnibus Sanctis repertæ sunt perfectiones ac virtutes, luculentius

tiùs in Maria effulserint, ut ipsamet testatur: *In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis*: v. 25. Vatablus legit, *In me omnia.*

Eccl. c. 24. v. 25.
Bernard. serm. 4. in Psalm.

Quia ut rectè ait Bern. *Nihil est virtutis, quod in te non resplendeat, & quidquid singuli habuére Sancti, tu sola possedisti.* In ea enim maximè enituit Virginum puritas, matrumque fœcunditas, ut probatum est supra, in ea resplenduit Confessorum perseverantia, Anachoretarum abstinentia, Martyrum fortitudo, fervens Apostolorum zelus, ac ardentissima Seraphinorum charitas; *Totam,*

Hieron.

inquit Hieron. *incanduerat eam divinus amor, ut nihil esset in ea, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, ebrietas profusi amoris.*

Unde quod in prima mundi creatione, & in unum mare omnium aquarum congregatione operatus est pro sua prudentia summus opifex Deus, figura mihi videtur immensi Mariæ Virginis perfectionum maris, ad quam omnes omninò omnium, quæ sub cælo sunt gratiarum aquæ defluxerunt; ideo meritò spirituale perfectionum mare potest appellari, ait Bonaventura: *Tanta inun-*

Bonav. in Spec. Virg.

datio gratiæ, tanta profunditas & magnitudo in Maria fuit, ut ipsa bene mare plenum dici possit; sicut enim in mari aquarum, sic in Maria sunt congregationes gratiarum. Et sicut Deus aquas materiales, quæ erant super faciem terræ, in unum congregari voluit: *Congregentur aquæ, &c.* Ita in unam Virginem Mariam, tamquam Sanctorum omnium Reginam, omnem gratiæ abundantiam effudit; & sicuti Pandoræ pulchritudini fabulosi & ficti Dii propria Divinitatis suæ dona elargientes, plurimum eminentiæ & splendoris contulerunt, ita verus Deus in essentia simplex, & in personis trinus, in matris suæ excellentiæ augmentum, non tantùm creatas, sed etiam quoad potuit divinas communicavit perfectiones. Quod attento mox constabit, salutatâ tamen priùs angelicâ salutatione novâ nostrâ Pandorâ Mariâ, ut illius intercessione Spiritus S. adjutorio fulciri merear.

Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum. Gen. 1.

MIrabile & stupendum pluribus apparet, quòd ille Deus omnipotens, qui omnia uno verbo *Fiat* creavit, dum ad hominem venit, quasi prudentiâ ac sapientiâ destitutus esset, aliorum con-

Gen. 1. 26.

silium imploravit; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Scio quàm plurimos opinari, inter quos non tantùm Patres, verùm etiam Rabinus Barcæphas est, Deum sibi ad creationem omnium creaturarum sensibilium & insensibilium, animatarum & inanimatarum, excepto solo homine, verbo *Fiat* deservìisse, pro cujus membris efformandis Angelos deputavit, solummodo corde sibi reservato, cujus, sicut & ipse erat futurus Redemptor, volebat & esse conditor, sic David attestatur: *Qui finxit sigillatim cor-*

Psal. 32. 15.

da eorum, idque ideo, quia pro quietis tabernaculo sibi cor humanum elegerat per Sapientem, clamitans: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Ex hac sententia, quæ non caret suâ probabilitate & fundamento, deduco majorem fuisse zelum & curam Sanctissimæ Trinitatis efformandi unam creaturam super cæteras eminentem Mariam Virginem, in cujus gremio Verbum ipsum tanto tempore debebat requiescere. Hoc apertè satis insinuat Propheta David, dum ait: *Sanctificavit taberna-*

Psal. 45. 1.
Tertull.

culum suum Altissimus. Hinc doctissimus Tertullianus de diva Virgine hunc Scripturæ locum intelligit, *Faciamus hominem, &c. Tractabatur,* inquit, *de homine, in qua latebat hæc Virgo, cogita itaque, totum Deum illi occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, & providentiâ tabernaculo.* Quandoquidem enim Deus tria tabernacula, quæ in veteri testamento fieri jussit, tanti æstimarit, ut illâ gloriæ suæ magnificentiâ, ut patet in primo in deserto exstructo

Exod. 40. v. 32.

Exodi cap 40. repleverit, *& gloria Domini implevit illud.* Septuaginta vertunt: *Gloriâ Domini repletum est tabernaculum.* Chaldaica paraphrasis habet, *Gloria Domini impleverat tabernaculum.* Pagninus verò legit, *& replevit illud spiritus Dei.* Quâ itaque gloriâ, quâ gratiâ, quo splendore, & quâ magnificentiâ vivum illud, & divinum tabernaculum Maria non redundavit? etenim omnes tres divinæ personæ Pandoræ nostræ efformationi specialiter intenderunt, atque summæ illius pulchritudini & perfectioni sedulò studuerunt: *Spiritus S.* ait D. Thomas, *superveniet*

D. Thom. serm. Dominica 4. Quadr.

in te, & ideò concipies sine corruptione, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, portabis sine dolore, ideoq; & quod nascetur ex te, sanctum vocabitur, Filius Dei, ideo paries sine dolore. Ut itaque dignis ac nobilissimum hoc tabernaculum donis, gratiis perfectionibus repleatur, Patris operatur potentia, Filii sapientia, Spiritus S. amor, & Verbum ipsum ad hoc in uterum Mariæ delegatur.

Et

Et ſic divinæ congruebat providentiæ, ne ve-
ritas figuræ & lux umbræ cederet;pro ornamen-
to enim Moſaici quoque tabernaculi exquiſitiſſi-
ma totius univerſi petierat Dominus , ut patet
Exodi c.25. *Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis,*
Exod. 25. v. 4. *aurum, argentum, & æs hyacinthinum & purpu-*
ram, coccumque bis tinctum, & byſſum, &c. Qui
plura requirit, legat cap. 26. & 27. Sed quæ tantæ
pro exſtruendo tabernaculo curæ aſſignabilis eſt
ratio? Audi quid ſubſequatur: *Facientque mihi*
ſanctuarium, & habitabo in medio eorum. Et ut
de Salomonis tabernaculo ſileam, de quo Scrip-
2. Paral. 7. v. 16. tura: *Elegi eum, & ſanctificavi locum iſtum.* Minor
ſanè Dei pro illo ædificando ſollicitudo non fuit,
quod vidit Ezechiel, de quo etiam ſacra Scriptura
Ezech. 43. v. 12. ait: *Omnis ſinus ejus in circuitu Sanctorum eſt.* Si
itaque Deus tantam curam geſſerit, ut ea, quæ
circuirent tabernaculum, ſancta eſſent, nunquid
illa, quæ circulo corporis ſui infinitum circumde-
dit Deum, juxta illud Jeremiæ: *Fœmina circum-*
Ier. 31. 22. *dabit virum*, debuit omni puritate ac ſanctitate
nitêre? & ſi ad ornamenta Moſaici tabernaculi
tam pretioſa à Deo mandata ſint apportari, quia
in Sanctuarium ſibi illud elegerat & habitacu-
lum; quæ dona virturum ac perfectionum Mariæ
Virgini omnipotens Deus non conceſſit, ut San-
ctuarium illud decenter ornaretur? De quo Da-
Dam. ora. 1. de Nat. Mariæ. mianus: *Cedant Moyſis & Salomonis tabernacu-*
la vivo & ratione prædito Mariæ, in qua Verbum
ipſum non tantùm quievit, ſed ex ejus ſanguine
humanitatem aſſumpſit. Certò nullum de hoc
alicui ſanæ mentis poteſt remanere dubium; ſed
aſſeveranter confiteri debet Deum ſuperabundan-
ter, ut infrà dicemus, tabernaculum ſuum Ma-
riam ſanctificaſſe, quæ à SS. PP. *Totius Trinita-*
tis nobile appellatur *triclinium.* Ac proinde illud
potiori jure, quàm memorata antiquæ legis ta-
bernacula gloriâ Domini decuit impleri, ip-
sâque gratiâ per eſſentiam Verbo ſcilicet de-
corari.

Sed hîc modò curioſa ſatis exurgit quæſtio, an
ad ſacrum hoc triclinium ac tabernaculum dig-
nè ſanctificandum omnes omnium Sanctorum
& Angelorum non ſuffecerint perfectiones &
gratiæ? determinare aliquid in propoſita difficul-
tate vix audeo: pro quo mihi occurrit alia quædam
ſubtilis, & dubia primæ diſſolvendæ congrua
quæſtio: cur ſcilicet Archangelus Gabriel Mariæ
laudum & virtutum legatus à cælo encomiaſtes,
Reginam ſuam omnibus gratiis præditam, hoc
non ſalutarit elogio: *Ave gratiis plena* in plurali,
ſed gratiâ plena in ſingulari? nonne enim majori
cum emphaſi & energia cæleſtis ille ſpiritus mun-
do Mariæ excellentiam hoc termino declaraſſet?
Ad quæſitum hoc fultus S. Bonavent. judicio re- S. Bonav.
ſpondeo, Angelum neutiquam exactiùs Mariæ in ſpec.
magnitudinem potuiſſe exprimere, quàm tò *gra-* Virg.
tiâ plena; ipſa namque in Dei matrem prædeſti-
nata, humilitate plena, vas animæ cunctis gratiis
refertum, vacuum reddidit, clamans: *Ecce ancilla*
Domini &c. ubi enim alii legunt, *quia reſpexit*
humilitatem ancillæ ſuæ, Septuaginta vertunt:
Quia reſpexit vacuitatem, fecit mihi magna qui
potens eſt. Hâc enim conſideratâ, Deus, qui ſe-
cundùm Philoſophos & experientiam tamquam
author naturæ vacuum non patitur, nec ut gra-
tiæ author vacuo ſuæ genitricis tabernaculo cæle-
ſti dono adimplendo defuit; verùm quia omnibus
gratiis ſimul compilatis, omnibuſque donis in u-
num congeſtis, id exequi non poterat, quia fini-
tæ tantùm erant menſuræ, è cælo gratia per eſſen-
tiam deſcendit, ut immenſam ac infinitam vacui-
tatem increatâ ac eſſentiali gratiâ repleret. *Im-*
menſa, inquit Bonaventura, *fuit gratia Mariæ,* Idem ibid.
immenſum enim vas plenum eſſe non poteſt, niſi
immenſum illud ſit, quo eſt repletum. Ut itaque
vacuitas illa tolleretur, planè neceſſaria erat gratia, D. Th. p. 3.
quam D. Thomas *gratiam unionis* vocitat, per q. 6. a. 6.
quam gratia per eſſentiam Mariæ corporaliter in-
habitaret.

Ex hoc apertiſſimè patet juxta recitatum S.
Doctorem, optimè Angelum dixiſſe, *Ave gratiâ*
plena: quoniam non niſi verbo Mariæ gratiæ re-
cipiendæ capacitas poterat ſatiari. *Maria enim vas* Bonav. ib.
immenſum fuit, ex quo eum, qui cælo major eſt,
continere potuit, & ſi capacitas tanta fuit, oportuit
ut gratia illa, quæ tantam implere potuit capacita-
tem, eſſet immenſa. Hinc poſtquam Angelus dixiſ-
ſet, *gratiâ plena*, ſignatè hujus rationem ſubjun-
xit: *Dominus tecum*: quo fœtu mox divino ſuſci-
piendo omninò gratiâ erat replenda. Idcircò ait
S. Ambroſius: *Benè ſolâ gratiâ plena dicitur, quæ* S. Ambr. in examer.
ſolam gratiam, quam nulla alia creatura merue-
rat, conſecuta eſt, gratiæ ſcilicet repleta authore.
S. Ambroſius adſtipulatur D. Bernardo his ver-
bis: *Legimus & in Actibus Apoſtolorum, & Ste-* S. Bern.
phanum plenum gratiâ & Apoſtolos fuiſſe reple- hom. 3. ſup.
tos Spiritu ſancto: ſed longè diſſimiliter à Maria: Miſſ.
nec enim in Stephano habitavit plenitudo Divini-
tatis corporaliter, quemadmodum in Maria: nec

Apostoli conceperunt de Spiritu Sancto quomodo Maria.

Et subtilem hunc Gabrielis loquendi modum in singulari, gratiâ plena, quo mirificè ac specialiter eximiæ Virginis Mariæ pronuntiantur laudes, atque prærogativæ, disertè prosequitur S. Epiphanius divinis hisce verbis: *Ave gratiâ plena, multis virtutibus exornata Virgo, in ventris lampade gestans lucem inextinguibilem, Sole splendidiorem: ave gratiâ plena, gratiæ spiritualis insigne vas; ave gratiâ plena, quæ es urna aurea continens manna cæleste; ave gratiâ plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias. Ave gratiâ plena, mare spirituale, habens gemmam cælestem Christum. Ave gratiâ plena, quæ Cherubicum thronum Divinitatis fulgore superas. Ave gratiâ plena, quæ cæli circulum habes, & Deum incomprehensum angusto potissimum in te loco contines. Ave gratiâ plena; nubis columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Quid dicam? Quid proloquar? Quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existis.*

Epiph. ser. de laud. Mariæ.

Et hæc de Marianæ gratiæ plenitudine dicta ratione naturali efficaciter possunt constabiliri. Ab omnibus ut verum receptum est tritum illud antiquorum Philosophorum documentum, cujus meminit D. Thomas 3. part. *Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis communicat effectum illius principii;* ut à Sole v. g. qui est luminis principium, & ab igne, qui est caloris causa, quò viciniùs quis illis appropinquat, tantò intensiùs illuminatur & calefit. Quod in ordine naturæ locum habet, in ordine quoque gratiæ est admittendum, juxta Dionys. & quò magis creatura Deo approximat, eò plus de bonitate illius participat, ideo ait: *Angeli qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis.* Cùm itaque Maria Virgo subtilissimis profundæ humilitatis alis omninò Angelorum choros transcendens, vicinissima, Deoque conjunctissima fuerit, juxta D. Bernardum dicentem: *O Virgo sublimis, in quem sublimem verticem caput Sanctorum erigis, usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum Majestatis;* rectè concluditur, Mariam præ cunctis creaturis de divina bonitate & gratia plus participasse. Imò in tanta abundantia, ac tam copiosa mensura illam recepit, ut Bernardinus de Bustis ausus sit asserere: *In tantum fuit Maria præ maxima gratiæ plenitudine ponderosa, quòd si ipsa sola in una statera poneretur ex una parte, & cæteri omnes Sancti, tam novi, quàm veteris testamenti, & omnes Angeli in alia, ipsa ampliùs ponderaret.*

S. Thomas pa. 3. q. 37. art. 5.

Dionys. de cælesti hierarchia.

D. Bern.

Bern. de Bustis de Annunc. serm. 5.

Fingunt Poëtæ, artis Poëticæ principem Homerum suavi montis Parnassi liquore adeò repletum fuisse, ut ob exundantem ejus plenitudinem tanti ponderis impar, in terram deciderit. Tum reliquos Poëtas ad illum accessisse, singulosque prout poterant, ex illo liquore vasa sua replevisse, cujus virtute & ipsi poëticæ artis aliquantulum participes effecti sunt. Verùm Poëta Mantuanus proximiùs, quàm cæteri ei appropinquans, majusque vas conferens, plus de Parnassi succo participavit, sicque cunctos in scientia longè antecelluit. Haud aliter cùm Christus divinæ gratiæ liquore plenissimus foret, Joanne teste c. 1. *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Ad hunc fontem cucurrerunt Apostoli, Martyres, Confessores, &c. & fluenta ipsius gratiæ receperunt, *de plenitudine ejus*, ait Joannes, *omnes accepimus*, sed in pondere & mensura. Verùm Maria Christo filio maximè propinqua, atque inseparabiliter huic vivo gratiæ fonti adhærens, vasque immensæ capacitatis apportans, sine mensura Christi gratiam, ac divinas perfectiones participavit. De qua D. Thomas: *Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima authori gratiæ, ita quòd Deum, qui est plenus omni gratiâ, in se reciperet.* Justissimè itaque hoc Mariæ Ecclesia appropriat encomium: *Regina Sanctorum omnium.*

Ioan. 4. 14.

Ioan. 1. 16.

D. Thom. 3 p. qu. 17. a. t. 5. ad 1.

Nec hanc prærogativam Virgini Matri suæ denegabit ipsemet filius Christus Jesus, nec quispiam totius cælestis curiæ inquilinus. Et ut à filio exordiar, operæ pretium est verba illa Cant. 4. maturè perscrutari: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno crine colli tui.* Quod mihi sanè videtur parumper paradoxum, quasi sese vulneratum, & sauciatum profitetur in uno crine, ubi immediatè antè clamarat: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Pro hujus declaratione notandum est, quod narrat Historiographus Suidas lib. 1. ca. 9. decerptũ ex Tranquillo, scilicet quòd apud cæcos & gentiles Persiæ incolas magnificum templum olim exstructum, cunctisque Diis dedicatum visebatur, ad quod quilibet pro genio suo, & beneplacito sibi gratum Deum, ut miles Martem, adulter & lascivus Venerem, fur Mercurium, sapiens Minervam,

Cant. 4. 9.

Suidas l. 1. c. 9.

nauta

nauta Neptunum, ebriosus Bacchum, nobilis Jovem adoraturus confluebat. Templum hoc undequaque ornatum erat artificiosissimis Deorum simulachris : inter quæ mirificè supereminebat statua Jovis sine capite sculpta , quem alii proni ac supplices venerabantur. Cujus sculpturæ rationem subjungit Suidas : *Iupiter sine capite cernitur , quia inter Deos penates caput non habet.* Ideòque in Jovis supremam laudem hoc modo illius statuam ignara sculpi jusserat gentilitas.

Non secus divinus sponsus maximam sponsæ suæ prærogativam mundo detegere prætendens, eam inconsiderato capite contemplatur, & supremam omnium Sanctorum Deam declarat , annuens hanc tantæ esse perfectionis , atque eminentiæ, ut ipsummet Deum, qui Mariæ caput est, in uno crine colli sui in admirationem ac amorem simul traxerit. Et hinc etiam aptè Spir. S. dum in Mariana prorumpit elogia, metaphorâ solis utitur, illique lucidissimi hujus syderis splendorem adscribit: *Electa ut Sol.* Quia sicut Sol, ut constanter affirmant Astrologi, in medio Planetarum situs est, tres habens suprà se, Martem scilicet, Jovem & Saturnum, & tres infrà se scilicet Venerem, Mercurium, & Lunam : sic Maria Virgo suprà se dumtaxat in nobilitate ac præeminentia tres SS. Trinitatis agnoscit personas , & infrà se tres Angelorũ continet Hierarchias. Quod clarissimè affirmat Epiphanius : *Solo Deo excepto cunctis superior existit: nam formosior est Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico.* Optimè ergò Maria dicitur *Regina Sanctorum omnium.*

Cant. c.6. v.9.

Epiphanius suprà.

Neque hoc supremum super cunctas creaturas præexcelsæ Dei genetricis quispiam Sanctorum negare audebit, sed omnes illius sublimitati, atque supremæ gloriæ unanimi applaudunt affectu. Pro hujus probatione mihi appositè in mentem incidunt, nonnulla non minus mysteriosa quàm difficilia scripturæ loca , quæ in præsenti parumper dilucidare ab instituto proposito, non arbitror forealienum. Primus est Matth. c. 1. in quo Evangelista de Christi Domini secundùm carnem agit genealogia ; sed utrum omnimodè exacta sit, quispiam forsitan dubitaret. Septies enim in illa genealogia progenitorem Christi nominatum reperio Davidem, verumtamen diversimodè. In initio namque nominato, titulus Regius denegatur : *Liber generationis Iesu Christi filii David,* ubi tamen tè Regis additamentum, ad majorem Christi nobilitatis splendorem deservire videretur. In medio præcitati capituli, Regio nomine bis honoratur. *Iesse autem genuit David Regem , David autem Rex genuit Salomonem.* Rursus (notate ô curiosi) infrà ab Evangelista bis tantæ dignitatis titulus subticetur : *Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim , & à David usque ad transmigrationem Babylonis, & à transmigratione Babylonis, usque ad Christum generationes quatuordecim.* Nunc quæritur cur titulum Regium quandòque Davidi concessum , aliquando subticeat Evangelista ? Dicere Matthæum in carnali Christi genealogia hallucinatum fuisse, indignum est, ac planè hæreticum : quare in hoc aliquod latêre præsumendum est mysterium. Quod ut è tenebris eruamus,

Matt. c.1.

Vers 5. & 2.

Alio Scripturæ loco pro lumine & duce utemur. Hunc urget doctissimus Novarrinus, & curiosè inquirit , cur Evangelista Lucas cap 1. Archangelo Gabrieli divino ad Mariam Virginem legato , adimat Archangeli titulum ei justissimè competentem, illique tantum titulum Angeli tribuat : *Missus est Angelus Gabriel.* Quod certè in notabilem tum legantis, tum legati vergit despectum. S. Lucam prædictus Author similitudine quâdam excusat , eumque fundamentaliter, & juxtà politiæ exigentiam locutum fuisse attestatur. Experimur inquit, & indies præ oculis videmus in Regum atque Imperatorum aulis, in capitis & supremi Principis præsentia subalternorum procerum titulos subticeri , soloque etiam Comites & Duces communi ac vulgari nobilis nomine honorari , quia in quocumque ordine, sive naturæ , sive politiæ, lumen majus obfuscat minus. Sic prudenter Lucas Archangeli titulum in conspectu ipsius cæli terræque capitis, & omnium Angelorum Reginæ consistentis altissimo premit silentio, eique dumtaxat Angeli nomen attribuit, quia incomprehensibilis Mariæ dignitas Gabrielis dignitatem, ut sol procul tenebras abigit, obnubilabat. Audi Novarrini verba: *Gabriel qui Archangelus aut forsan etiam natura sublimitate Seraphim erat, Angelus undè dicitur, quia Virginis conspectu omnis celsitudo dimittitur, omne lumen obfuscatur, cælestiumque spirituum sublimitas, licet alioquin suprema, infima fit, si Virgini conferatur. Gabriel itaque Angelus dicitur, quia ad Virginem missus perhibetur, quæ omnem splendorem obumbrat, & obfuscat.*

Luc. c.1. v.26.

Ex hoc & proposita de Davide elucescit difficultas. Advertite quæso, dum titulo Regio Regius

Propheta privatur, in cujus præſentia adſtet, & cui vicinus ſit, dum illo honoratur. Ecce ter in conſpectu Jeſu Chriſti exiſtere perhibetur, illique proximus adeſt: *Liber generationis Ieſu Chriſti filii David.* Et etiam ut patebit citatum caput perlegenti, ſemel Mariæ Virgini appropinquat.
Verſ. 20. *Ioſeph filii David noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Quid itaque mirum, ſi ſummo cæli terræque Regi, domino dominantium, Reginæque omnium cœleſtium ac terreſtrium creaturarum ſupremam dominii palmam, Regiumque titulum cedat David? Lumen enim majus ut diximus obfuſcat minus. Verum moxè ſuperiorum, ac nobiliorum conſortio amoto, & Salomoni filio, patrique Jeſſe minoribus vicino, Evangeliſta Matthæus honorabilem Davidi verè Regi reddit titulum: *Ieſſe autem genuit David Regem, David autem Rex genuit Salomonem.* Dumque rurſus inferiùs in præſentia Chriſti, *uſque ad Chriſtum generationes quatuordecim,* conſtituitur, denuò Davidis regalis dignitas ſilentio premitur. Quâ myſterioſâ ſcribendi differentiâ Spiritus ſanctus apertè innuit, omnem prorſus, quantumcumque excelſam ac eximiam dignitatem Jeſu Chriſti Mariæque Virginis ſublimitati comparatam nil niſi nudam umbram fore, & illam tanto obfuſcatam ſplendore, ut nives ad fervidos ſolis radios, planè evaneſcere. Concludo itaque omnes cœleſtes ſpiritus ultro cogi Mariam ſuam Reginam, ſupremamque Deum profiteri.

Apoc. c. 4. Pro cujus majori confirmatione locum quemdam Apocal. non minus myſterioſum lubet indagare. Ubi Joannes mirabilem ſeſe apparitionem habuiſſe narrat. Cæli porta totaliter ipſi pandebatur, quo facto univerſus mox apparuit Sanctorum cætus, cui intererant viginti quatuor Seniores coronati coronis aureis: item & quatuor animalia, quorum primum ſimile Leoni, ſecundùm Vitulo, tertium habens faciem quaſi Hominis, & quartum animal ſimile Aquilæ volanti, per quæ Interpretes in hunc locum unanimiter intelligunt quatuor Evangeliſtas. Sed maximè notandum eſt quod ſubdit Joannes:
Apoc. c. 4. v. 10. *Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum viventi in ſæcula ſæculorum: procidebant viginti quatuor Seniores, & mittebant coronas ſuas ante thronum.* Per viventis in ſæcula ſæculorum, id eſt Chriſti agni occiſi
2. Reg. c. 3. ab origine mundi thronum à SS. PP. dilecta ejus genitrix Maria ſignificatur, in cujus benedicto utero tamquam in ſuperbo & regali throno novem menſibus ipſe requievit. Sic disertè docet S. Bernardus in hæc verba: *Vt elevetur thronus ejus ſuper Iudam & Ieruſalem, à Dan uſque ad Berſabee. Thronus autem iſte,* inquit, *in quo ſedit, & requievit David, qui manu fortis & vultu deſiderabilis interpretatur, id eſt Ieſus Dei filius, fuit glorioſa Virgo Maria, quæ elevata fuit ad latitudinem regni, ut de ea dici poſſit quod non ſolum dominatur à Dan uſque ad Berſabee, ſed à mari gratiæ, uſque ad mare gloriæ, & à flumine influxuum divinorum, uſque ad terminos orbis terrarum, regnans ſuper omnem creaturam.* Quo ut vero poſito, me in ſummum ſtuporem rapit, non quod omnes Sancti, ac cœleſtis regni incolæ adorent viventem in æternum, ſedentemque in throno; ei enim debetur omnis honor & gloria: ſed quod coronas ſuas ante thronum, id eſt ad Mariæ Virginis pedes deponant. S. Bern. ſerm. de Aſſumptio.

Apud Antiquos Romanos moris erat omnes totius exercitus ſtrenuos commilitones inſigni contra Romanæ reipublicæ hoſtes, partâ victoriâ, ab Imperatore ac belli Duce, variis coronis cujuslibet expertæ fortitudini atque exantlatis laboribus proportionatis in captivorum hoſtium conſpectu cohoneſtari. Hic obſidionali ex puriſſimo confecta, ille civicâ foliis quercus intertextâ, unus navali aureâ quoque, alter caſtrenſi &c inſigniebatur. Omnium coronarum digniſſima exiſtimabatur exploratoria, quæ in præmium dabatur in ſuis defendendis, & in hoſtibus impavidè perſequendis indefatigabilis diu noctuque vigilantiæ. Hâc coronatum triumphaſſe Cajum Caligulam teſtatur Pierius. Sed hoc neceſſariò obſervandum erat, ut mox triumphantes ſolemni pompâ, & totius urbis applauſu Romam ingreſſi confeſtim rectâ viâ ad Jovis templum procederent. In eo ante ſupremi Dei ſtatuam proni in terra jacentes coronas ſuas deponerent. Per quam ceremoniam ac ritum legale apertè profitebantur nefas fore, quempiam in conſpectu tanti Dei coronatum comparere. Hanc Romanorum vanam religionem Soſium, dum Antiochum ultimum Judaicæ ſtirpis Regem vinctum, Jeroſolymam duxit ad Antonium, obſervaſſe refert antiquiſſimus ſcriptor Joſephus. Ioſeph. l. 22. antiqui. c. 28.

Fateor ingenuè hæc ſtulta & riſu digna ſunt deliramenta, ſed quam optimè tamen in præſenti, difficultati propoſitæ diſſolvendæ deſerviunt.

Haud

Haud dissimiliter enim visum est cœlestis curiæ incolas coronas suas ante thronum deponentes egisse. Hi namque strenui commilitones, postquam sub sanguineo Christi vexillo pro ejus sponsa sancta matre nostra Ecclesia viriliter dimicarint, ac diuturnâ in hac peritura vita militiâ sæpe sæpius infensos inimicos, tam internos, id est proprios carnales motus, & concupiscentias, quam externos, scilicet spiritus infernales, aliosque Ecclesiæ hostes superârint: ad triumphalem in cœlestem Romam desideratam patriam ingressum adaptantur, & à summo Imperatore Jesu Christo (qui reddit unicuique secundùm opera ejus) ovantium coronis insigniti ad supremum Jovem deducuntur. Martyres scilicet aureolâ martyrii, virgines virginitatis, Confessores constantiæ, redemiti, cœlesti curiæ sistuntur. Verum ubi propius accedunt, & non tantum dominatorem universi sedentem in throno Deum reperiunt per essentiam sublimem, sed etiam Deam quamdam per participationem mirabiliter elevatam Mariam: adorato, ut par erat, supremo Deo, coronas suas ad illius genitricis pedes deponunt, ingenuè confitentes nullum Sanctorum quantumvis sublimem ac elevatum in conspectu tantæ Virginis coronatum posse apparere. Quoniam ut rectè ait S. Hieronymus: *Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita in comparatione Matris invenitur perfectus.*

S. Hieron. serm. de Assumpt.

Alii quidem præallegatam Romanorum consuetudinem eò vergere autumant, quod hoc cultu ac venerationis modo urbi Romæ, atque universo Imperio manifestè declararetur, unum Jovem ut Deorum supremum caput, solum dignum esse singulis singulorum triumphantium coronis redemiri. Et hi Scriptores alludunt ad Pauli Æmilii triumphum, qui Jovis templum ingressus, & à congratulante populo Romano, ob stupenda ejus in Rempublicam merita, omnium præcedentium Imperatorum coronis insignitus, ad ejus simulachrum esset deductus, illas summi Jovis aris appendit, hoc cultu ostendens, illi omnes planè victorum coronas, atque triumphantium insignia convenire.

Hoc idem quoque in supremam Reginæ cœli excellentiam humili coronatum ante pedes submissione universus prætendit Sanctorum cœtus, à quo ipsa sola ob stupendam nimiam sublimitatem digna judicabatur omnium cœlestium spirituum coronis insigniri. Ac proindè Patriarchæ suam, Prophetæ, Apostoli, Martyres, &c. suam coronam capiti detrahentes Virgini Mariæ tamquam supremæ cœlorum Deæ, atque Sanctorum omnium Reginæ, aræ supplices consecrant. Unanimiter decantates (ut olim Roma de triumphante Paulo Æmilio) Maria Virgo Dei Mater omnium Sanctorum coronas meretur. Concludamus ergo modò cœlestem curiam congratulabundam hanc Mariæ attribuere prærogativam, *Regina Sanctorum omnium.*

Nec mirum Christum filium dilectam genitricem suam ad tantam sublimitatem ac gloriam evexisse. Ad hoc enim duplici tenebatur titulo. Primò justitiæ distributivæ, quæ secundùm merita ac labores docet elargienda esse & præmia; cujus fervens zelator Deus (qui omnis gratiæ & gloriæ fons est) per Apostolum promittit: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* Ad quod forsitan alludentes veteres Poetæ, ut Pindarus refert, finxerunt laborem (videntes justitiam distributivam è cœlorum regno exulare) justas querelas apud Jovem deposuisse; quòd ipsa mater mundo tàm necessaria, tamque utilis, infæcunda & sterilis sine successore, id est præmio remaneret. Tunc Jupiter, inito cum cæteris diis consilio, ex omnium consensu pro filia labori gloriam donavit. Undè Pindarus ait: *Nata laboris gloria.* Cùm itaque labor Mariæ, illiusque merita omnium Sanctorum labores ac merita incomparabiliter excesserint, justum est mercedem ejus omnium mercedem superare. Et ne in specialibus Mariæ exantlatis laboribus recensendis tempus teramus; tantum ante oculos ponite, quantum non subierit laborem abiens in asperrima montana, ac transitu difficillima conficiens itinera adhuc tenella, & sanctissimo fætu gravida ut Joannem Baptistam in utero Elisabeth delitescentem suo adventu sanctificaret. Cogitate quanto cum labore Jesulum in summa paupertate non aluerit, mente revolvite quâ anxietate & animi pressurâ filium perditum in Jerusalem quæsierit, & quâ difficultate eum à furentis Regis Herodis ira in Ægyptum confugiens liberârit. Et ut unico absolvam verbo, relegite præcedentem discursum, & perpendite quantum dolorem, quæ tormenta, in quibus summus labor consistit) hæc pia Mater in filii passione sustinuerit. Debebat itaque præ cæteris à filio gloria dotari.

1. Corinth. c. 3. v. 8.

Secundò, titulo gratitudinis ad hoc obligabatur filius, quod probo. Subtiliter satis & curiosè quamplurimi inquirunt Doctores, ex qua ligni

ligni ſpecie confecta fuerit Crux Chriſti Domini noſtri. De hac quæſtione varii variè ſentiunt, dum hi olivam, iſti palmam, alii fraccinum, de quâ Virgilius Ecclogâ 7. *Fraccinus in ſylv. pulcherrima*, fuiſſe autumant. Ego aliorum omiſſis opinionibus, quas non rejicio, ſed veneror, ad præſens inſtitutum ultimæ adhæreo, idque præcipuè, quia omnes miræ & raræ, quas natura fraccino arbori indidit proprietates, triumphali Chriſti Cruci ad amuſſim conveniunt. Ex fraccini ligno olim, ut veteres narrant Hiſtoriæ, lanceæ & haſtæ militares promiſcuè conficiebantur, unde Achillis haſtam hujus extitiſſe materiæ Heſiod. ſicut & Plinius affirmat: *Arbor hæc*, inquit, *multum Homeri & Achillis haſtâ nobilitata.* Et de virtute hujus arboris ſic ſcribit: *Ejus tanta eſt vis; ut ne matutinas occidentesque umbras, quàm ſunt longiſſimæ, ſerpens arboris ejus attingat, adeò ipſam procul fugiat. Experti prodimus: ſi fronde ea gyro claudatur ignis, & ſerpens, in ignem potiùs quàm in fraccinum fugere ſerpentem.* Eſt etiam ipſius materia ad plurima utilis, & quia multis morbis medetur, appellatur arbor medicinæ, ecquis non videat fraccino per omnia ſimilem fore Chriſti Domini Crucem? Hâc enim tamquam validiſſimâ haſtâ uſus eſt ad infeſtiſſimos humani generis hoſtes, infernales ſpiritus debellandos, & hæc iis ſicut fraccinus ſerpenti ſemper tàm inviſa, atque deteſtabilis fuit, ut non tàm moleſtum inferni ignem, quam ejus umbram ſuſtinere videantur. Et quàm Crux ipſius Redemptoris quoque mundo perutilis & ſalutifera exſtiterit, quilibet apprimè novit Chriſtianus, cùm in præcipuum humanæ reparationis Chriſto inſtrumentum deſervierit.

Virgil. Ecclog. 7.

Heſiod. Plin. lib. 2. cap. 13.

Nunc hoc ſuppoſito pro vero; rogo cur author naturæ tàm particulares, atque extraordinarias fraccino inſerere voluerit proprietates? Vis ſcire quare? Reſpondeo: quia in hac arbore tribus horis, tamquam in nuptiali thalamo ipſe author naturæ & gratiæ debebat requieſcere. In gratitudinis itaque ſignum hanc ſuprà omnes alias arbores nobilitavit, ac proprietatibus mundo utilibus dotavit, à qua ſuper omnes ſervitium, & obſequium receperat. Modò urgeo argumento à minori ad majus; ſi tantam ipſe Deus inanimato ſtipiti in naturalibus prærogativis elargiendis, ob rationem jam dictam, demonſtrârit gratitudinem, quantam benedictæ Matri, in cujus viſceribus novem menſibus delituit, à qua tot ac tanta recepit charitatis ac pietatis officia? Quantam non ipſi inquam, cujus uberibus tanto tempore lactatus eſt filius in ſupernaturalibus donis Matri ſuæ communicandis gratitudinem oſtendere non debuit?

Veteres Poetæ olim finxerunt (cujus meminêre Lactantius Diodorus) Jovem tanti æſtimaſſe laborem, & curam ſuæ nutricis Amalteæ, cujus educationi traditus fuerat, nec non cibum & lactis potum, quo tenerum illa puerum enutrierat, tàm magni feciſſe: ut in æternæ gratitudinis ſymbolum, pro lacte ab Amaltea ſibi propinato, cornucopiam ei præbuerit figuram mammillæ præ ſe ferentem, in qua omnis omnium cœleſtium donorum continebatur theſaurus: & ex ea omnis boni liquor, ac fælicis fortunæ ſuccus ad Amalteæ nutum & beneplacitum copioſè ſcaturiebat. Si ut putat Nicætas hanc fabulam adinventam fuiſſe, in verum Hieroglyphicum fælicis & abundantis ſtatus, quem cultus divinus, & pietas parit juxtà Pſalmiſtam: *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non eſt inopia timentibus eum;* ſatis aperte Poeticum illud figmentum præſenti argumento quadrat. Etenim ſi Jupiter fictus & inanis Deus ita ſe gratum nutrici Amalteæ demonſtrârit, ut in benevoli animi teſſeram, cornucopiam omnia in ſe cælorum dona comprehendentem, illi dono dederit; quanta benignitatis, gratitudinis & amoris ſigna, Chriſtum Dominum ergà dilectam Matrem ſuam oſtendiſſe aſſeremus? S. Thomas à Vill-Nova, ſuccinctè de abundanti cœleſtium gratiarum in Mariam effuſione ſic ait: *Sicut in creatione mundi in homine collecta eſt omnis creatura: ita in reformatione mundi collecta eſt in Virgine omnis Eccleſia & Sanctorum perfectio: & quidquid fuit in quolibet ſancto illuſtre, in illa fuit.* Neque id mirum; etenim ipſa non ſuavi dumtaxat uberum lacte, ut nuda nutrix Amaltea Jovem, Deum pavit, ſed ex proprio ſanguine, illæſo Virginitatis flore, ipſum, omnium donorum largitorem ac gratiæ fontem, Spiritu ſancto cooperante, intra viſcera ſua concepit. Unde rurſus dico, mirum non eſt, quod SS. PP. tàm aſſeveranter affirmare audeant, Jeſum Chriſtum omnium, & ſingulorum collectivè honorum, dignitatum, prærogativarum cornucopiam Matri ſuæ, tamquam gratiſſimum filium munificentius, quàm Jovem Amalteæ porrexiſſe, vaſque quod ſeſe in ejus nutrimentum effundendo lacte evacuarat, ſpiritualiter adimpleviſſe. De cujus plenitudine ut acciepiamus omnes.

Lact. l. 1. divinarũ instit c. 22. Diod. lib. 4 cap. 5.

Pſal. 33. v. 10.

S. Thom. à Villa Nova ſer. 1. de Nat. Virg.

Ad

Ad te convertimur & humiliter clamamus O piissima Mater,& Domina Maria,aureis hisce Bonavent. verbis, *O fœmina plena & super plena gratiâ, de cujus abundantia respersa, virescit omnis creatura.* Tu ad instar Amalteæ à summo Jove filio tuo omnium cœlestium gratiarum cornucopiam recepisti, earumque constituta es absoluta dispensatrix; asperge itaque famulos tuos rore donorum tuorum: insere pectoribus nostris zelum, pietatem, divini amoris ardorem, ut in nobis exstinguantur fœdæ flammæ libidinis; inspira nobis in persecutionibus & tribulationibus constantiam, dona progressum de virtute in virtutem & ut paucis finiam, da nobis filiis tuis de tuo oleo divinæ gratiæ & auxilii, quia lampades nostræ extinguuntur: id est humanæ vires ad omne bonum prorsùs deficiunt: Ut ad æternas nuptias cum sponso tuo Christo introire per te mereamur.

Bonav. in spec. Virg. cap. 7.

CONCIO SEPTIMA.

THEMA.

Speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Sap. cap. 7.

ARGUMENTUM.

Maria est viva imago ad Prototypum ipsius Dei ab omnipotenti manu delineata, Christo filio simillima.

FAmosissimus ille ævi sui pictor Protogo, quem in artis pictoriæ peritia plurimum excelluisse testatur Plinius, inter celeberrimas quas artificioso suo penicillo depinxit imagines, in maxima apud omnes æstimatione habita est imago Bacchi, illâ enim rarâ suâ pulchritudine, & stupendâ arte mundum universum in stuporem rapuerat; & ob hanc conservandam infestissimus Rhodanorum hostis Demetrius insulam Rhodos, eò quòd id sine hujus interitu & destructione fieri nequibat, destitit expugnare. Maluit ergò inquiunt Historici illam intactam relinquere, quam illud eximium & pretiosum destruere opus. Illam cum elapsis duobus post sæculis Romæ celeberrimus pictor Apelles linceis oculis contemplaretur, in summam raptus admirationem, in hæc verba prorupit: *O eximium opus! mira res! summus labor, artificium maximum! sed deest illi gratia, quam si habuisset, procul dubio fuisset immortalis.* Nec sanè mirandum, à tanto artifice tam artificiosam Bacchi evasisse imaginem; illi enim delineandæ (ut suprà memini) septem annos Protogo insumpserat.

Ah quàm pulchrè hic adumbratur illa imago Virgo Maria miro ipsius omnipotentis Dei manu elaborata artificio, etenim Matris suæ effigiei efformandæ ipse Deus non dumtaxat per septem annos, sed per quadraginta duas generationes ipse moratus est, eique sedulò intentus,effingens illam in Patriarchis, Prophetis &c. imò & omnibus Sanctis ad imaginis mirificum splendorem,omnes omnium donorum Spiritus sancti, ac virtutum colores conferens. Attamen inspectâ tot, tantisque cœlestium prærogativarum ornamentis hâc imagine decoratâ, mihi videtur divinum Apellem Deum exclamasse, *O eximium opus, mira res! summus labor, artificium maximum*, sed deest illi gratia, at quæ quæso gratia? Maria omnium Sanctorum, ut ostendimus, imaginum vivos colores, id est virtutes ac perfectiones collectivè à summo attrifice Deo acceperat; sed horum prototypum, horum virtutes, dona,gratiæ, Marianam excellentiam & eximiam pulchritudinem neutiquam adæquabant. Quid ergo facto opus? Ecce quod Matri deest, supplet Deus Filius: ut, quæ sit immortalis, & Deifica, sese Mariæ statuit prototypum, ut

ut mundo apertè manifestetur, eam speculum esse sine macula, prout est ipsum prototypum divinæ essentiæ, & imago bonitatis illius. Hanc pulcherrimam ipsius Dei imaginem cum sagacibus mentis oculis attentè intueretur S. Hieronymus ad-instar alterius Apellis, exclamavit: *O eximia pulchritudo à Deo rectè depicta & imago prototypi.* Et hoc divino stratagemate tanta nobilissimæ huic imagini accessit perfectio, ut omnimodè Christo filio suo reddita fuerit similis teste Richardo dicente: *Ipsa fuit singularis species Christi, præ omnibus speciosa, Christoque simillima.* Ad quod modò probandum avide aggredi peroptabam, sed quomodo tantæ imaginis pulchritudinem possem exprimere, dum attentè perpendebam, animus objecti difficultate perterritus ab incepto revocabatur. Nec sanè immeritò; si enim peritissimus ille pictor Protogo, ad delineandam Bacchi imaginem septem integris annis assiduò studuerit, quomodo ego imbecillis ingenio ac balbutienti linguâ, vel impolito stylo pulcherrimam Mariæ Virginis imaginem cœlestes, non humanas pulchritudines ac perfectiones in se complectentem; aut exprimere, aut describere potero? sanè ad hoc ipsemet, qui eam effinxit, requiritur artifex summus Deus. Ne tamen ô Maria mira tua occulta omninò permaneat pulchritudo, hujus scintillam saltem conabor in lucem producere, ostendendo te filio tuo (quod non parvum sanè futurum est encomium) esse simillimam. Quod ut ad effectum deducere queam, per tuam intercessionem sponsi tui Spiritus sancti subsidio fulciri obnixè expostulo.

Hier. ser. 1. de Assump.

Rich. de S. Vict. c. 39.

Speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Sap. cap. 7.

PRoposito argumento duo optimè quadrantia reperio sacræ Scripturæ loca. Primus est Prov. cap. 8. *Quando præparabat cælos aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, quando librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, &c.* Secundus est Jeremiæ: *Creavit Deus novum super terram, mulier circumdabit virum.* Ubi advertendum est, Sapientem de Deo opifice atque creatore universi in tempore imperfecto, Prophetam verò Jeremiam, de rara ac insolita cujusdam creaturæ productione tractantem in perfecto fuisse locutum, qui diversus loquendi modus, suo nequaquam caret mysterio, quamvis in quo illud consistat, non adeò clarè pateat.

Prov. c. 8. v. 27.

Jerem. c. 31. v. 32.

Doctissimus Herodotus narrat apud celeberrimos cujuscumque artis opifices consuetudinem viguisse, quod, quando opus aliquod vulgare, & utcumque tantum artificiosum ac excellens, efformassent, nomen suum ei inscribebant in imperfecto per tò *talis me faciebat.* Per hoc innuentes sese alia opera longè perfectiora, magisque artificiosa posse producere. Verùm operi, cui omnem artis suæ energiam, omnes ingenii vires, omnem industriam & curam adhibuerunt, nomen proprium in perfecto apponebant, *talis me fecit.* Hoc significantes artem suam ad non *plus ultrà* pervenisse. Sic Phydias famosissimus sculptor pedibus simulachri Jovis, ob stupendum ejus artificium ab antiquitate inter septem mundi miracula computati, ac pro viva summi Dei imagine adorati, insculpsit *Phydias Carmidæ filius me fecit.* Sic & artificiosissimus pictor Protogo pulcherrimis Cupidinis & Bacchi effigiebus apposuit, *me fecit Protogo.* Hos quoque secutus Apelles Reginæ Trojæ stupendæ ac raræ picturæ penicillo inscripsit: *Apelles me fecit.* Haud dissimiliter reor fecisse Spiritum sanctum. Hic dum tractat de cæli terræ, totiusque universæ creatione, tantum profert nomen creatoris in imperfecto; *Quando præparabat cælos &c.* quia scilicet Dei manus longè plura, nobiliora, eminentiora, ac perfectiora, imò (ut plurimi docent Philosophi) in infinitum perfectiora producere potest; ast dum novum ac stupendum illud prodigium Mariam Virginem, illam mulierem, quæ eum, quem cæli & terra comprehendere non poterant, parvulo ventris sui circulo circumdedit, efformavit, cui omnem prorsùs pulchritudinem, omnemque perfectionem possibilem (quod secundùm præsens Dei decretum intelligo) infuderat, *decebat enim,* inquit Anselmus: *Ut eâ puritate niteret, quâ major sub cælo intelligi nequit.* Cui consonat illud Bernardi: *Deus non potest ordinariâ potestate ipsam perficere ulteriori perfectione.* Dum hanc inquam nobilissimam creaturam elaborandam sibi Deus assumpsit, omnes tres Sanctissimæ Trinitatis personæ omnia sua divina attributa operi tam magnifico perficiendo impenderunt. Pater omnipotentiam, filius sapientiam, Spiritus S. bonitatem, quo divino conatu tam sublimis, tamque eximia evasit hæc creatura Maria, ut Dei attributa ad non plus ultrà devenerint: ut disertè attesta-

Herodotus.

S. Bonav. l. 4 de Virg. serm. 3. a. 2. c. 1. Bernard. serm. 6. a. 1. c. 1.

atteſtatur S. Bonavent. l. 4. de Virg. ſerm. 3. a. 2. cap. 1. *Ipſa eſt, quâ majorem Deus facere non poteſt: majorem mundum facere poteſt Deus, majus cælum poteſt facere Deus, majorem quàm Matrem Dei non poteſt facere Deus.* Quod quoque S. Bernard. conſitetur, dicens: *Nec potentiora, nec ſapientiora Deus facere potuit, quàm quæ in Virgine fecit.* Quia ergò ſupremus ille artifex in Mariæ efformatione ſuam omnipotentiam & ſapientiam fore, quaſi ut ita dicam, exhauſtam, & ad non *plus ultrà* deductam, intuebatur; perfectiſſimæ huic imagini nomen ſuum apponit in perfecto, *creavit Deus novum ſuper terram.* De quo & ipſamet Virgo gloriatur, *qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Undè jure meritò illud quod Spiritus S. eburneo Regis Salomonis throno adſcribit elogium, *non eſt factum tale opus in univerſis regnis*, Mariæ Virgini ſummi Salomonis Chriſti Jeſu throno appropriari poteſt: quia verè non eſt factum tale opus in univerſo mundo, imò nec fiet inquit Bernardus: *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.* Nec mirum, quia eſt à Deo rectè depicta, artificioſè efformata ac divini prototypi imago.

Eccl. c. 24. v. 12.

Bern. ser. 5. de Aſſump.

Ad hoc præſens propoſitum rurſus notatu dignum eſt, Deum cuncta hujus mundi unico verbulo *fiat* creaſſe. *Fiat lux & facta eſt lux, fiat firmamentum, &c.* Gen. cap. 1. At cum ad hominem plaſmandum accingitur Deus, quaſi cooperatores, & conſiliarios adhibens ait: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Cur quæſo tum etiam non imperat ut antè, fiat homo. Tertullianus aſſerit, tunc ut ſuprà tetigi ſupremum artificem omniumque creatorem ſeſe ad Beatam Virginem, quæ in homine latebat reflexiſſe; quæ quia verbi Mater electa, perfectiſſima debebat evadere Dei bonitatis imago, ideoque à tota Trinitate expoſtulabatur, ut quælibet perſona divinas ſuas perfectiones (in quantum puræ creaturæ communicabiles ſunt) huic Virgini communicaret, in eaque formandam omnem ſapientiam, conſilium & providentiam adhiberet. *Cogita totum Deum illi Virgini occupatum ac deditum*, inquit Tertullianus, *manu, ſenſu, conſilio, ſapientiâ, & providentia.*

Gen. c. 1.

Tertull.

De celebri Zeuxe pictore refertur, quod ſemel depingendam in ſe aſſumpſerit Deam Dianam, quàm ut ſecundum ſolitam ſuam induſtriam, fluido ac artificioſo ſuo penicillo ſpecioſam delinearet, ſummum adhibuit ſtudium ac laborem. Cumque incepiſſet corpus, variaque membra vivis coloribus depingere, tantam in ſingulis corporis partibus conſpexit pulchritudinem, tamque ſtupendum in incepto opere intuitus eſt artificium, ut abjecto penicillo, ſibi ipſi, artiſque ſuæ viribus diffidens, quod tàm elegantis formæ corpori proportionatum caput effingere non valeret, opus imperfectum reliquerit, dicto hoc appoſito ſeſe excuſans, *quis faciet?* Haud aliter ille artificioſus artifex Zeuxis Deus ab æterno in divina ſua idæa inſignem imaginem Mariam continebat, illamque in tempore efformare decreverat cum omni omnium Sanctorum perfectione, elegantiâ, ac pulchritudine: ſed eo non obſtante, conceſsâ omni cæleſtium quoque ſpirituum virtute ac nobilitate, adhuc videns maternam imaginem imperfectam, de capite in ſplendore & artificio cæteris membris correſpondente efformando maturè tractavit *faciamus, &c.* Sed quod tàm elegans tamque excellens repetietur prototypum? & ecce non ut Zeuxis arti & potentiæ ſuæ diffidens, ſed ut ille, de quo dicitur: *Neſcit manum à pictura dimovere;* ſuam eſſentiam ſtatuit prototypum, *Faciamus ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Sicque ab omnipotenti artifice altera quaſi Dea, Deoque ipſi & Chriſto effigies ſimillima prodiit Maria. Itaque ipſa eſt vera imago bonitatis illius.

Famoſus ille ſculptor Stiſicrates, ut Plutarchus commemorat, obſervans quoſcumque celebres ſculptores, & famoſos pictores mirum in modum in depromenda Alexandri Magni ad vivum effigie deſudaſſe, gloriæ avidus his verbis Regem allocutus eſt: *Mecum ipſe O Alexander! inſignem ſtatuam in nominis tui gloriam, & honorem affabrè facere cogitavi, quæ ob materiæ incorruptibilitatem æterna, ob fundamentorum profunditatem immobilis; ob magnitudinem molis immenſa, ob ſingularis formæ pulchritudinem oculis intuentium ſit pergrata, tibique ſimillima.* Verum Alexander agnoſcens opus illud naturæ & artis facultatem longè ſuperare, nimium ſibi præſumentem ſculptorem contempſit. Quod in natura arte ſua elaborare non potuit Stiſicrates, hoc in gratia effecit omnipotens artifex Deus. Ille cernens humanas vires excedere ad vivum inſignem ac eminentem, non Alexandri Magni, ſed ſupremæ cœlorum Reginæ Mariæ effigiem efformare: ipſemet illud opus aggredi decernit, mihique videtur exclamare! O dilecta Mater! ego humanum & Angelicum ſupplebo defectum, ego ipſe in nominis tui gloriâ & honorem effigiem tuam erigam. Hæc erit immortalis

Plut. l. 2. de Fortuna.

propter incorruptibilitatem: scriptum est enim per Davidem: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* (*Psal. 15. v. 10.*) Erit immobilis, quia nullâ tribulationum ac passionum tempestate commovebitur, Erit immensa, non quantitatis mole sed virtutis: tantæ quoque erit pulchritudinis, ut in illam ipsimet Angelici spiritus desiderabunt prospicere, eritque tandem viva ipsius effigies, filio Deoque simillima & perfecta imago bonitatis: undè illi aptè insculpi posset hic versus:

Effigiem præfert Virgo Maria Dei.

(*Plin. l. 35.*) Commemorat Plinius Alexandrum Magnum strictissimè inhibuisse, ne quis imaginem suam, nisi Apelles depingeret, non funderet, nisi Lysipphus, non sculperet, nisi Pyrgoteles, aliorum arti pro sua effigie efformanda diffidens. Sic etiam Deus propriam suam imaginem Mariam ipsemet effingere, & tam specialis pulchritudinis operis specialis voluit esse Creator, ut Richardus testatur: (*Richard.*) *Hanc enim gloriam sibi retinuit cœlestis artifex, cujus ipsa Virgo Mater opus est speciale, nec alteri daturus; de Maria enim dicit illud Isaiæ, secretum meum mihi.* Hoc ipsamet testatur Maria, (*Eccl. c. 24. v. 12.*) *& dixit mihi creator omnium, & qui creavit me*, speciali scilicet præ cæteris creatione. Quod insinuare videtur Apostolus dicens: *Tabernaculum non manu factum, non hujus creationis.* (*Ad Hebr. c. 9. v. 11.*) Id est, non communis aliorum productionis est Maria Virgo, sed specialis ipsius Dei, quia est imago bonitatis illius.

(*Dam. orat. 1. de Nat. Virg.*) S. Dam. mirifico affectu in Marianas excurrens laudes, mirabilem de illa sustinet sententiam. Dicit ipse Deum quatuor modis creaturis inexistere. Primò per essentiam, quo modo omnibus planè etiam inanimatis inest. Secundò per gratiam, & sic gratiâ habituali justificatis inexistit. Tertiò per specialia dona, sic Prophetis dono prophetiæ, Doctoribus Ecclesiæ dono linguarum &c. inest. Quartò per identitatem, & speciali hoc modo unicè inest electæ suæ genitrici Mariæ. *Cum Deus*, inquit, *in aliis rebus sit tribus modis, in Virgine fuit Quarto modo per identitatem, nam idem est quod ipsa.* Mysteriosa sanè, ideoque perlucidanda hæc S. Dam. sententia, quæ primo intuitu non erronea tantùm apparet, verùm etiam formalem hæresim continere videtur. Nonne enim indubitatum est, & ipsâ luce clariùs Christum & Mariam esse duas distinctas personas, diversasque substantias? Quomodò itaque Christus idem est quod ipsa? de hoc enim intelligitur Damiani dictum, quod ille scilicet idem sit quod ipsa.

Ad hoc quidam respondent Christum & Mariam à Damiano unum quid censeri largo modo, quia ipse secundùm carnem in Virginali illius utero formatus est. Huic explicationi videtur favere Divus Thomas, (*D. Thom.*) qui inquirit utrum fœtus adhuc utero materno inclusus gaudeat distincto Angelo custode ab Angelo Matris. Et respondet quod non: additque hanc rationem, quia fœtus & Mater tùm unum & idem censentur. Alii, quia sanguis prius informatus animâ Mariæ, posteà fuit informatus animâ Christi, & sic caro, quæ fuit Mariæ, est caro Christi, ut inquit Augustinus: (*Aug. ser. de Assumpt.*) *Caro Christi fuit caro Mariæ, & quamvis gloriâ resurrectionis fuerit glorificata, eadem tamen mansit, quæ sumpta est de Maria.* Et sic videtur propriore primo parum modo ei adesse per identificationē. Alii tandem Damianum sic explicant; quia anima secundùm Aristotelem plus est ubi amat, quàm ubi animat, ex quo inferunt, cùm tenerrimus atque indissolubilis inter Mariam & Christum viguerit amor, & etiamnum viget, idem quasi sunt juxtà vulgare axioma, *amicus est alter ego.*

Pulchram aliam, & pro suo more, ingeniosam adducit D. Bern. explicationem, ideò Mariam & Christum identificari, quia ex substantia Dei patris & substantia Mariæ matris unus, unumque in duabus naturis suppositum effectus est Christus: & cum ut ipse ait, Deus sit in omnibus sanctis propter concordiam voluntatis: *Specialiter tamen est in Maria, cum qua utique tanta ei consensio & conjunctio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret, ac de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret: vel potiùs unus Christus fieret, qui etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset. Nec duo filii, sed unus utriusque filius.* (*Bern. homil. 6. super miss.*) De quo obstupefactus Anselmus ait, (*D. Ansel.*) *intendat mens humana, & contempletur, videat & miretur unum filium consubstantialem sibi pater genuit, hunc sibi unicum, & omnibus modis æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eum ipsum in rei veritate esse permisit Beatæ Mariæ unicum, & naturalem filium.* Alii putant, dictum Damiani mentaliter esse intelligendum juxtà illud Ovidii:

Hi duo corporibus mentibus unus erat.

At hæc non est mens Damiani, qui loco citato Mariam

Mariam Virginem tabernaculo purissimo auro incrustato comparat: quia ipsa est Deitate induta, & idem quodammodo quod ipse Deus. Favet Damiano S. P. N. Augustinus: *Si formam Dei te appellem digna existis*, nec id mirandum, planè enim conveniens erat, inquit S. Bernard. ut à tanto filio, tantæ Matri aliquo modo communicaretur ipsa divinitas: *Oportuit fœminam elevari ad aliquam æqualitatem divinam, per quamdam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum.*

D. Aug.

S. Bern. loc. cit.

Ex hac Damiani doctrina facillimè dissolvetur difficilis satis Scripturæ Isaiæ Prophetæ de Domini nostri Incarnatione loquentis locus: *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Hujus loci Interpretes per Virgam, Mariam, per florem, Christum intelligunt; sed hic adverte spiritum Domini requiescere super florem Christum, ubi Archangelus Gabriel prænuntians verbi Incarnationem ait: *Spiritus sanctus superveniet in te, &c.* Ecce unus super Mariam, alter super Christum Spiritum sanctum descensurum prophetizat. Hic & curiosè hoc notandum, quod in peragendo Dei Incarnationis mysterio expressa dumtaxat mentio fiat Spiritus sancti & non Patris; nec dicatur: *Pater superveniet in te* (cùm tamen omnia opera sanctissimæ Trinitatis secundùm Theologos ad extrà sint communia) ratio utriusque est, quia Verbum Mariam non tantùm in Matrem, sed etiam in sponsam accepturum erat, decebat, ut inter Mariam & Christum omnimoda in quantum possibile erat reperiretur paritas & similitudo, juxtà tritum illud adagium; *si vis nubere, nube pari.* Ad quam prorsùs necessarium erat, ut idem foret spiritus Mariæ, & spiritus Christi, quo secundùm animam spiritualiter viverent, hoc insinuat cælestis paranymphus Gabriel, scilicet eundem spiritum, quem Isaias super Christum requieturum asserit, Mariæ mittendum, ut & in hoc mater filio sit persimilis.

Isai. c. 11. v. 1.

Aliam Damiani opinionis doctissimus Novarrinus subministrat Interpretationem; ideò videlicet Mariam, & Christum censeri in unum quasi coaluisse, quia ea quæ de filio, etiam & de matre possunt verificari, ac affirmari, & vicissim: *talem identitatem Mater cum filio habet, ut quod de illa dicatur, de hoc quoque dictum intelligatur, & quod affirmatur de filio, de Matre quoque affirmari queat.* Sed modo id clariùs indagemus. De Christo affirmat Ecclesiasticus: *Unus est creator altissimus omnipotens, & Rex potens.* An verò hoc ipsi adeò propriè adscribatur, ut philosophicè sit proprium quarto modo? In dubium sanè est revocandum. Nonne possem de Maria quoque dicere, *una est altissima omnipotens, & Regina potens*? Quidni? Imò & addam, quod plurimis fortè paradoxum apparebit, Deum Matri suæ efficaciorem creandi virtutem concessisse, quam ipsemet in universi creatione usus est. Quod probo. Luc. cap. 1. narratur breviter Incarnationis verbi mysterii eventus: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Et rursus: *Paries filium, & vocabis nomen ejus Iesum.* Deindè Mariæ adjungit consensum Evangelista: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Sed quod hîc diligenter annotandum, exhibiti consensus ab illo non indicatur effectus, sed solummodò ait, *Et discessit ab illa Angelus.* E contrà Moyses totius mundi creationem distinctissimè describens, Dei absolutum præceptum simul & effectum secutum affirmat, *fiat lux, & facta est lux.* Cur itaque Lucas non addit *& factum est*? Respondet quidam modernus, Spiritum sanctum tò *factum est* subticuisse, ut ostenderet quantæ virtutis in divino conspectu foret unum fiat Mariæ, cui nec ipsemet Deus omnipotens poterat resistere. Et quamvis nec de effectu *fiat* Spiritus S. subsecuto, dubium ullo modo restare possit: Attamen in honorem *fiat* Mariæ, suo *fiat* apposuit, *& factum est.* Sicque suum *fiat* nihili æstimavit in comparatione *fiat* Mariæ, de cujus effectu, utpote infinitæ quasi virtutis nullum superesse poterat dubium. Audite quantum illud Virginis fiat, S. Thomas à Villa nova extollat divinis hisce verbis: *O fiat potens! ô fiat super omne fiat perpetua honore venerandum! hoc verbo fiat factus est mundus, hoc verbo cælestia terrestriaque altissimus condidit, sed tale fiat non sonuit in orbe, quale tu tunc beata dixisti. Quid enim factum est, quis dicere potest? Quod factum est natura stupet, judicium hæret, hebescit sensus, lingua mutescit, ratio deficit, intellectus non capit, quod factum est in Maria, cum hoc protulit, fiat mihi secundùm verbum tuum; statim namque ad hujus verbi sonitum verbum caro factum est.*

Novarr.

Eccl. c. 1. v. 8.

Luc. c. 1. vers. 30. vers. 31. vers. 36.

Gen. c. 1. v. 3.

Thom. à Villa nova Conc. 1. de Annunc.

Occasione hujus vocabuli *fiat* mihi dubium incidit, quare omnipotens mundi fabricator cuncta verbo *fiat* produxerit, excepto solo homine, de quo ait, *faciamus hominem &c.* an fortè divinum *fiat* tam imbecille ac inefficax erat, ut tam nobilem creaturam, utpote rationalem intellectu, & voluntate præditam, attingere non pos-

ſet? Hoc aſſerere manifeſta eſt blaſphemia: imò quàm plurimi authores, omnes cæleſtes ſpiritus verbo *fiat* creatos fuiſſe autumant. Reſpondeo Spiritum ſanctum in hominis productione ſtudio tò *fiat* ſiluiſſe in Dei Matris honorem, & gloriam, quæ aliquando unico ſuo *fiat* non hominem tantum, ſed Deum hominem eſſet in lucem editura. Sic doctè hoc explicat Novarrinus: *Suo illo fiat omnium conditor omnia condidit, majus eſt, quod per Virginis fiat fit.* Sicque quaſi Imperium ſuum bipartitus eſt benignus & liberalis Deus, qui ſibi *fiat* ad alia creata producenda aſſumens, Mariæ genitrici ſuæ *fiat* pro verbo Incarnando elargitus eſt. Unde quod de Cæſare dicitur, *diviſum Imperium cum Iove Cæſar habet*, Mariæ optimè poteſt applicari, quia ipſa quoque cum Deo imperat. Concludo nunc, ergo Maria *una eſt altiſſima omnipotens*

Novarrin.

Sed modò ſimilitudinem inter Chriſtum & Mariam ulteriùs proſequamur. Chriſto attribuitur cura pro mundo patrocinandi: *Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio noſtra pro peccatis noſtris.* Quod ſanè magnificum elogium nec Mariæ Virgini ullatenus denegandum eſſe teſtatur S. Bernardus. *Advocatam vis adhibere ad ipſum? Ad Mariam recurre, exaudietur & ipſa pro ſua reverentia.* Nec enim Mariæ *fiat* jam ad cælos elevatæ, & ſuper omnes Angelorum choros ſuperexaltatæ efficaciam atque virtutem ſuam deperdidit, ſed ei major ac fortior vis accrevit. Undè dummodò Maria dumtaxat gratiam & veniam pro reis peccatoribus expoſtulans, dulce verbulum *fiat* intonet, filius, ut verus Matris echo reſpondit, *fiat*. Audite Damianum de hujus Virginis potentia diſſerentem: *Accedis ad divinum tribunal, Domina, non rogans ſed imperans. Quomodò enim illa poteſtas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua, carnis ſuſcepit originem?* Hinc illam ſic in divino tribunali, ac Sanctiſſimæ Trinitatis conſiſtorio audire videor pro nobis patrocinantem. O æterne Pater! meum quondam *fiat* unigenitum filium tuum è throno ſuæ Majeſtatis ac ſinu paterno exſtraxit, illumque in caſtiſſimis meis viſceribus concluſit. Unico *fiat* ô verbum æternum! te humanâ carne indui, & mortalem effici compulit immortalem Deum. Modò ad te quoque Pater, ad te Fili inſtanter clamito, condonetur peccatori, ſalvetur reus, ne obſecro pereat peccator, *fiat, fiat*, ô clementiſſimè Deus! poteritnè meum *fiat* nunc contemni, ac vilipendi,

1. Ioan. c. 2. v. 2.

S. Bern.

Damian.

quod à te Pater, à te Fili, à te Spiritus ſancte tanti quondam fuit æſtimatum? Si ad primum *fiat* imperatorium te, ô Deus! uſque ad humillimæ ancillæ tuæ uterum declinaſti: ad hoc *fiat* deprecatorium ſtabiſnè immobilis? Quid ad hoc exſpectatis ô Chriſtiani? Ah in cælis dulcis ad Mariæ *fiat*, reſonat echo, *fiat* tibi ô Maria ſecundùm verbum tuum. Et ſic ipſa quoque exauditur pro ſua reverentia Sed de hac materia latiùs infrà

Et ut cognoſcatis ô Chriſtiani, quanta noſtra erga hanc advocatam deberet eſſe animi gratitudo, quantaque in eam reverentia, audite à S Thoma à Villa nova quantum illa mundo ſit neceſſaria. *Licet advocatum habemus filium, ut ait Ioannes, opus etiam fuit habere matrem advocatam ad filium. Nam peccatis noſtris, non ſolum Deus offenditur, cujus præceptum violamus, ſed & filius Dei, cujus ſanguinem conculcamus, rurſus crucifigentes filium Dei. Et ideò ſicut apud Patrem interpellat Filius, ſic apud Filium interpellat Mater.* Undè Bernardus ait: *Filius oſtendit patri latus, & vulnera, Mater oſtendit Filio pectus, & ubera.* Et ſic ipſa quoque exauditur pro ſua reverentia

Thom. à Villa nova Conc. 3. de Annunt.

Bernard.

Deinde etiam plurima alia, quæ tum de verbo, tum de Chriſto prædicantur, de Maria quoque aliqualiter in ſano ſenſu prædicari queunt. De illo ait Propheta David: *Ex utero ante luciferum genui te.* Ubi de productione verbi à patre agit. De hac & idem verificatur, ipſamet enim ſeſe à Deo productam gloriatur Eccl. cap. 24. *Ego ex ore altiſſimi prodivi.* Si verbum eſt Deus, & omnipotens per eſſentiam, Maria per participationem, & gratiam Dea eſt, ut teſtatur Abbas Cellenſis: *Maria per gratiam totâ Deitatis gratiâ eſt ſuperfuſa* Hinc clamat Dionyſius: *Niſi Deum incorporeum eſſe ſcirem, & ex revelatione, & fide noviſſem, eſſe aliam Deitatem, non putarem, præter hanc.*

Pſal. 109. v. 3.

Eccl. c. 24. v. 5.

Abbas Cellenſis l. de panibus c. 12.

Dion. lib. de Hierarchia.

Et ne quis temerariè me Mariam Virginem adeò in altum evehere forſitan opinetur, audiat quæſo non ingratam hujus dicti comprobationem, ex ipſiuſmet Dei genitricis verbis erutam. Hæc enim ait Eccl. cap. 24. *Omnium excellentium, & humilium corda propriâ virtute calcavi.* Quòd per excellentes intelligantur rebelles Angeli eſt certum ac indubitatum. Sed quòd Maria eorum corda calcarit, nullatenus capio. Lego quidem ipſam diaboli caput contriviſſe juxta illud Gen. cap. 3. *Ipſa conteret caput tuum.* De corde

Eccl. c. 24. v. 10.

Gen. cap. 3. v. 15.

verò

verò nil percipio. Ad hoc adverte, ubi Lucifer cum asseclis apostatis cor suum collocarit. Audi quid dicat Spiritus sanctus per Prophetam Isaiam: *Dixit insipiens in corde suo, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, similis ero altissimo.* Benè itaque ait Maria, *excellentium & humilium corda propriâ virtute calcavi*, ac si diceret ô superbissime Lucifer! ô rebelles spiritus! ubi vos scilicet in ipsamet divinitate temerario ausu, cum Deo appetentes similitudinem, cor vestrum collocare prætendistis: ego ibidem pedes constitui, illamque Deitatem & divinam similitudinem, quam vos per execrandam superbiam obtinere stultè præsumpsistis, illâ ego per gratiam atque profundam humilitatem locupletata sum, & illius possessionem recepi. Quod divinè indicat doctissimus Ponferratriensis dicens: *Quod temerè Lucifer appetiit, Virgo per gratiam obtinuit, & omnimodam quantum possibile est adepta fuit cum Deo similitudinem.*

Isai. c. 14. v. 14.

Ponfert. cap. 24. Eccl.

Ex hoc profectò clarissimè patet mirum non esse, quod Angeli tanto desiderio anhelabant ad Reginæ suæ Dei genitricis Mariæ aspectum clamitantes: *Revertere revertere sulamitis, revertere revertere.* Ecce quâ instantiâ, quo ardore Virginis reditum, ac intuitum exoptent. Verum ad quid ô cælestes spiritus! audite quid respondeant, *ut intueamur te.* Ah quid concupiscitis ô Angeli? Nónne vos ex clara ac intuitivâ divinæ essentiæ visione perfectâ beatitudine replemini? Nónne Sanctissimæ Trinitatis beatifico intuitu appetitus vester omnimodè satiatus est? S. Bernardinus dicit præter essentialem beatitudinem in Angelos & beatos (quam à divina essentia mediante intuitivâ visione percipiunt) accidentalem quamdam à Beatæ Mariæ Dei genitricis visione glorificationem, atque beatitudinem mutuare. *Quilibet cælicus ordo lætatur, quia in beata Virgine reperit aliquid gloriæ speciale:* cujus opinioni consentit & Ecclesia cantans de Virgine: *Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli.* Ad quod alludens Damianus ait: *Summa gloria est, post Deum te videre, adhærere tibi, & in tua protectionis munimine commorari.* Cui quoque concinit Richardus: *Tam Angeli, quam homines jugiter respiciunt in Mariam, ejusque præsentiâ beantur.* Nec sanè id mirum, quia si beati verbi Incarnati & Christi intuitu recreentur, quidni & Mariæ aspectu beatificantur, quæ est perfecta bonitatis illius imago? sic insinuat S. Antoninus dicens; *Considerandum est Mariam perfectissimam esse Dei imaginem, ab ipso summâ arte, ac singulari providentiâ depictam.* Undè omnes sancti potiori jure de pulcherrima Mariæ Virginis facie possent asseverare, id quod de Augusti Imperatoris facie asserit Ovidius, scilicet in ea Romam posse conspici. Unde canit

Bern. de Assumpt. t. 3 serm. 11. a. 3. c. 3.

Dam. l. 1. de laud. Virg. c. 3.

Richardus.

S. Anton.

Hanc ego cum spectem videor mihi cernere Romam
Nam patriæ faciem sustinet ille suæ.

Sic inquam, in Maria verè divina Christi filii sui imago, & viva effigies conspicitur: quia ad hoc prototypum ab omnipotenti artifice est efformata. Unde quilibet dicere potest.

Hanc ego cum spectem videor mihi cernere Christum
Nam nati faciem sustinet illa sui.

Hanc faciem, scilicet tam externam & corporalem vultus, quàm internam & spiritualem mentis & spiritus. Ut disertissimis verbis profitetur S. Thomas à Villa-nova. *Christus, qui totus erat ex Matre, non habens patrem in terris totus fuit Matri simillimus, non solùm formâ & vultu: hoc enim, qui utriusque imagines ad vivum viderunt, asserunt, numquam fuisse sic filium simillimum vultu & moribus verbis, & habitu: illa humilis, ille humilis: illa mansueta, ille mansuetus: illa benigna, ille benignus: illa pauper, ille pauperrimus: illa purissima, ille purissimus: illa prudentissima, ille prudentissimus: illa piissima, ille piissimus: illa modesta & sobria, ille modestus & sobrius. Denique in omnibus mater nihil fuit, nisi Filii adumbrata imago, & Filius matris expressa figura.* Quod & Damascenus confirmat: *Tota Maria Spiritus sancti est thalamus, & gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua. O miraculum maximum!*

S. Thom. à Villa-nova ser. 3. de Nativit.

Damasc. Orat. 5. de Virg.

Undè sicut Carolus VIII. Rex Franciæ per antonomasiam dictus pulcher, Matri Filii vultus illius elegantiam, ac faciei venustatem satis superque extollenti: *Ah quam pulcher es Fili,* respondit, *Mater imago tua ego sum,* ac si diceret, ego à te, ô genitrix! tantam, quantam in me conspicaris pulchritudinem hæreditativi, tibique formosissimæ sum simillimus. Ita contenderunt inter se amorosè Maria, & Christus in Canticis. Ait enim sponsus Christus dilectæ suæ sponsæ Mariæ, *ecce tu pulchra es amica mea.* Ipsa verò confestim replicat sponso Christo: *Ecce tu pulcher es dilecte mi.*

Cant. c. 1. vers. 14. v. 15.

mi. Quasi diceret, ô chare sponse! noli meam decantare formositatem, ac pulchritudinem, tota enim illa, tam corporis, quàm animæ venustas à te vivo, & perenni omnis decoris fonte emanat: tu prototypum es, ego imago tua sum, ad tuam perfectissimam similitudinem à te supremo artifice summa cum industria elaborata. Audi quam apposité ad hoc dicat Rupertus: *Verè dicis mihi, ecce* Rupertus. *tu pulchra es, & ego dico tibi, ecce tu pulcher es, quia tu pulchritudo mea es, quod ego pulchra sum, tibi tribuendum est, imago enim tua sum.*

Plinius narrat de celeberrimo pictore Parrasio, quod tam rara polleret pingendi arte, ut externis vultus delineamentis, internos animi affectus, mores, ingenium, ac inclinationem sui prototypi vivaciter exprimeret: asseritque illum famosam Atheniensium civitatem tam artificiosè depinxisse, ut non tantum mœnia, domos, plateas, sumptuosaque ædificia: verum etiam ipsorum civium mores in pictura nitidissimè descripserit. Ita ut in ea, tamquam crystallino speculo urbis Atheniensis regiminis normam, & inhabitantium vivendi regulam quilibet inspicere valeret. Non dissimiliter tota Sanctissima Trinitas tam venustâ, tamque formosâ Mariam Virginem facie artificioso omnipotentiæ suæ penicillo efformavit, ut in ea non tantum omnium Sanctorum prorsus virtutum specimen, sed & essentiales divinæ perfectiones per participationem communicatæ apparuerint, ut ipsa divinâ speciali gratiâ producta, foret *speculum sine macula, imago bonitatis illius.*

Numquam satis miratus fui illum locum Scri-
1. Paral. pturæ 1. Paral. cap. 3. ubi filius Davidis ex Abigail
c.3.v.1. procreatus appellatur Daniel: *Secundùm Daniel*
2. Reg. *de Abigail carmelitide.* Ubi tamen 2. Reg. cap. 3.
c.3.v.3. nominatur Cheliab: *Et post eum Cheliab de Abigail uxore Nabal Carmeli.* Quorsum enim hæc ita signatè à Spiritu sancto notetur nominis commutatio, planè ignoro. Absque dubio aliquod hîc latet mysterium: etenim sine ratione in Scriptura nomina non mutantur, ut apertissimè patet in nominibus Saræ, Abraham, Israël &c. Doctissimus Liranus cum pluribus aliis sentit, hunc Danielem à matre & nutrice sua Abigail rustica, rusticanos planè suxisse & imbibisse mores: ideòque toti aulæ maximo fuisse ludibrio. Quod egerrimè ferens David ad Dominum, instantibus precibus, & lachrymis orans clamavit, quatenus honori regio, ac filii sui decori consuleret, & pro sua benignitate ejus barbaros mores in civiles commutaret. Annuit supplici Davidi Deus, Danielemque patri suo divinâ suâ gratiâ moribus & vitâ reddidit simillimum, & ita vocatus est 2. Reg. 2.Reg.c.3.
cap. 3. Cheliab, quod interpretatur *Patri similis.* v.3.
Maria Virgo secundùm naturalem Adami omnium parentis propagationem ex sanctissimis conjugibus Anna & Joachim oriunda, non illâ, quæ Matrem Dei deceret, puritate secundùm legem ordinariam in mundum prodire poterat; sed indubiè communi parentis originalis culpæ, concupiscentiæ fomitis peccati lue coinquinanda erat, nisi pater æternus tantæ matris, tantique filii dignitati & splendori consulens, Spiritus sancti operâ atque vigilantiâ id impedivisset, ac gratiâ præveniente casum Matris antevertisset. Quod jam Psal. 20.
dudum clarissimè vaticinatus fuerat Propheta Re- v.4.
gius: *Prævenisti eam in benedictionibus dulcedinis.*
Quod & testatur Damascenus: *Natura gratiam* Damasc.
antevertere ausa non est, sed tantisper exspectavit, or.1.de
donec gratia fructum suum produxisset. Prætereà nec passus est Deus illam fœdæ concupiscentiæ stimulo, aut fomite peccati agitari, nec ulla noxæ maculâ coinquinari: sed eam omni gratiâ, omni virtute & perfectione possibili adornans, ipsimet Deo, Christoque filio suo fecit simillimam. Maria itaque est vera *imago bonitatis illius.*

Famosissimus sculptor Phydias artificiosè imaginem, suamque propriam effigiem (ut antiquæ tradunt Historiæ) Palladis Galeæ insculpserat, ut illa non posset in minimo deleri, aut expungi, nisi & ipsa destrueretur. Ita omnipotens Deus omnium artificum peritissimus, tantâ arte, tantâque industriâ suam divinam imaginem ac effigiem animæ genitricis suæ Mariæ impressit, ut nullâ nedum originalis & venialis culpâ illa potuerit commaculari, nisi divinæ Maternitatis splendorem, atque decentiam, suæque imaginis omninò deperderet similitudinem. Ideò de ea
testatur Richardus: *Ab utero egressa, nec mortale* Richard.
umquam, nec veniale peccatum commisit: & ante l.1. in
conceptionem quidem filii, priùs per gratiam custo- Cant. c.6.
dita est à peccatis. Post hanc verò ita confirmata est ex virtute altissimi, ut peccatum omninò committere non potuerit.

Abundè satis videtur constabilita ex dictis Christi & Mariæ similitudo, constatque apertè Mariam Virginem vivam divinæ bonitatis esse imaginem. Sed quid inde nobis emolumenti? quid quæso utilitatis provenit? ausim respondere omne planè bonum. Adagium enim tritum habet, *simile simili gaudet,* estque ipsâ quotidianâ

tidianâ experientiâ comprobatum. Quid enim strenuissimi Ducis Achillis animum impulit, (ut Historiographi commemorant) ad inquirendum Hectorem? Quid Protoginem attraxit, ut tam ferventi videndi pictorem Apellem desiderio incenderetur? quid Platoni, Pythogoræ, (teste D. Hieronymo) efficaciter persuasit difficillima conficere itinera ad consulendum Architam & Hiarcham celebres Philosophos? Sanè nihil, quàm admirabilis sympathia & similitudo, Achillis & Hectoris in armis, Protoginis & Apellis rara in depingendo peritia, Platonis & Architæ in Philosophiæ arcanis indagandis singulare studium. Hæc eadem sympathia ac similitudo Dei & Mariæ Verbum æternum è sinu æterni patris extraxit, & castissimo Virginis gremio conclusit: ubi enim tantam, tamque eximiam ipsimet divinæ essentiæ proximam Deus hujus puellæ inspexit pulchritudinem & decorem, amore ejus mirabiliter æstuans, cœlos disrupit & in terram descendit, ut dilectæ huic sponsæ conjungeretur, & quia eum sibi dissimilem desponsare non decebat contrà juris regulam, *si vis nubere, nube pari*, perfectissimam sui imaginem & similitudiem Matri atque sponsæ impressit. Hinc ad Mariam disertè clamat Andreas Cretensis: *Tu es terra, quæ es verè desiderabilis, Rex enim desideravit gloriam tuæ pulchritudinis, & amavit divitias tuæ Virginitatis, & in te habitavit.* Et tam ardenter illam adamavit, ut verbi divini sese incarnandi desiderium, simulque Mariæ consensum parumper suspendi, S. P. N. August. considerans, dicat *Usquequò morari ô Virgo nuntiū festinantē? intuêre in cœli Deum vestibulo subsistentem.* Et jam exhibito Mariæ nutu, subjungit, *nec mora revertitur nuntius, & nuptialem thronum ingreditur Christus.*

Hier. Ep. ad Paulinum.

Orat. 2. de dormitione B Virg.

Aug. serm. 7. de Nativit. Domini.

Ex hoc amore è magna similitudine pullulante, resultat inter amantes omnium bonorum communicatio ac participatio. Id rursùs varii eventus comprobârunt. Vasta Regina marito suo Aristodemo duos filios uno partu ediderat, quisnam autem eorum foret primogenitus celare pertinax decreverat, ut uterque paterno potiretur imperio; ast illa astu & stratagemate mariti delusa, è prima unius ad ubera admotione primogenitum per ostii rimulam recognoscentis, temporis successu fine suo non est frustrata. Gemini enim ii ita moribus, amore, staturâ, facieque persimiles excreverunt, ut ob id primus secundo ultrò medium imperium obtulerit. Quod cum frater recusaret, rursùs institit primogenitus hæc verba proferens; *Similem faciem, simile decet imperium.* Idem prorsùs contingit inter Christum & Mariam, moribus, amore, facieque sibi similes. Ecce sibi Christus attributum reservat justitiæ, *qui venturus est judicare vivos & mortuos*, absolutum verò Mariæ in misericordiam concedit imperium, illique sedulam miserorum peccatorum curam commendat, *pasce hædos tuos.* Ac proinde quod in Faustinæ uxoris authoritatis testimonium dixit Marcus Aurelius, *ego aliis impero, tu mihi.* Potest dicere Christus genitrici suæ Mariæ, *ego aliis impero, tu mihi.* Quia tu me pro tuo beneplacito ad misericordiā, ut Domina compellis.

Quintus Curtius in vita Alexandri, tam strictam inter Alexandrum & Ephestionem viguisse testatur amicitiam, ut Alexander & Ephestio, nil nisi unum in aula computaretur. Hanc è omnimoda vultus ac faciei amborum similitudine exortam fuisse plurimi arbitrantur, fundati in errore à Dario commisso, quem sic narrat citatus author. Darius Rex Persarum ab Alexandro devictus & captus, cum uxore & prolibus ad tentorium Alexandri accurrit, ut illi solitam captivorum profiteretur submissionem, quam ob tantam inter Alexandrum & Ephestionem similitudinem deceptus, Ephestioni exhibuit. Errorem post cognitum sese in terram ante pedes Alexandri prosternens humiliter excusavit. Ad quod Alexander dixit: *Neutiquàm errâsti, quia unus Ephestio est unus Alexander, & Alexander est unus Ephestio*; Ac si diceret, ô Rex, Ephestio & ego unum sumus. Quidquid statuerit de te Ephestio, Alexander ratum tenebit. Haud aliter magnus ille Alexander cum amata sua Matre Maria se gerit Christus, nec tantum nostrum ad illam pius permittit recursum, sed in eo plurimùm gaudet & exaltat: *Dum enim honoratur Mater*, inquit S. Germanus, *lætatur quoque filius, & voluptate afficitur*, neque id ægrè *fert bonus Dominus* Quia Christus est Maria, & Maria est unus Christus & quod illa misericorditer pro peccatoribus constituerit, lubens confirmat Christus. Hoc & ipsemet attestatur Mariam alloquens per D. Anselm. *Tu cum maternam habeas apud filium tuum potentiam, nos qui sumus condemnati, tuis intercessionibus das salutem, & ab æterno liberas supplicio.*

S. Germ. de zona Virg.

Cum itaque ô Christiani, Deus nobilissimæ imagini suæ vivæque divinitatis effigiei tantam concesserit gratiam ac donum, refugium vestrum ad Mariam capite. Quid dubitas? Quid hæres peccator? Illa est omnium nostrûm Mater; hoc

ipsum enim clamat in Cruce Cristus, *Mulier ecce filius tuus.* Ad quod egregiè Anselmus: *si tuus filius factus est frater noster, nonne tu per illum facta es Mater nostra?* ita ô homo! ait Anselmus: *Ecce Mater tua. Quid desperas pecator? Mater judicis facta est mater tua.* Illa iratum Deum compescet; est enim constituta divinæ misericordiæ Domina; tu tantum sequere doctissimi Hugonis consilium: *Si Mater tua est, ergo dilige eam & venerare, & ab hac hora accipe illam in tuam, & ipsa tandem te recipiet in gloriam suam.* Quam nobis omnibus concedat Deus. Amen.

CONCIO OCATVA

THEMA.

Et erit lux Lunæ sicut lux Solis, Isaiæ cap. 30.

ARGUMENTUM.

Ad evidentiùs dignoscendum omnimodam inter Christum & Mariam similitudinem, de utriusque intuitus efficacia breviter tractatur.

Celeberrimi Scriptores Plinius & Theophrastes seduli essentiæ ac proprietatum Herbarum, arborum, atque animalium indagatores curiosè annotant in fluvio Euphrate, è Paradiso terrestri scaturiente, crescere certam arborem, nominatam *Lotum*, quæ in tantam excrescit altitudinem, ut firmiter in fundo fluminis radicata, suprà aquam sese elevet. Isti inter varias à natura inditas proprietates præfati authores hanc adscribunt. Quod ad solis occasum folia sua dilatata & extensa contrahat & claudat, sesesque ad fundum usque inclinet. Ad ejusdem verò ortum lucidis radiis allectum, ad pristinam altitudinem exurgat, & quò Sol altiùs ascendat, eò quoque lotum altiùs excrescat.

Pier. l. 52. Et ob hanc stupendam naturæ proprietatem apud Ægyptios lotum solis ortum indicabat, ut testatur Pierius: *Id inde sumptum,* inquit, *crediderim, quod ea ante solis emersū implicata folia habeat, qua quidem ita sensim exsinuantur aperiunturque, uti magis & magis tollitur jubar solis: eodem verò discedente, folia ipsa vicissim contrahūtur, complicarique incipiunt, veluti nulli patêre velint, quàm numini, quod venerantur.*

Hac proprietate plurimi usi sunt ad internos animi affectus Hieroglyphicè exprimendos. Sic Sie Ferdinandus Caratta Marchio S. Luciti volens in gratitudinis testimoniū palam declarare, stemma suum omnem splendorem & dignitatem à Carol V. potentissimi Cæsaris benignitate fuisse sortitum; in armis Lotum lucidis solis radiis supra aquam elevatam depingi curavit cum dicto *Sic Cæsar diva lux mihi* Illud ipsum hieroglyphicum ejusdem familiæ splendor Cardinalis Madrusi avidè arripuit, mutato dicto, *emergo lucente Sole.* Aliqui dictum apposuerunt: *dum respicis erigor* Alii *quid sine te moliar.* Tandem alii, *tecum inclinata resurgo.* Sed hæc omnia in idem incidunt.

Sicut lotum certò certiùs est anima nostra, à qua dum Sol justitiæ Dominus Deus noster radios suæ benignitatis avertit, quasi sepulta in profundo miseriarum, & peccatorū mari jacet; quod malum deplorabat Propheta David: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Sed unde conturbatus ô Propheta? *Infixus sum,* inquit, *in limo profundi, & non est substantia:* ac si diceret, ecce sicut lotum in tenebris usque ad fundum Euphratis fluminis contrahitur, & resplendentibus solis radiis rursùs erigitur: sic anima mea luce divinæ gratiæ subtractâ, in cæno peccatorum demergitur; nec erigi potest, nisi sol noster Christus (de quo Propheta Malachias ait, *orietur vobis sol justitiæ & sanitas in pennis ejus*) benigno gratiæ lumine eluxerit. Unde tunc misericorditer erecta, *Ps. 29. v. 8* *Ps. 68. v. 3* *Malach. c. 4. v. 2.*

potest

potest rectè sibi anima appropriare suprà citata dicta Hieroglyphica ad Lotum alludentia: *Sic diva lux mihi. Dum respicis erigor. Emergo lucente sole, & tecum inclinata resurgo.*

Ad hanc Dei ac Domini Christi aspectus virtutem ac efficaciam nonne Matri Mariæ denegabimus? Absit, absit: cùm enim hæc Virgo electa ex millibus, prototypo suo Christo filio sit imago simillima, in hoc quoque ut similis sit, plane necesse est. Quod Propheta Isaias satis innuere videtur præallagatis verbis, *Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis.* Quem locum neutiquam litteraliter ob ingentem luminis Solis & Lunæ disparitatem, sed spiritualiter de Christo, qui illuminat omnem hominem, & de Diva Virgine, de qua cantant cœlestes Spiritus: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna.* intelligendum esse asse- Hugo. rit Hugo Cardinalis, attribuitque tantam Dei genitricis aspectui & lumini efficaciam, ut ipsa lucidis suæ benignitatis radiis non secus ac sol Christus, obduratos profundèque omnium scelerum luto immersos peccatores ad gratiæ statum erigat. Quod non obscurè indicat Ecclesia de Maria cantans: *Stella maris succurre cadenti, surgere qui curat populo.* Unde anima jam hujus Virginis luce è profundo peccatorum mari extracta, ad illam clamare potest, *dum respicis erigor, & tecum inclinata resurgo.*

Ut propositæ hujus discursus utcumque satisfaciam materiæ, operæ pretium imò omninò necessarium arbitror, antithesin examinare inter detrimentum animæ nostræ ab aversione luminis Christi proveniens, & mirabile emolumentum, quod ipsa à divino intuitu sortitur, totumque Mariæ Virgini appropriare. Ubi prius ejus ad hoc auxilium imploraverimus, eam salutantes angelicis verbis: *Ave gratiâ plena.*

Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis.

Plutarchus. DE nobilissima Romana Matrona Panthæa, Abredatis uxore, narrat Plutarchus, quod ipsa intellecto sinistro nuntio, dilectum maritum suum à senatu Romano ad perpetuum exilium fore condemnatum, tristitiâ ac mœrore plena lachrymabundâ voce exclamavit: *Heu me! quanta me exspectant mala ô Abredates ex absentiâ oculorum tuorum.* Et post longâ tabe, vultus decore totaliter deperdito, rogata: *Ubi ô Panthæa tua pulchritudo?* Respondit, *redeat sponsus, redibit pulchritudo.* Ac si diceret, omne meum infortunium, omnia mala ex carentia aspectus charissimi mei mariti Abredatis proveniunt; si hic Sol tantùm me aspiceret, ad instar loti è profundo miseriarum mari emergerem. Idipsum sane exclamare potest misera hominis anima à Deo suo deserta, & benigno ejus intuitu frustrata. *Heu me! quanta me exspectant mala, ô Domine, ex absentia oculorum tuorum.* Sed vis scire, ô Christiane quanta? Audi quid ipsamet veritas dicat Deut. cap. 30. *Irascetur furor meus* Deut. c. 30 *contra eum in die illo, & abscondam faciem meam* v. 17. *ab eo.* Et ecce mox subjungit: *Et erit in devorationem, invenient eum omnia mala & afflictiones.* Hanc divini intuitus efficaciam apprimè cognoscens Propheta David, ad Dominum ingemiscens, orabat, *secundum multitudinem miserationum tua-* Psal. 66. *rum respice in me.* v. 17.

Hic obstupescit S. Chrysostomus & inquirit, quare tam constanter David, dumtaxat à Deo expostulet, ne oculos suos avertat. ut & Psal. 26. Psal. 26. *Ne avertas faciem tuam à me.* Cur inquit, non pe- v. 9. tit divinam gratiam, plenam peccatorum remissionem ac spiritualem animæ vitam? ad hoc notandum id, quod S. P. N. Augustinus advertit super verba illa Isaiæ c. 14. *Ex radice colubri egredietur* Isaias cap. *regulus, & semen ejus absorbens volucrem.* Ubi ipse 14. v 29. per basiliscum sive regulum intelligit Christum S. August. Dominum nostrum, quod colligit ex phrasi Chaldaica, quæ habet, *ex filiis filiorum Iesse egredietur Christus.* Verùm quo fundamento, quave ratione possit Christus basilisco assimilari, non video; ipse enim secundùm naturalistas solo suo intuitu hominem necat: Christus verò animam spiritualiter mortuam suo aspectu vivificat, juxta illud Davidicum: *Oculi Domini super justos, ut eruat à* Psal. 32. *morte animas eorum.* Ulterius inter cæteras, quas v. 19. Pierius basilisco adscribit proprietates, hanc anno- Pierius. tat. Tanta *huic uni vis est, ut animalia reliqua solo sibilo, quo audito, ferunt omnium avium cantus coerceri, fruticesq; & herbas aspectu solo enecari.* Christus è contrà suo sibilo & benignâ voce peccatores ad se trahit, ut patet in Petro & Andrea Apostolis. Matth. 4, Matth. 4. *Venite post me, & faciam vos fieri piscato-* v 19. *res hominum, & relictis retibus secuti sunt eum:* Suo aspectu animæ vitam impertitur, ut patet in Matthæo, *vidit hominem sedentem in telonio Mat-* Matth. 9. v 9. *thæum nomine, & ait illi, sequere me,* & surgens secutus est eum. Et idem clarissimè confirmat Abacuc. Propheta Abacuc, *aspexit & dissolvit gentes, &* 3. v 6. *contriti sunt montes sæculi.* Ad quod S. P. N. Au- Aug. l. 18. gustinus ait: *Respexit & contabuerunt gentes, hoc* de civit. *est, fecit pœnitentes, contriti sunt montes, hoc* Dei c. 32. *est o-*

est, electorum contrita est superbia. Ob hæc & alia videretur Christus inversus basiliscus: dico tamen, si omnes divini Christi Domini luminis effectus basilisci proprietatibus comparemus, cum rectè basiliscum appellari. Moyses enim de divinis oculis disserens, ait: *Non videbit me homo & vivet.* Quibus verbis satis clarè insinuat, intuitum ejus ad instar basilisci, certum quoddam mortis genus inducere. Sed quodnam? Non, inquit S.P.N. Augustinus nocivum, sed utile, non corporale, sed spirituale. *Quia nullus Deum spiritualiter videt, qui carnaliter vivat, & quem videt, eò ipso moritur ab hujus vitæ delectationibus totâ mente separatus.*

Exod. c. 33. v. 20.

Aug. loco citato.

Deinde rursùs hic divinus basiliscus infernalia monstra, rapacesque animarum nostrarum aves, dæmones scilicet domat, fugat, eorumque violentiam coercet atque compescit, suæque benigno gratiæ aspectu volucrem perniciosissimam, peccatum inquam, absorbet; omnes quoque herbas, id est, terrenos hominum affectus, & carnalia oblectamenta eradicat ac depellit. Hoc attestatur os aureum Chrysostomus, divinis his verbis: *Quando respicit Deus, fugiunt peccata, extinguuntur delectationes, liquefiunt omnia mala, tantùm ut respiciat claritas, & statim fugit peccatorum obscuritas.* Optimè ergò concludo, Davidem rectissimè ac prudentissimè misericordiam divinam implorantem, nil nisi unum respice quæsivisse. Noverat enim admirabilem hujus divini basilisci intuitus virtutem: cujus respicere est misereri, inquit, venerabilis Beda. *Quia respicere Dei est misereri, aspectus divinæ misericordiæ nobis est necessarius.* Cui concinit ipsemet Psalmista: *Respice in me & miserere mei,* quàm pulchrè id ipsum confirmat Propheta Jerem. deplorans luctuosam Israelis Babylonicam captivitatem, & extremam electi populi calamitatem; *oculus meus,* inquit, *afflictus est;* scilicet diu noctuque uberrimas lachrymas effundendo: *Nec tacuit, eò quod non esset requies.* Nec destitit à ploratu & planctu, *donec respiceret & videret Dominus de cœlis.* Ecce non ait sese cessasse à luctu & lachrymis, donec divina cederet, vel desisteret vindicta, sed donec videret & respiceret Dominus, quia prorsùs unum & idem est, ut jam dixi, respicere Dei & misereri. Audite Rupert. *Cujus aspectus & visus est & antiquæ captivitatis solutio, & præsentium captivorum, qui in Babylonem ducti sunt consolatio.*

Chrysost. super Ps. 68.

Beda in c. 26. Matt.

Ps. 24. v. 50.

Ier tren. c. 3. v. 49. v. 50.

Rup. l. 1. in Ier. c. 79.

Et ad hoc tam mirificum Israelitico populo à Domino de Babylonica servitute liberato, præstitum beneficium, allusisse videtur David, qui in perpetuæ numquàm delendæ gratitudinis testimonium, & in æternam memoriam, instinctu Spiritus S. jussit illud Hæbraicis annalibus inscribi: *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Verùm, quæ hujus tam sedulæ curæ minima expiscari poterit ratio? accipe illam ex ipsiusmet Prophetæ verbis subsequentibus: quia *respexit de cœlo Dominus, de cœlo in terram aspexit.* Ecce & clarissimè Psalmista Jeremiæ consonans omnem fœlicitatem, omne bonum divino aspectui adscribit.

Psal. 101. v. 19.

Ex hoc fortasse mihi dubium dissolvetur, quod jam dudum menti inhæsit, ortum ex mysteriosa quadam ceremonia à S. Matre nostra Ecclesia triduo commemorationis Christi Domini Passionis usitata, clamante ad Dominum pro gratia hoc unicum; *respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam.* Quod sanè plurimum mirandum est; cùm enim hæc, isto præcipuè tempore, merita acerbissimæ Passionis Christi recolat, æternoque patri repræsentet; quare pro pretiosi sanguinis effusi pretio nihil aliud prorsùs petit, quam *respice quæsumus Domine.* Hìc hæreo, nec possum desistere, quin inquiram, cur ampliora à Deo beneficia, & eo præsertim tempore, quo tot millia per se pro mundo clament Christi vulnera & sanguinolenta Christi passio; non exigat Ecclesia? Cur dona, gratias, favores, & divinam non efflagitet misericordiam? Sed dumtaxat, *respice quæsumus?* Ah quàm prudenter procedit Ecclesia! novit enim hæc, edocta à Prophetico Davidis spiritu Psal. 12. *Respice & exaudi me Domine Deus meus.* Et Psal. 6. *Convertere Domine, & eripe animam meam.* Divinum intuitum perennem esse fontem, è quo omnes gratiæ, omnia dona atque beneficia abundantissimè scaturiunt, quem si nobis subtrahat benignus Deus, ut nives ante radios solis evanescimus, & spiritualiter tabescimus. Quod insigni emblemate conatus demonstrare quidam modernus, in tabula horologium solare depinxit cum dicto, *in umbra desino, & tecum luceo.* Quia orto & lucente Sole horas diei distinctè indico. Per quod non intendebat significare, quod illud, vel quoad substantiam, absente Sole desineret: Sed quod deficiente Solis lumine ad institutum finem, scilicet ad horas diei demonstrandas, nil prorsùs deserviret. Sic & anima nostra; si divinum lumen non effulgeat, Deusque ab ea radios oculorũ suorum avertat, poterit appositè & verè dicere, *in umbra desine,* id est,

Ps. 12. v. 4.

Ps. 6. v. 5.

ad nil utilis sum, quia statim tota reddor conturbata. O mira divini aspectus efficacia! O nimirum perniciosa Solis justitiæ Christi à nobis aversio! quam benè hanc expertus est Petrus Apostolus, inquit Hieronymus: *Post negationem, & galli cantum respexit Salvator Petrum, & intuitu suo eum ad amaras lachrymas provocavit, nec fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi.* Ante ergò in umbra delinebat Petrus, & Sole affulgente justitiæ, rursùs Deo lucebat. Optimo itaque fundamento pro compendio omnium bonorum & gratiarum Ecclesia divinum tantum expostulat aspectum, *respice &c.* qui ut rectè ait S. Clemens Alexandrinus, *ubi facies Domini respicit, ibi est pax & salus & exultatio : ubi autem faciem suam avertit, ingreditur vitium. Quia cùm ipse oculos avertit suâ sponte, propter humanam fragilitatem ortum habet flagitium.*

Hieron.

Clemens Alexand.

Hanc stupendam divinorum oculorum virtutem rursùs non obscurè comprobat Spiritus sanctus. Luc. c.9. ubi narratur, quod pater quidam misertus obsessi filii, obviam veniens Christo descendenti de Monte Thabor illi miserias & angustias filii exposuerit, dicens: *Spiritus apprehendit eum, & subitò clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum, & rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Sed quod hic ad propositum præsens maximè notandum est, & mirandum est, quod pater Christum nil pro afflicti nati subsidio & succursu aliud rogitet, quàm unum tantùm *respice Magister obsecro, respice in filium meum*; non ait, ô benigne Domine! sana filium meum, libera eum, vel ejice malignum spiritum, sed tantùm respice filium meum. Sanè quàm optimè: quia ut dictum est, ubi facies Domini respicit, ibi est pax & salus. Unde patris hujus sapientiam extollens Titus Bostrensis apud S. Thomam ait: *Sapiens videtur hic esse, non enim dixit Salvatori fac hoc, vel illud, sed respice, hoc enim sufficit ad salutem.*

Luc. c.9.
Vers. 39.
vers. 40.
Vers. 38.
Apud S. Thom. in Caten.

Sidonius Apollinaris narrat, quod Traces studentes hieroglyphicè falsorum suorum Deorum aspectus efficaciam atque mirabiles ejus effectus dilucidè exprimere, Solem in tabula artificiosè depingi curarunt tres splendidissimos radios emittentem, quorum primus mortuum resuscitabat, secundus durissimam rupem dissipabat. Tertius verò nivem in altissimo monte jacentem dissolvebat. Quàm propriè hi effectus divino Christi Domini lumini conveniant, quis est, qui non videat? Eò Christus Jesus verus Sol justitiæ, ut attestatur Malachias Propheta, *orietur vobis Sol justitia*; fervidis lucis suæ radiis mortuum secundùm animam Saulum maximum primitivæ Ecclesiæ persecutorem vivificat & spiritualiter resuscitat. Act. cap. 9. *Circumfulsit eum lux de cœlo*, & confestim tanto insolitæ claritatis splendore obcæcatus exclamat, *Domine, quid me vis facere?* Conterit præterea obduratum in avaritiæ peccato Matthæi animum, & pertinacem in Domino negando Apostolum Petrum, & unico divini aspectus ictu ad pænitentes lachrymas concitat & impellit. Nec mirum; si enim ut Plinius testatur in Phrygia reperiantur durissimæ rupes, quæ calidis Solis radiis tactæ abundantem aquam effundunt; quid ni & similem supernaturalem Soli nostro Christo virtutem attribuamus? durissima enim petra erat Petrus: sed ubi Sol iste super hanc radios suos expandit, conversus Dominus respexit Petrum, statim aquam lachrymarum profudit juxta Davidicum vaticinium, *qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum, & percussit petram & fluxerunt aquæ.* O stupendam divini intuitus virtutem? *Negavit*, inquit Ambrosius, *primò Petrus, & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus, negavit secundò, & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus, negavit tertiò, & respexit Iesus, & ille amarissimè flevit; si ergò ita sunt necessarii oculi tui Deus, respice in me & miserere mei.*

Malach. c.4. v.2.
Act c.9. vers.3.
Psal. 113. v.8.
Ambr. l. 10. super c.22. Luc.

Vidimus utcumque ingentem Christi Domini luminis efficaciam, numquid modò eamdem omninò similem ausus forem Mariæ Virginis oculorum lumini adscribere? Imò profectò; est enim *Lux Luna, sicut lux Solis.* Asseroque constanter, quod sicut Christi, & Dei intuitus saluti hominum penitùs est necessarius, ejusque à nobis aversio interitus nostri manifestum est prognosticum, sic & pariformiter Mariæ Dei genitricis intuitus salutis, & è contrà ejus à nobis aversio clarissimum est damnationis indicium. Hoc aureis hisce verbis clarissimè attestatur S. Anselmus: *Sicut impossibile est, à quibus Virgo Maria oculos suos misericordiæ avertit salventur: ita necessarium quod hi, ad quos convertit oculos suos justificentur & glorificentur.*

Hoc unicum S. Anselmi tam prægnans, tamque nervosum de oculorum Virginis efficacia testimonium, quamvis intentum nostrum efficacissimè videatur comprobare: lubet tamen parumper prolixiùs Mariani intuitus virtutem examinare, atque clarè demonstrare, quòd hæc pulcherrima

Ansem. in l. miracul. relatus à S. Antonino 4. p. tit. 15. c. 14.

Luna splendidissimis aspectus sui radiis, ut Sol Christus filius, obstinatissimos peccatores emolliat, frigidissimos in divino zelo, ac operibus bonis calore suæ pietatis foveat, in densissimis peccatorum tenebris sedentes illuminet, dæmoni quasi dedicatos, ex ejus faucibus potenter eripiat, mortuosque non tantùm corporaliter, sed etiam spiritualiter vivificet. Hanc sanè satis experta est publica illa peccatrix Maria Ægyptiaca, cujus admirabilem conversionem, postquam septemdecim annos in luxuria, aliisque carnalibus peccatis turpiter consumpsisset, refert Nicephorus. Illa quodam tempore fortuitò cogitans templum Jerosolymitanum leviter pertransire, ab introitu divinitus est impedita; & quamvis ter, quaterve inceptum ingressum prosequi attentaret, continuò repulsa est. Quo miraculo perterrita, oculos in cœlum elevavit, imaginemque Divæ Virginis Mariæ conspexit, cujus aspectu omnis omninò carnalis concupiscentia in Maria ægyptiaca jam dudum radicata, extincta est; adeòque sancta, & casta usque ad finem vitæ vixit, ut Concilium Nicænum ejus sanctitatem, ac stupendam castimoniam summoperè sit admiratum, talis enim erat in peccatricem Mariæ aspectus vis & efficacia ait Ambrosius. *Tanta erat ejus gratia, ut non solùm in se Virginitatis gratiam servaret, sed etiam his, quos viseret integritatis insigne conferret.* Proinde & meritò à SS. PP. appellatur Virgo germinans Virgines. Benè itaque ait Isaias: *Erit lux Lunæ, sicut lux Solis.*

Niceph. in Hist. Eccl. lib. 17.

Ambr. l. de inst. Virg. c. 7.

Doctissimus Scriptor Bincius de quodam commemorat indicibili in inimicum odio laborante, quod ipse, qui ante nec minis, nec exhortatione, nec precibus ullatenus molliri, ac flecti nequierat, unico Marianæ imaginis intuitu commotus, feralem inimicitiam deposuerit: exclamans, *do veniam lubens, obliviscor injuriæ, condona tu mihi Deus peccata mea.* Argumentemur modò à minori ad majus: si tantum potuit mortua, depictaque imago, quid non efficient vivaces viventis in sæcula sæculorum Mariæ Virginis oculi?

Sanè longum foret enucleatim horum virtutem enarrare, tempusque ad hoc planè deficeret: ideò ut illi parcam, unum dumtaxat, sed quamplurimum admirabilem Lunæ nostræ referam ex Beato Damiano effectum. Obierat devotus quidam Burgundio genere, Annicensis Episcopus è peregrinatione in Mariæ Virginis honorem susceptâ domum rediens, idque in statu peccati mortalis, pro cujus anima æternis flammis cruciandа, cum acriter instarent maligni spiritus, Dei genitrix visibiliter mortuo apparuit, ac efficacibus intuitus sui radiis illum, non tantùm quoad corpus verùm (quod præcipuum est) quoad animam, mirabiliter vivificavit. Quod miraculum, quia tàm stupendum est, in majorem fidem verba ipsius Damiani hic subjicio: *Mortuum confestim intuens, ait ad corpus, homo præsto regredere; scelus hoc quod ab iniquis jure tibi objectum est, confitere.* Et ecce mors, quæ obstinata numquam suam prædam dimittit, nisi coacta, tantis Mariæ radiis resistere non valens, defunctũ mox reddidit, qui onerosâ peccati sui sarcinâ depositâ, placidè in Domino obdormivit. Concludo itaque quod, *lux Lunæ* Mariæ, sit sicut *lux Solis* Christi.

Dam. lib. 2. Epist.

Pierius Valerianus inter cæteras vanis superstitionibus, ac figmentis plenas, quas cæci effinxerunt Ægyptii, & coluerunt imagines, unam fuisse asserit in maxima æstimatione, ac religione habitam; cui hanc imposuêre superscriptionem; *oculi divum.* Corpore basilisci hæc statua figuram repræsentabat, capite verò accipitrem exhibebat. Oculi autem eo artificio concinnati, eàque industriâ efformati erant, ut & claudi, & aperiri possent. *Hanc*, inquit ipse, *simul atque oculis adaperti adferebant, universa Ægyptus lætitiâ atque hilaritate perfundebatur. Perinde ac si Deorum oculi adspicerent, opemque præsentem omnibus pollicerentur. Quòd si clausis eum oculis obtulissent, ibi tum omnia mœrore luctuque confundi, iratos & aversos Deos æstimari, abdere se omnes in tenebras, mirabilique deploratione pro se quemque niti, ut Deorum indignationem quâcumque possent ratione mitigarent.* Hactenus Pierius.

Pierius l. 14.

Hæc ingenuè confiteor insana obcæcatorum gentilium sunt deliramenta, ast si ea ad seria convertamus, dico similem in effectu esse imaginem Divam Virginem Mariam. Etenim, si ipsa oculos maternæ suæ pietatis occludat, omnia infælicia, si verò illos ad nos pia convertat, omnia prospera, ac læta prognostica; sic apertè sentit Sanctus Bonaventura dicens, *quem vult ipsa salvus erit, & à quo ipsa faciem suam avertit, vadit in interitum.* Hinc sicut Mater nostra Ecclesia pro divino intuitu tàm instãter clamat, *respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam*; ita eadem indies Marianum flagitat aspectum ad illam clamans:

Bonav. in Psal. Virg.

clamans : *Eja ergò advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Hinc hujus Marianorum oculorum potentiæ non ignarus S. Thomas à Villa - Nova eodem modo ad Mariam Virginem, sicut Ecclesia ad Patrem æternum rogans clamat : *Respice ergo nunc ò piissima ! certantis Ecclesiæ filiæ tuæ tribulationem, attende ad familiam hanc, pro qua Christus filius tuus est in afflictione, positam.* Et meritò, quia lux Lunæ est, sicut lux Solis. Ob hoc clamabat sponsus Christus ad sponsam suam dilectam Mariam : *Averte oculos tuos à me* Scilicet, ut illos ad miseros peccatores converteret, atque sedulò æternæ animarum nostrarum saluti prospiceret. Sic explicat Hugo Cardinalis : *Averte oculos tuos à me, ut curæ scilicet subditorum intendas.* Hanc enim curam Christus Jesus pro genere humano in Cruce moriens genitrici suæ unicè commendaverat dicens, *Mulier ecce filius tuus*, ut Sole deficiente nocti, id est inquit Hugo peccatori, clarissima hæc Luna substitueretur. Hoc attente considerans S. Ephraim exclamat : *O Beata Maria ! tu pro nobis multocula effecta es.* Cui & concinit Richardus, dicens : *Adeò blandè ergà omnes sunt oculi Virginis nostræ, ut licet oculi Domini sint super justos, oculi tamen hujus Dominæ sint super peccatores ; sicut oculi bonæ matris super puerum, ne cadat, vel si ceciderit, ut eum relevet. Vnde ipsa servienti sibi ait in via hac, qua gradieris firmabo super te oculos tuos.* Verè itaque *lux Lunæ* Mariæ est, sicut *lux Solis* Christi.

Thom. à Villa Nova serm. 3. de Nativ.

Cant. c. 6. v. 4.

Hugo in c. 6. Cant.

S. Ephr.

Richl. 2. de laud. Virg.

Ælianus celeberrimus Historicus admirabilem, ac raram, avi cuidam nominatæ Caradio, à natura inditam esse commemorat proprietatem, eamque sæpè sæpius manifestâ experientiâ fuisse comprobatam attestatur. Scilicet illam solo suo aspectu plerisque infirmis occultâ quâdam virtute pristinam sanitatem restituere. Quodque mirabilius est, addit Dionysius Carthusianus eam ægroti vitam, & mortem certissimè augurari. Etenim si ad præsentiam illius deducta, oculos suos avertat, infallibile secuturæ mortis : si verò illum placidè aspiciat, recuperandæ sanitatis est præsagium. Quam Deus omnipotens ut author naturæ, avi Caradio mirificam quantumvis fermè incredibilem concessit virtutem, illam ut author gratiæ, Mariæ Virgini Matri suæ liberaliter indidit. Si namque illa benignos oculos suos a misero peccatore avertat, ac radios suæ misericordiæ subtrahat, æternæ damnationis : si autem placidum solitæ pietatis suæ vultum ad eum convertat, certissimum animæ ejus salutis est prognosticum. Tantam Marianis oculis efficaciam attribuere vererer, nisi solidissimi Doctoris sancti Anselmi testimonio fulcirer, cujus hic verba capite, Virginem alloquentis : *Sicut ò beatissima Virgo omnis à te aversus, & à te despectus, necesse est, ut intereat, ita in omnis ad te conversus, & à te respectus, impossibile est ut pereat.*

Ælianus lib. de variis Hist.

Dionys. super c. 11. Levit. a. 25.

Anselm. orat. Virg.

Hoc æterno suo damno expertus est miser Anatolius, Is, ut refert Nicephorus, ob idololatriam, aliaque quamplurima scelera ex mandato Tiberii Cæsaris in carcerem missus erat severâ morte plectendus. Quidam Tiberii aulicus (cæteris justitiam implorantibus) apud illum pro venia ac misericordia plurimum instabat : quæ ratio fuit dilatæ in longum executionis sententiæ. Anatolius interim captivus detentus in carcere, parvulam quamdam Mariæ Virginis imaginem in pariete sculptam est conspicatus ; quam propius accedens in risum effusus, Mariam interrogavit, an foret vitam & veniam consecuturus, an verò morte plectendus ? & ecce (mirabile dictu) visum est à carceris custode, aliisque captivis Imaginem hanc moveri, quæ, ut altera avis Caradius faciem suam ad parietem, tergum autem ad blasphemum Anatolium convertit in futuræ æternæ damnationis indicium ; quod mox ei eventus clare comprobavit. Ipse enim morti adjudicatus, & ad bestias condemnatus, die sequenti carceri extractus, justam Tiberii subiit sententiam, atque in peccatis suis obduratus miserè interiit. Benè itaque ait Anselmus : *Sicut ò beatissima Virgo, &c.*

Niceph. lib. 18. c. 4.

Posset ergò Maria Virgo quam optimè comparari speculo, quod apud Achivos, teste Natali comite, in templo Cereris conservabatur. Illud filo appensum erat juxtà quemdam fontem, in quo infirmi, tamquam in salutari Balneo, sese lavare soliti erant. Sed quod mirandum, in hoc speculo quilibet poterat agnoscere, an pristinam sanitatem esset recuperaturus, an verò ex præsenti infirmitate moriturus. Etenim si Virginis facies (quam ipsi credebant Deæ Cereris fore) in speculo infallibiliter apparens lumina sua ad infirmum convertebat, salutem ; si avertebat, mortem prognosticabat. Huic inquam speculo in Ecclesia Dei constituto Mariam Virginem rectè assimilari posse reor : illa enim si nos benignis pieta-

Natalis comes in præfat. l. 9.

tis

tis suæ oculis adspiciat, certissimè animæ salutem, ait Anselmus: *Ad te respectus impossibile est ut pereat.* Sin minùs, infallibiliter interitum denuntiat, ut attestatur S. Bonaventura: *A quo faciem suam avertit, evadit in interitum.*

S. Anselm.

S. Bonav.

Nec incongruè sane & ob aliam rationem Maria Virgo speculo comparatur; etenim quamplurimi illius effectus, & proprietates ad amussim ipsi conveniunt. Speculum namque inprimis hujus est naturæ, ut nisi purum & lucidum sit, non valeat intuentium imaginem, ac rerum sibi diametraliter oppositarum figuram perfectè repræsentare. Pariformiter, nec Pater æternus divinam suam imaginem, id est unigenitum filium suum æternum potuisset Mariano speculo, id est, benedicto Virginis utero imprimere, in eoque incarnari, nisi fuisset ab omni labe & peccati maculâ prorsùs alienum: hinc de ea ait Sapiens: *Speculum sine macula.* Præterea experientiâ constat, quod si speculum radiis solaribus juxtà stuppam aut aliam proximè ad ignem dispositam materiam exponas, illa statim ex radiorum reflexione, ac reverberatione accenditur. Haud dissimiliter Deus verus sol justitiæ, ignitos omnipotentiæ suæ radios ad Marianum speculum demittens, horum mirabili virtute magnus ignis exortus est, scilicet Christus Dominus noster, qui ignis consumens in sacra Scriptura promiscuè nuncupatur. Deinde, sicut radius solaris sine ulla omninò speculi corruptione, virginalem uterum ingrediens, & ab eo mediante partu, & nativitate egrediens, instar lucidissimi radii solaris matrem suam plane integram, intactam, ac veram virginem reliquit. Hanc speculi proprietatem, curiosè ut solet, annotat S P.N. Augustinus dicens: *Solis radius speculum penetrat; & soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit: & talis videtur intrinsecus, qualis est extrinsecus. Itaque nec cùm ingreditur, nec cùm egreditur, illud dissipat, quia ingressu & egressu, ejus speculum integrum perseverat. Speculum ergò non rumpunt radiis solis, & integritatem Virginis ingressus aut egressus vitiare non potuit divinitatis.*

August. de nativ. Domini.

Sed illa quæ maximè meo quadrat proposito speculi proprietas & natura est, quod omnia inverso modo objecta repræsentet, ut clarissimè patet. Oculum enim dextrum intuentis à sinistra parte, sinistrum à dextra, & sic de reliquis demonstrat. Hoc ipsum quoque efficit lucidissimum illud speculum sine macula diva Virgo: ipsa enim efficaci pietatis, ac benignitatis luminis virtute perditissimos etiam peccatores, qui in divino tribunali extremi judicii tempore à sinistrâ erant constituendi, ut hædi reprobati, à dextris ipsius supremi judicis Christi inter oves, id est prædestinatos, potenter collocat; & ut ii in loco rigorosæ & horribilis sententiæ, *ite maledicti in ignem æternum*, mite & suave judicium accipiant, *venite benedicti Patris mei, &c.* Hæc pia Mater efficit. Audite quam apposite ad meum dictum idipsum asseveret doctissimus Guilielmus Parisiensis, super illud Cantic. cap. 1. *Egredere, & abi post vestigia gregum tuorum. Pasce*, inquit, *hædos tuos, quia eos, qui à sinistris erant collocandi, suâ intercessione efficiet, ut collocentur à dextris.* Et hinc Maria Virgo ab Ecclesia justissime appellatur speculum justitiæ, & non speculum misericordiæ, quia tamquàm verum speculum omnia inverso modo repræsentat, & miseros peccatores, severâ judicis justitiâ indubitanter plectendos, sub solida misericordiæ protectione constituit.

Guilielm. Paris. super Cant. 1.

Sacræ Scripturæ Interpretes, ac quamplurimi SS. Patres maxime dubitant, ideoque curiose inquirunt, an Maria à dextra filii sui Christi, vel sinistra juxtà crucem steterit: id enim vix è Scriptura dilucide erui potest; quia Evangelista Joannes nude tantùm ait, *Stabat juxtà Crucem Mater Iesu.* Dubium iis, & aliis ingerit pictorum ordinarius pingendi modus, qui divam Virginem ad dextram crucifixi, Joannem verò ad sinistram statuunt. Id quamplurimi in reverentiam Mariæ, divo Joanne longe eminentioris, fieri contendunt. Sed quidquid sit, de varie opinantium judicio, divum Bernardum oppositæ sententiæ reperio firmiter adhærere, qui constanter sustinet Mariam à sinistra Christi juxtà crucem subtitisse fultum Davidis vaticinio: *Considerabam ad dextram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me.* Verba ejus sunt: *Beata Virgo pingi debet ad sinistram crucis, quia Christus in cruce faciem tenebat ad orientem, Virgo verò ad sinistram, id est, ad aquilonem.* Sed cur hæc pia Mater oculorum suorum radios ad aquilonem vibrabat? Ah profectò non ob aliam rationem, quam ut admirabili divini sui intuitus virtute, omne malum ab homine avelleret, & delictorum tenebras suo lumine dissiparet; quia ab Aquilone pendetur omne malum. Et ideò juxtà Damian. latro, qui à sinistro pendebat conversus est, quia Maria ab hac parte stans juxtà crucem, directè benignos misericordiæ oculos in eum conjecerat: *Stans Virgo*, inquit, *juxtà crucem, pro latrone preces fudit, & ejus intuitus resipuit.* Nec hoc ullatenus mirandum, etenim ut ait S. Anselmus; *Necessarium est* ut hi, *ad quos*

Psal. 141. vers. 5.

Hieron. c. 4. v. 14.

Damian. serm. de latrone.

quos

quos convertit oculos suos justificentur, & glorificentur. O mira Mariani aspectus virtus! ô stupenda hujus Virginis oculorum efficacia! Non abs re sanè Mater nostra Ecclesia in quotidianis precibus ad eam instanter clamat: *eia ergò illos tuos misericordes oculos ad nos converte,* sicut & ad Christum: *Respice super hanc familiam tuam,* quia lux lunæ est sicut lux solis. Quod maturè considerans S. Bernardus ait: *Non enim dubito, O Maria! si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suum officium retardare. Mirabiles nec non amabiles sunt tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam salutem. O Domina! quàm beati sunt, quos viderunt oculi tui, hos ergo oculos ad nos converte.*

Bern ser. de annunt.

Nec ego umquam miratus sum, tantam Mariæ luminis efficaciam, si enim ut referunt naturalistæ, Aquilæ ea sit natura, ut ipsa pullos suos sub alis fovens cordi & pectori vicinioribus præstantiorem, magisque acutam oculorum aciem indat, quantam luminis virtutem Maria à divina hac Aquila Christo Domino nostro non hæreditavit, qui adhuc tenellus toties pectori, uberibusque Matris adhæsit, imò quasi inhæsit? Ipsa teste, *Dilectus meus inter ubera mea commorabitur?* Sanè tantam dico, ut quàm optimè ei approprietur illud Isaiæ: *Erit lux luna, sicut lux solis.*

Pierius lib. 44.

Pierius solis explicans proprietates, dicit eum cum humana vita mirabilem habere consensum, ita ut ille luminis sui splendore fælicitatem vitæ identidem tranquillitatem, obnubilatus vero infortunium & sinistra augurètur. Hinc, inquit, *Hypocrates medicis non otiosè observandum præcipit, si visus sol in somniis obscurari, occultarivè, aut nusquam apparere, periculum instare ut ægrotus vitam amittat.* Hæc vana credo & superstitiosa: veritatem tamen habent non exiguam in luminari nostro Maria; si enim à peccatoribus lumen oculorum suorum avertat, actum est de iis, eodem modo, ac si Christus à nobis divinæ gratiæ suæ oculos averteret, quia est lux lunæ sicut lux solis. Unde si Ægyptii Minervam, quia è cerebro Jovis producta credebatur, indignitate, honore, & potentia ipsi supremo Deo æstimabatur proximè similis, ut insinuat Horatius hoc versu:

Proximos illi tamen occupavit
——— Pallas honores.

Quidni & nos dicemus divinam hanc Minervam, quæ ab æterno ex veri Dei idæa prodiit, quam proximè filii Christi lucis efficaciam omninò similem, divinosque honores perfectissimè hæreditasse, ac proinde mutatis terminis Mariæ, quàm optimè applicare possum verba Horatii:

Proximos nati tamen occupavit
——— Mater honores.

Quod cum ita sit auditores, unanimiter nos ad eam convertamus, instanter implorantes quatenus, tamquàm pia Mater, minimam saltem scintillam divini sui luminis ad nos miseros demittat. Clamemus ore pariter & corde incessanter, ô Domina! ne avertas faciem tuam à nobis, alioquin fiemus totaliter conturbati: sed misericordes oculos tuos, ad nos, ô clementissima converte, ut splendidis benignitatis tuæ radiis in peccatorum tenebris jacentes, illuminati, tandem aliquando seriò resipiscamus, atque meliorem vitam amplectamur. Hanc autem, quam indubiè omnes flagitamus gratiam, ut à Maria impetremus, vultis scire ô Christiani quid facto opus? imò quid necessariò agendum? Pia hujus Virginis veneratio, continua devotio, ac singularis reverentia cordibus vestris indelebiliter insculpenda est; asseveranter enim dicit, & sæpè sæpiùs repetit S. Bonaventura: *Qui illam dignè coluerit, justificabitur, & qui neglexerit illam in peccatis, morietur.* Modum verò eam dignè colendi vos docet S. Hieronymus: *Tunc eam verè colitis, inquit, & amatis, si imitari velitis de toto corde quam laudatis.* Tu igitur imitare profundam Mariæ humilitatem, tu lascive angelicam puritatem, tu avare ingentem paupertatem, tu vindicative indicibilem ejus benignitatem, atque mansuetudinem, ut sic eam dignè colens, à peccatis tuis illius intercessione justificari, & à Filio posteà in æternum glorificari merearis.

S. Bonav. in Psalm. Virginis.
S Hieron. serm. de Assumpt.

CONCIO NONA
THEMA.

Ego feci ut oriretur lumen indeficiens.
Eccl. cap. 24.

ARGUMENTUM.

Declaratur Spiritum Sanctum mirabiles sponsæ suæ Mariæ, sub metaphora lucis prærogativas manifestasse.

Attentè perpensis cunctis honorificis titulis atque metaphoricis elogiis, quibus Spiritus sanctus Mariæ Virginis eminentiam atque magnitudinem exprimere, mundoque ad oculum exhibere conatus est, nescivi quis titulus, quæ metaphora ad hoc objectum foret aptior & clarior. Quod dùm debili ingenio inciperem indagare, memini maximè, quam ex historiis prophanis cognovi, gentilium cæcitatis. Hi Deos suos pro dignitate & congruentia volentes elevare, lucis metaphorâ usi sunt. Hinc inferioribus Diis minus sydus, ut Mercurio stellam, Apollini digniori lunam, Jovi verò Deorum capiti solem adscribebant, cum Epigraphè, *Inter sydera sydus*.

Hoc Persæ, Hæbræi, Romani, plurimæque aliæ gentes imitatæ sunt ut familiarum, ac stemmatum nobilitatem, minorem, & majorem denotarent. Inde apud Persas tantum nobili licitum erat insignibus suis unam stellam, Principibus autem, ac nobilioribus tres ingerere. Hæbræi eminentium nobilium ad inferiorum differentiam arma sua dumtaxat solis radiis decorabant: eminentissimi verò solis, lunæque lumen sibi adscribebant. Atque hinc apud Ægyptios mos viguit, quod in Principum ac Regum sepulchris sumptuosæ pyramides sculperentur, quas solis radiis adornabant. Nobiles etiam Romani tunicâ candidâ, plenâ stellis amicti incedebant, ita ut cuncti progeniei dignitatem, gloriam, atque sublimitatem lucis ulnâ metirentur.

Haud dissimiliter mihi videtur fecisse Spiritum sanctum, qui post varia Mariæ decantata elogia ac encomia, cernens ea illius nobilitatem atque celsitudinem neutiquam attingere, eam totius firmamenti lumine honorat. Nec id mirum, omnes enim totius universi partes lucis ethymologiâ gaudent. Apostoli appellantur: *Lucerna ardens*: Ecclesiæ Doctores *Lux mundi* Angeli *Angelus lucis*. Et ipsum æternum Verbum, *splendor Patris æterni*. Christus *Sol justitiæ*. Et cujus quæso creaturæ Mariæ Virgini paraclitus proprietates magis congruas quam luminis attribuisset, ut illius eminentiam ac sublimitatem indicaret? Meritò itaque dilectam suam sponsam describere incipiens, ait: *Signum apparuit magnum in cœlo, mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, & corona in capite ejus stellarum duodecim*. Unde dum Angelici Spiritus ob Mariæ Virginis ad superos ascendentis eximium splendorem obstupefacti, inquirent, *quæ est ista quæ progreditur*? Mox hoc auditur responsum: *Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* Sed quod omne lumen longè superat, est illud, quod indesinenter illuminet. Hinc Maria in summæ eminentiæ testimonium, *lumen indeficiens* nuncupatur. Lumen scilicet quod numquam nubibus obvolvitur, sed quod continuò radiat; die ut sol, nocte ut luna, & stellæ, in diei crepusculo ut stella matutina, & aurora. Verum cur Deus Mariam tantum lumen indeficiens modo destinarit, si quis scire anhelet; respondeo, ut verificetur de ea illud Isaiæ vaticinium; *Dedi te in lucem*

Apoc. c. 12. v. 1.

Isa. c. 49. v. 8.

Ducem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Sanè Mariæ lumen est indeficiens: etenim ubi sol à nostro hemisphærio, radios suos post solitum retrahit cursum, lunæ lumen, ac stellarum, aliorumque syderum splendor ad noctem illuminandam succedit, & rursus hæc luminaria, sole elucente, prorsus evanescunt, & quasi perfuncta excubiarum munere, soli suâ vice redditâ recedunt. Ipsa verò Maria sol noster constantissimum lumen perseverat indeficiens, in quo denuò est simillima Christo, de quo dicitur, quod *illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verùm ut clarissimè ostendamus, quàm fundamentaliter Spiritus sanctus huic Virgini omne lumen adscribat: operæ pretium est luminis qualitates, effectus, ac proprietates parumper perscrutari; quod ut incipiamus, rogitemus Mariam lumen pro lumine, ut ejus intercessione Spiritus sancti lumine illuminati, aliquantulum convenienter de tanto lumine disserere possimus.

Ego feci ut oriretur lumen indeficiens.
Eccl. cap. 24.

NOn tantum magni à gentilibus, qui solem, lunam, & stellas cæteraque sydera, ut veros deos venerabantur, æstimata fuit luminis nobilitas, & præ cæteris visibilibus præeminentia: verùm etiam à quamplurimis SS. PP. Ambrosius enim ingeniosè tractans de cæli & terræ, omniumque totius universi creaturarum productione, apertè confitetur, omnipotentem Deum omnia in pondere & mensura creasse, juxtà illud Sapient. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Exceptâ tamen luce, quam cum sine mensura, & pondere produxisse constanter afferit. Hæc fateor divi Ambr. secundùm sensum litteralem strictè sustineri non potest sententia, cum enim ipsa lux, ut cætera creata genere & differentiâ constet, limitatamque acceperit à Deo essentiam, certasque sortita sit proprietates, certissimum est, eam in mensura & pondere fore productam: nec hoc etiam prætendit Ambrosius, qui mysticum scripturæ sensum subtiliter assequutus, per lucem Mariam Virginem intelligit, quæ ab ipso æterno opifice sine pondere & mensura perfectionum atque gratiarum efformata est, ideòque & plena gratiâ dicitur, & sic hanc adumbrari, quando in prima mundi creatione Deus dixit: *Fiat lux.*

Sap. c. 11. v. 21.

Ambrosius.

Hanc pulcherrimam divus Ambrosius adinvenit speculationem ex miro scripturæ de luce loquendi modo: Genesis cap. 1. habetur, *dixitque Deus, fiat lux,* & paulò post ait textus: *Factumque est vespere & mane dies unus.* Deinde Deus opus suum prosequitur: *Fiat firmamentum in medio aquarum,* & subditur, *& factum est vespere & mane dies secundus.* Hoc annotans divus Ambrosius, inquirit cur creatâ luce, dicat Scriptura factum esse diem unum, & aliis creaturis productis, diem secundum, tertium, quartum &c. factum esse asserat. Etenim si Spiritus S. hìc utatur tò *unus*, cur postea non ait & facti sunt dies duo? Et rursus si *secundus*, cur ante non ait, & factus est dies primus; hoc enim expressè contrà regulas grammaticales militat, quia numerus cardinalis sequi debet numerum cardinalem, inquit grammaticus. Indubiè hìc aliquid absconditum latet mysterium.

Gen. c. 1. *vers. 3.* *vers. 5.* *vers. 6.* *vers. 9.*

Quæstionem propositam enodat, atque dissolvit ipsemet Ambrosius respondens, per hunc inusitatum loquendi modum Spiritum sanctum indicasse, quod quia lux, & in se, & in variis nobilibus proprietatibus cæteris creatis longè præeminet, & præcipuè quia Mariæ Virginis oriundæ purissimæ lucis est symbolum, Deus nihil planè commune illam habere cum aliis creaturis passus fuerit. Hinc optimè ait *unus*: etenim si dixisset primus, à secundò, si verò duo, dependentiam ab uno denotasset, ideò optimè, nec dies primns, nec duo, sed unus dies, & secundus dicitur; quia Dei genitrix Maria verissimum lumen indeficiens ad communem aliarum creaturarum creationem nullatenus pertinebat. Quod clarè attestatur Apostolus Paulus ad Hæbræos: *Tabernaculum non manu factum, non hujus creationis,* sed specialis & particularis. Et hoc idem ipsamet indicat dum ait: *Et dixit mihi creator omnium, & qui creavit me &c.* Inexcogitato atque insolito scilicet creandi modo. Cæteri enim homines puri peccatorum tenebris ab instanti conceptionis fuerunt involuti, at ego creata sum lux indeficiens, quæ omnis prorsus noxæ tenebras procul abegi.

Ad Hæbr. c. 9. v. 11.

Eccl. c. 24. v. 12.

Verùm modò ut clariùs divi Ambrosii fundamentum sub metaphora lucis eximiam Mariæ Virginis celsitudinem describentis innotescat, diligenter indagandum est, quam concinnè ipsi plurimæ lucis conveniant proprietates. In primis lux est valde pura, ut patet cuilibet ad oculum. Maria itaque vera lux est, cujus tanta est puritas & nitor, ut ejus devotissimus famulus Bernardus obstupefactus cogatur exclamare: *Quæ vel angelica puritas*

Bernard.

puritas ipsius virginitati audet comparari? quæ digna fuit Spiritus S. sacrarium fieri, & habitaculum filii Dei. Præterea lux secundum communem omnium Philosophorum opinionem, nullum omninò habet contrarium, nec ad informandum subjectum ullam prorsus in illo exigit dispositionem, ideòque in instanti illuminat ac tenebras depellit: lux profectò Maria, ipsa namque nullum passa est in anima gratiæ sanctificanti contrarium; sed (ut in sequenti discursu ostendam) à primo conceptionis suæ momento divinitus illuminata, clarissimè infusæ sanctitatis luce densissimas omnium peccatorum, etiam originalis tenebras procul depulit. Nec id cuipiam mirum videri debet: sicut enim lux à nullo agente inficiari, ac commaculari potest. Sic Maria Virgo, quâcumque dæmonis astutiâ & industriâ originali maculâ nequiit coinquinari, sicque verum remanet de Maria dictum, *lux indeficiens.*

Ulterius lux nullum destruit positivum, sed tantum privationem tollit, sic & lux Maria nil destruit, sed è contrà omnes creaturas totumque universum efficacissimâ suâ intercessione, & instantibus precibus conservat, ut audacter asserit S. Fulgentius, dicens: *Iam dudum cælum, & terra ruissent, si non Maria precibus sustinuisset*: verùm dumtaxat è cordibus nostris privationes, id est peccata nostra (cujus essentia & formalitas juxtà plurimorum Theologorum sententiam in privatione consistit) suâ gratiâ, quàm nobis à filio impetrat, fugat & depellit. Insuper lux ad sui luminis per medium diffusionem, præviam non requirit dispositionem: sic lux Maria splendidis pietatis, atque benignitatis suæ radiis, quamtumvis obdurata peccatorum corda, subtiliter penetrat, & mirabiliter illuminat. Lux quoque, ut constat ex sacra Scriptura, à Deo creata est ante suum subjectum, quod, non nisi supernaturaliter factum esse, clarissimum est; lux enim, cùm ex essentia sua vere sit accidens, & per consequens ens in alio (ut modò ex communi Philosophorum sententia suppono) essentialiter petit alicui subjecto inhærere, neque potest ab illo non nisi per Deum separatim conservari. Scriptura primam mundi creationem enarrans, testatur lucem productam fuisse primo creationis die, *fiat lux, & facta est lux*, Genes. cap. 1. Lunam verò, & solem, cæteraque firmamenti luminaria, lucis subjecta, tantummodò die quarto creata fuisse, apertissimè constat ex eodem cap. *Fecitque Deus duo luminaria magna.* Et vers. 19. dicitur: *Factum est vespere & mane dies quartus.* Verùm quorsum prudentissimus mundi machinæ conditor in primo potentiæ suæ opere naturæ ordinem totaliter invertit? Cur quæso luci in essentia realiter accidenti, necessarium juxtà naturalem illius exigentiam & appetitum innatum non concreavit informationis subjectum? Cur lucem supernaturaliter sustentando, miracula multiplicat sine necessitate? Quæ hujus insolitæ productionis potest assignari ratio? Ah profectò non alia, quàm, ut lucis productioni, ut veræ genitricis suæ figuræ, illius creatio perfectissimè corresponderet; natura enim contra naturalem ordinem in Mariæ conceptione coacta est gratiam exspectare, teste Damasceno: *Natura gratiæ fœtum antevertere ausa non est*, verùm tantisper exspectavit, dum gratia fructum suum produxisset.

S. Fulgent. l. 4. meth.

Gen. c. 1. vers. 3.

Vers. 16.

Damasc.

Ex hoc liquidò constat, jure meritò Mariam tabernaculo Salomonis, & gentilium templo olim Veneri consecrato, posse comparari; in illo enim ignis diu noctuq; de expresso Dei mandato conservabatur, ut patet ex c. 7. Sap. *Inextinguibilis est lumen illius.* In hoc verò juxta S. P. N. Augustinum mirabilis lapis Abeston, qui per modum vivi & ardentis carbonis inextinguibile lumen in se continebat, cernebatur. Pariformiter in sanctissimo illo Mariæ Virginis tabernaculo, divinus sanctificantis gratiæ ignis semper exarsit, atque in sacrosancto Virginis Mariæ utero, templo, non falsæ Deæ Veneri, verùm SS. Trinitati consecrato, pretiosus sanctitatis lapis Abeston, tamquam lumen indeficiens inextinguibiliter illuxit. Sed de hac materia (Deo dante) latiùs infrà.

Sap. c. 7. v. 10.

Aug. l. 21. de civit. Dei.

Lucis naturam in genere, & aliquot illius proprietates leviter examinavimus; modò ut descendamus more Philosophico ad ejus species, planè necesse est, ad Mariæ Virginis celsitudinem, ac Spiritus sancti, sub lucis metaphora dilectam suam sponsam mirabiliter extollentia, energiam & emphasim luculentiùs demonstrandam. Ad quod operæ pretium erit patefacere, quàm egregiè & propriè omnium totius firmamenti luminarium effectus, atque proprietates Mariæ quadrent.

Et ut à sole syderum principe exordiar, nonne illa justissimè appellatur sol, *electa ut sol?* Sol apud veteres, tum ob nominis ethimologiam, scilicet *solo*, tum etiam ob uniformem in omnia sublunaria influxum, unitatis erat symbolum: unde *sapienter* inquit Pierius. Alexander

Pierius lib. 44.

der Macedo Dario amicitiam petenti, respondit, *nec mundum duobus solibus posse regi, nec duo summa regna salvo statu duos terrarum Dominos habere posse.* Soli nostro Mariæ aptè quadrat unitas, estque verum ipsius symbolum. Maria enim non tantùm in se una est, quæ secundùm S. Bernardum: *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Sed maximè quia mirabilis & incomprehensibilis unitatis est. Ecce illa ad instar solis verbum divinum infinitè à natura humana distans, efficacibus virginitatis & humilitatis suæ radiis, è paterno thalamo ad benedictum suum ventrem attraxit, atque in illo mediante unione hypostaticâ divina natura immortalis, incomprehensibilis & infinita cum humana mortali, comprehensibili & finita in intelligibili quodam copulandi modo perfectissimè conjuncta est, & quæ anteà duo realiter erant, unum effectum est, scilicet Christus, *qui etsi non totus de Deo*, inquit Bernardus, *nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis est, nec duo filii, sed unus utriusque filius.* Et hac suppositi unitate plena, inter Deum iratum & hominem reum pax composita est, teste Apostolo: *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipso pacificans, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Sed de hoc satis prolixè actum est suprà.

Bernard. serm. 5. de assumpt.

Bern. homil. 6. sup. missus.

Epist. ad Col. c. 10.

Rursùs soli nostro Mariæ non potest denegari unitas, Quia si soli materiali ab antiquis illa attribuatur, quia communem omnibus inferioribus communicat concursum, quidni & Mariæ? Quandoquidem ipsa tamquam pia omnium mater, cunctis suam misericordiam atque benevolentiam demonstrat, & *instar Solis*, inquit Bernardus *omnes fovet, omnes exhilarat, omnibus sinum aperit.* Unde ipsi quàm optime potest applicari illud Davidicum: *Memor ero Rahab & Babylonis.* Maria enim constanter promittit, memor ero non tantùm justorum, verùm etiam quantumcumque enormium peccatorum, quorum mihi specialiter cura demandata est: *Pasce hædos tuos.* Clament itaque ad me lascivi, sacrilegi, prophani, homicidæ ac scelerati homines, subsidium maternum non denegabo, sed ad instar lucidissimi solis, qui lumen suum super bonos & malos æqualiter expandit, consuetæ misericordiæ & benignitatis radios in illos liberaliter diffundam. Hoc considerans Bernardus, exclamat: *Sileat misericordiam tuam, ô beatissima Virgo Maria, quicumque in suis necessitatibus te invocatam meminit sibi defuisse.* Hinc in persona Mariæ dicit Sapiens, ait Bernardus, *In omni terra steti.* Scilicet cuilibet assistens afflicto, in omni terra steti, quasi sol fixus ad omnes expandens radios pietatis: ipsa ergò Maria est sol, verumque unitatis symbolum.

Bern. ser. 4 de assump.

Ps. 86. v. 4

Bernard. loco citato.

Eccl. c. 24. v. 9.

Ex hoc, quod antiquitas soli unitatem adscribebat, ortam fuisse arbitror futilem & cœcam Indorum superstitionem, de qua dicit Pierius, quod ipsi dum iratum Principem sibi reconciliare, aut à magnate quodam gratiam, benevolentiam, pacem & unitatem impetrare studerent, antequam supplicaturi accederent, solem stupendis prius cæremoniis adorabant, phialam nitidissimo oleo plenam portabant, hancque facie versus solem manibus extendentes his verbis, orationem ordiebantur. *Salvere te jubeat Deus, O planeta! tuo potens lumine ac omnigena fælicitatis facundissime, qui tam formosus, tamque omnibus exoptatus, tam beatificâ oriris radiorum difflatione, micantissimus tu sol ille es, qui luce, spiritu & vigore tuo mundum universum regis, tu per vim quam tibi Deus optimus maximus infundit, tibi omnia devincis, tu lumen & pulchritudinem ex ipsa divinitatis facie mutuaris.* Et infrà: *Quæ si ita habent, exoratum te volumus, ut amicitiam & benevolentiam in hoc oleo nobis concedatis.*

Pier. l. 55.

Fateor ingenuè diabolica hæc gentilium cœcitas est. Verùm hanc ad veritatem Catholicam convertam. O peccator! qui Dominum Deum tuum ad iracundiam & furorem, tuis iniquitatibus atque sceleribus incessanter provocasti: desiderasne ab ea pacem & reconciliationem? ô miserum Belgium tù ingemiscis sub gravi armorum pondere & fero Martis jugo, vis Principum & Regum concordiam & unitatem, imitare Indos, accede ad solem Mariam Virginem, porta tecum phialam precibus, devotione ac reverentia erga illam plenam, & clama ut illi ad solem, ad Mariam: Ave Maria, tu symbolum es unitatis, ut Planeta luminé tam potens, ut tuo calore non tantum obdurata Principum & Regum corda emollias, sed etiam Deum ipsum contra mundum ira accensum, placatum reddas: tu per vim quam tibi Deus optimus maximus infundit, omnia tibi devincis: ostende te solem esse, & nos in virtute olei, precum nostrarum Filii misericordiam, & Principum dona unitatem, hoc consilium tibi suggerit S. Bernardus: *In omnibus periculis & necessitatibus, rebusque dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde:* quia ipsa est verissimus sol, incessantes radios suæ pietatis super omnes expandens. Hinc ad illam ait S. Bonaventura; *O Fœmina plena gratia, de cujus*

Bernard. homil. 2. sup. missus

Bonav. in spec. c. 7.

plenitudinis abundantia virescit omnis creatura. Et ideò Maria sol, sive lumen indeficiens meritò appellatur.

Hunc autem solem nostrum multoties unitatem & concordiam Principum in mundo procurasse, clarissimè ex variis constat historiis. Refert S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, circà annum à nativitate Domini 1190. cum Rex Aragoniæ, & Comes S. Ægidii, qui Raimundus appellatur, inter sese damnosa discordia dissentirent, nulliusque intervenientes preces quidquam ad pacem componendam efficerent, cuidam humilis fortunæ viro Durando nomine, devotissimè de nocte pro pace oranti, Christus apparuit, eique chartulam porrexit, in qua depicta erat effigies beatissimæ Virginis in pretioso throno sedentis, & charum Filium amplexantis. Utrique imagini erat circumscripta rotunditas, cum his verbis: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, da nobis pacem.* Hic Anitii in cœtu totius populi ab urbis Antistite, super hâc mirabili visione interrogatus, sibi illam à Christo in finem componendæ, inter Regem Aragoniæ & Comitis pacis audacter exponit, asseritque hujus imaginis (quam in dicti sui fidem protulit) visione, iratos animos fore sedandos. Quod & rei eventus comprobavit, hâc enim inspectâ, duo præfati Principes, Dei acquiescentes consilio, pacem cœlitus dilapsam sese inviolabiliter servaturos, interposito jurejurando promiserunt, quam post violatam fuisse, nullæ meminerunt historiæ.

Ant. in. 3. hist. tit. 17. c. 27.

O Maria sol potentissime, quæ gratiæ tuæ lumine, tam facilè discordes animos unanimes reddis. O piissima Mater, certum est, manus tuæ non sunt abbreviatæ, nunc ergò quæso, radios tuæ lucis demitte, & Catholici ac Christianissimi Regis inimicitias depelle, ut post dura & sanguinolenta bella, tandem aliquando miserum Belgium, totaque Christianitas tranquillâ pace aliquantulùm respiret. Sis nobis ô Maria, ad instar alterius Juliæ Imperatricis, hæc videns ferale inter duos filios suos Getam & Antoninum odium ob regni hæreditatem exortũ, indies vehementiùs accendi, nec preces suas ad eos, ab armis & fero bello divellendis, quidquam valere, tandem ambos ad se convocavit, & longâ sed inani ac infructuosâ de concordia oratione habitâ, utrique gladium porrexit, dicens: *Terram quidem & mare, O Filii, jam invenistis, quonam modo dividatis, matrem verò, quonam modo dividetis? me primam occidite.* His matris verbis ita commoti sunt filii Geta & Antoninus, ut dejectis in terram armis, invicem amplexati sint, firmamque pacem inierint. Tu inquam Maria, fac ut Julia, & sanctis inspirationibus corda duorum potentissimorum Regum Hispaniæ & Franciæ fortiter concute, intona auribus mentis illorum hæc Juliæ Imperatricis verba: Terram quidem & mare, O Reges, jam invenistis, quonam modo dividatis, sed quonam modo Matrem vestram sanctam Ecclesiam Christi Domini sponsam dividetis? ecce ô Filii, eo tempore, quo ferale inter vos geritur bellum, infestissimi Ecclesiæ hostes undequaque illam invadunt, ac Catholicam fidem expelIunt. Furibundus Suecus potentibus armis Poloniam & Daniam invadit, Sultanus Candiam copioso militum exercitu infestat. Anglus Flandriam occidentalem aggreditur, estne possibile, quod matrem vestram Ecclesiam tam fœdè maculari, ac tam crudeliter dilacerari permittatis? Desistite, desistite ô Fili, & arma in Matris infestos hostes convertite; non dubito, O Maria! quin arma, ut Geta & Antoninus deponent, & subditis pacem optatam donabunt, tuncque nos summa cum ratione ferventiùs te, ut verum solem venerabimur, teque symbolum unitatis confitebimur, sed nunc ad alias solis proprietates redeamus.

Sol in claritate & lumine adeò eminens atque excellens est, ut non tantùm hæc sublunaria micantibus suis radiis illustret, sed & superiora & cælestia suâ luce illuminet, unde Incognitus ait, sol in medio signiferi insedens radios emittit, quibus superiora & inferiora illuminantur. Sic & beata Virgo noster sol, non tantùm Ecclesiam militantem fulgentissimis tum doctrinæ in virtutum pietatis, ac divini sui intuitus radiis (ut vidimus in præcedentibus discursibus illustrat, sed & triumphantem miro micans splendore vultu suo irradiat, & ut suprà dixi, omnes cœlicos accidentaliter beatificat, juxtà Richard. dicentem: *Tam Angeli, quàm homines jugiter respiciunt in Mariam, ejusque præsentia beantur.* Unde non immeritò illi hæc conveniunt Eccles. verba: *Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.* Deinde sicut sol per medias fæces transiens, nullam prorsùs vel minimam contrahit maculam: non secus B. Virgo per fæces progenitorum suorum ducens originem, nullam maculam, ne quidem originalis culpæ contrahens, instar solis in suo ortu purissima prodiit: & iterum, sicut sol lucis suæ claritate cætera astra longè superat, ita Deipara Virgo divinæ gratiæ magnitudine,

Incognitus lib. de propriet. rer.

Richard.

Eccl. c. 26.

tudine atque divinorum charismatum abundantia, cæteros Sanctos adeò antecellit, ut S. Anselmus audeat dicere: *Nihil tibi Domina æquale, nihil comparabile, omne enim quod est, aut suprà te est, solus Deus est; quod infra te est, omne id est, quod Deus non est.*

Anselm. l. de exordio humanæ vitæ c. 2.

Pierius narrat, tam Græcos quàm Latinos Poetas fabulatos fuisse, Egæon centum brachia, ideoque vocatum centimanum Briarium, Egæon *qualis*, inquit Virgilius, *centum cui brachia dicunt, centenasque manus*. His variè in hominum servitium utebatur Homerus, ad hoc alludens, solem centimanum appellat ob innumera ejus in terram profusa beneficia, *quod verò*, inquit Pierius, *Sol centimanus Homero sit, multa & innumerabilia ejus officia, quæ magis apertæ cognitaque sunt, quàm recensere oporteat, effecerunt.* Maria verissimus sol est. In mei asserti eam, quam Pierius in Homeri dicti dilucidationem, adduxit rationem, non incongruè arripere possum: plurima enim & infinita hoc palàm in genus humanum (ut ex ante dictis patet, & ex infrà dicendis latiùs patebit) ostendunt beneficia; quorum quædam succinctè perstringit S. Bernardus, mellifluis hisce verbis: *Si ingenti peccatorum tuorum multitudine turbaris* (loquitur ad afflictum peccatorem) *Mariam invoca, & quietaberis: si conscientiæ turpitudine confunderis, Dei Matrem accede & serenaberis. Si Iudicis horror te timidum reddit, Deiparam invoca & habebis fiduciam. Hæc sit semper in corde, hanc ama.* Rectè itaque Maria sol & lumen indeficiens nuncupatur.

Virgilius l. Æneid.

Bernard.

Incognitus lib. de prop. rer.

Præterea sol mundo adeò utilis atque necessarius est, ut sine ejus continuo in hæc inferiora influxu omnes plantæ, creaturæ (ut communiter docent Philosophi) penitus interirent. Maria mysticus noster sol, mundo est tam necessaria ac utilis, ut audacter doctissimus Petrus Galatinus audeat asserere: *Mundus enim ipse ob pravas nostras actiones nullo modo consistere posset, nisi ipsa gloriosa Virgo, eum pro sua misericordia & clementia, pro nobis orando sustineret.* Itaque ob hoc rursùs Maria rectissimè vocatur sol. *Electa ut sol.*

Lib. 7. de arcan. c. 1. *Richard.*

Eccl. c. 26.

Nec minus eæ quadrat lunæ titulus; sicut enim luna luminare minus nocti, densissimas ejus tenebras depellendo, deservit: sic Maria Virgo, inquit Hugo, *luminare minus beata Maria est, quæ præest nocti, id est, peccatoribus*: ipsis scilicet suum divinæ misericordiæ præbens auxilium atque lumē, quod horrendas peccatorum nostrorum tenebras procul ex anima abigit, hocque Mariæ Dei genitrici commissum esse ab ipsomet Deo munus, clarè admodum patet ex illo Cant. *Egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos*, id est, ut pia mater, pasce miseros peccatores suavi misericordiæ ac benignitatis lacte.

Hugo.

Cant. c. 1.

Luna triplici modo obscurari consuevit: primò quando vacua est, secundò quando nube tectâ, tertiò dum eclipsim patitur; sic & beata Virgo Maria in tribus maximè afflictionibus fuit quasi obscurata, mirabilemque mentis eclipsim perpessa est. Prima fuit, quando ferocem tyrannum Herodem dilecto Filio suo Christo mortem machinari cognovit. Propter quod anxia, tremebunda è Judæa in Ægyptum, obscuro noctis tempore eum bajulans aufugit. Secunda, dum illum in Jerusalem amissum amarissimè luxit, & tantâ animi pressurâ dolens quæsivit, ut patet ex textu *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*. Et sanè bene dolentes, inquit Maria; si enim Ruben in cisterna non invento Josepho, patrem suum reversus, exclamavit: *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Quales querulas voces Mariam non emisisse credemus, Deo filio, non homine fratre deperdito, quem jam per integrum diem quæsierat? ut ait Lucas cap. 2. *Venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos.* Hanc Mariæ lunæ nostræ eclipsim divinè explicat S. Bonaventura, illam sic clamantem introducens: *O Deus & Pater æterne, clementissime & benigne, tibi placuit mihi dare Filium tuum, sed ecce perdidi eum, & nescio ubi sit. Redde eum mihi O Pater: tolle mihi amaritudinem istam, & ostende mihi Filium meum. Sed ad Iesum se convertens dicebat: ô Fili dilectissime, ubi es? quid est de te? apud quem nunc hospitaris? indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ubi requiescas in nocte. Doce me, quomodo veniam ad te, vel tu redi ad me, ostende mihi faciem tuam, & salva ero: sonet vox tua in auribus meis.* Tertiam & maximam omnium eclipsim luna nostra Maria sustinuit, quando charum Filium suum duram crucis mortem, inter duos latrones pendentem ignominiosè obeuntem aspexit. Nec mirum tunc mysticam hanc lunam eclipsatam fuisse: quoniam sicut sole eclipsato, luna inter nos & solem opposita, tota tenebris involuta apparet: ita sole justitiæ Christo eclipsim in in cruce patiente luna Maria Virgo, densâ dolorum nube penitùs fuit obnubilata, juxtà illud Simeonis vaticinium: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Sed de hac eclipsi satis fusè egimus suprà.

Luc. 2. v. 48.

S. Bonav. in meditationibus vitæ Christi.

Luc. 2. v. 35.

Ethnici olim lunam cœli reginam nuncupabant.

bant. Testatur id Propheta Jeremias in illorum persona dicens: *Sacrificemus Reginæ cœli, & libemus ei libamina.* Ita Maria, quæ Regum Regem
Jer. c. 44. v. 14. mundo peperit, Regina cœli ab Ecclesia Catholica appellatur: *Regina cœli lætare &c.* Deinde sicut luna juxtà annotationem Voraginis serm. 81.
Vorago serm. 81. de B. Virg. de Beata Virgine, *est vas castorum in excelsis, in fundamento cœli resplendens gloriâ*: idque, quia olim apud ethnicos mulieres castæ & viri, ei cultum divinum exhibebant, lucinam illam vocitantes, unde illud Virgilii:

Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.

Etenim Virgines istæ Lucinam pro Dea adorabant, quæ per syncopen luna appellatur. Haud aliter diva Virgo vas castorum fuit, ipsius non tantùm virginitatis principium Christum Jesum castis suis visceribus includens: verùm etiam emisso primo castitatis voto, continuò omnium Virginum protectrix, imò & effectrix extitit, ut inquit
Ambr. de inst. Virg. cap. 7. Ambrosius: *Tanta erit ejus gratia, ut non solùm in se virginitatis gratiam servaret, sed etiam his, quos viseret integritatis insigne conferret.* Hinc & ad illam jure meritò clamare possumus:

Casta fave Maria, tuus jam regnat Apollo.

Scilicet Christus. Ob illud idem advertit Pierius
Pier. l. 44. è numis Corneliæ Eloniæ Augustæ, lunæ pudicitiam & fœcunditatem antiquitùs fuisse attributam. In iis enim caput è luna prodire videbatur: & uni tergo hoc insculptum erat vocabulum, *fœcunditas*. Alteri *pudicitia*: quod sane lunæ nostræ Mariæ quàm optimè adscribi potest, ipsa enim purissimæ Virginitatis, ac maximæ fœcunditatis, unica & sola dives extitit hæres.

Denique sicut luna juxtà omnes Astrologos, in cursu suo naturali perficendo, cæteros Planetas longè antecellit: ita Maria Virgo mystica Ecclesiæ militantis luna, omnes planè Sanctos in miseris peccatoribus opitulando, & è divino thesauro varia cœlestia dona elargiendo, velocitate superat. Quod apprimè è nuptiis Canæ Galilææ patuit, in-
Oleaster. quit Oleaster, ubi indigentibus convivis, etiam non interpellata, ultrò succurrit. *Nondum venerat hora ejus, sed tempus fuit, quia Mater dixerat, fili vinum non habent.*

Mariæ Virgini quoque verè nobilia stellarum insignia competere, opus non est prolixè demonstrare, satis apertè id attestatur indies Ecclesia de de ea cantans *stella maris*, & illam stellam matutinam vocitans, nec incongruè inquit Bernardus,
quia splendidissimo divinæ suæ gratiæ lumine, pe- Bernardus
riculosum hujus mundi mare pernavigantibus viam ad rectum viæ salutis portum ostentat. *Maria enim, ait, est stella orta ex Iacob, cujus radius universum orbem illustrat, ipsa est stella præclara & eximia, super hoc mare magnum & spatiosum micans meritis, illustrans exemplis; si exurgant venti tentationum, si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, respice stellam, voca Mariam.*

Stella tum in Sacra Scriptura, tum apud veteres gentiles certissimum summæ prosperitatis habebatur symbolum. Hinc Deus Patriarchæ Abrahæ ingentem seminis propagationem prædicens,
ei cœli stellas in tam bonæ fortunæ prognosti- Suetonius in vita Augusti.
cum, ostendit. Et Suetonius tranquillus refert Romanos olim infallibile fælicis Imperii Augusti augurium desumpsisse, quia ejus corpus, quasi stellarum notis erat insignitum, *corpore traditur,* inquit, *dispersis per pectus & per alvum notis, in modum, & ordinem, & numerum stellarum cœlestis ursæ.* Quod & ipse in numismatibus suis apertè attestatus est, quibus scilicet lucidissima stella impressa erat, cum hac inscriptione, *Cæsar Augustus.* Rursùs Horatius prosperam Julii Cæsaris fortunam commemorans ait: *micat Iulius sydus velut inter ignes Luna minores.* Item Servilius augur, visâ stellâ suprà generosi Aurelii caput, ei & toti (cujus Dux erat constitutus) exercitui fælicem prælii successum est auguratus. Ah quàm rectè Maria Virgo stella appellatur! ipsa enim ô homo! quantum tibi, dum in hoc mundo exorta est, fœcilitatis & gaudii fuit prognosticum? fælix sanè nobis hæc stella extitit portentum, quæ totam
Evæ culpam, & totius humani generis ruinam re- Idiota.
paravit. *Speciale Dei opus,* inquit Idiota, *O beatissima Virgo! qui ob hoc te fecit, ut quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Et lon-
gè clariùs S. P. N. Augustinus tantum Mariæ Vir- Aug sermon 16. de SS.
ginis recolligens beneficium, id testatur: *Eva luxit* (scilicet damnosum humani generis lapsum) *Maria exultavit exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* nempe ob ejusdem reparationem, *Eva lachrymas, Maria gaudium in ventre portavit, quia illa peccatorem ista innocentem edidit; mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri intulit mundo salutem; auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit, Maria vivi-

vivificando profuit, illa percussit, ista sanavit. Et tandem concludit *cum summa exultatione, gaudeat terra nostra tanta Virginis illustrata natali.*

Stellæ Syrio admirabilem gravissimos etiam Philosophos præsagiendi adscripsisse virtutem clarissimè testatur Pierius. Si enim in ortu hæc stella obscurior ac magis caliginosa appareat, *afflatum ejus gravem*, inquit Pierius, *& pestilentem futurum minabantur, si illustris & perlucida, futuram salubritatem præsagiebant.* Maria profectò stella est Syrius, hæc enim si benignis luminis sui radiis peccatores aspiciat, indubitatum æternæ salutis, si secus, interitus est indicium, ut præcedenti discursu ostendimus. A stellis ne nauseam lectori forsan parerem, ad auroram libenter transitum facerem, sed operæ pretium duxi in Marianas laudes rationem indagare, cur Christus Matrem & sponsam suam coronâ duodecim Stellarum numero præcise decorare voluerit, *& in capite ejus corona stellarum duodecim.* Nonne enim ad Mariæ splendorem duo luminaria, majus & minus; Sol & Luna satis superque sufficiebant? Olim apud veteres gentiles solita vigebat consuetudo quod victores victorum spoliis in partæ victoriæ memoriam ornabantur. Hinc Hercules Leonis, quem superaverat pellem induit, & ex capite galeam confecit. Et Ælianus de quodam generoso milite Romano refert, quod ipse devicti hostis sui pellem contraxerit, eaq; in signum victoriæ pro vestimento usus fuerit. Unde & fraus apud eos invaluit, ut Leonum & ferocium animalium pellibus effæminati & socordes sæpe sæpiùs induti, animi virtutem dementirentur. Ex quo ansam cuidam tali improbandi arripuit Diogenes, *quid virtutum indumentum vituperas?*

Pier. l. 44.

Apoc. c. 12. vers. 1.

Ælianus l. de variis hist.

Hunc gentilium morem in sponsæ suæ Mariæ triumphali in cœlum ingressu imitatus est sponsus Christus, eamque omnibus cœli trophæis, ac omnium militonum spoliis honoravit. Duodecim enim stellæ nil aliud repræsentant juxtà SS. PP. quàm omnium beatorum in duodeno numero comprehensam universitatem juxtà illud Matthæi *Sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*, qui quia omnes pariter Mariæ Virginis favore & speciali auxilio æternam beatitudinem adepti sunt; iis tamquam Marianæ victoriæ veris trophæis ipsa decorari meruit. Hoc innuit Propheta Isaias de Maria loquens. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et clariùs ingentem Mariæ Dei genitricis in Ecclesia profectum indicat infrà v. 18. *Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi?* Ideòque ut pro digna mercede hæc invicta Amazon justè triumphet, ait Deus, per præfatum Prophetam: *Vivo ego dicit Dominus, quia omnibus his, veluti ornamento vestieris.* Hinc & de ea ait Propheta David: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata*, nimirum omnium Sanctorum, *varietate*, qui gloriosa Mariæ Virginis trophæa atque spolia sunt, utpote per eam ex infernalibus dæmonum faucibus potenter erepti, *multi enim*, inquit Hugo, *sancti sunt in cælis intercessione ejus, qui numquam ibi fuissent, nisi per eam.* Et multò apertiùs S. Germanus: *Nullus salvus fit, nisi per te ô Domina: quid mirum itaque, si regina cælorum Maria tam pretiosâ sanctorum coronâ adornetur*, atque stellis duodecim decorata notet.

Matt. c. 19 vers. 28.

Isai. c. 49. v. 6.

vers. 18.

Ibidem Psalm 44. vers. 10.

Hugo

S. Germ.

Maria insuper veram auroram esse dilucidis verbis asserit doctissimus Rupertus dicens: *Quando nata es, ô beata Virgo! tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia Dei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis est, & diei sequentis initium, sic nativitas tua.* Quia verè Maria fuit finis culpæ, & initium omnis gratiæ, ut apertè attestatur S. Bernard. de Bustis dicens. *Beata Virgo fuit finis noctis culpæ, & principium diei gratiæ.* Maria fuit finis belli, & pacis principium, *per hanc enim*, ait præfatus author, *diuturnum illud bellum, quod nobiscum cum creatore erat, sublatum & extinctum est; per hanc nobis cum eo reconciliatio facita, pax & gratia nata est.* Maria finis fuit tristitiæ, & lætitiæ principium ait Rupertus. *Finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ & lætitiæ extitit principium;* Imò ulteriùs in Marianas laudes excurrens S. Bernardus dicit: *Vehementer quidem nobis vir unus, & mulier una nocuerunt, sed gratias Deo per unum nihilominus virum, & unam fœminam, omnia restaurantur.* Sed nos ad Mariæ Virginis nostræ auroræ mysticæ declarandam eminentiam, fusiùs tum materialis auroræ proprietates, & effectus, tum varia Poetarum de illa figmenta adducamus: eique ad majorem splendorem appropriemus. Hi olim finxerunt auroram super equum Pegasum equitare, qui ob alas, quibus potiebatur, celerrimè per aerem deferebatur. Id profectò Poetarum commentum Mariæ Virgini quam optime quadrat. Ipsa enim subsidium suum implorantibus promptissimè opitulatur & in summa necessitate constitutis velocissime subvenit. Hujus promptitudinis succurrendi testis erit, ait Damianus, Theophylus: cui jam ob infamem & execrandum cum diabolo initum contractum

Rup. lib. 5. in Cant.

Bern. de Bustis.

Bern. in illud Apoc. signi, apparuit &c.

S. Dam. serm. 1. de B. Virg.

in evidentissimo perditionis periculo invocata, quàm citissimè suppetias contulir, desperatumque hunc peccatorem æternis flammis mox adjudicandum, à damnatione & severa Dei sententia liberavit. *Quid tibi*, inquit, *negabitur Maria, cui negatum non est Theophylum de ipsis faucibus perditionis revocare.* Iidem stulte fabulantur, quod auroræ iste equus Pegasus pede terram percutiens, inde repente fontem Hypocrenes (qui musarum & sapientiæ fons appellatus est) scaturire fecerit. Ideoque & hæc ut dicunt historici, ab Ægyptiis pro Dea culta fuit, ac in summa æstimatione habita. Longè sane excellentiori modo extollenda est nostra Maria. Hæc enim in mundo nata, materque verbi divini, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, effecta, profundâ ac arcanâ suâ scientiâ, inanem mundi falsitatem, atque fabulosas ethnicorum religiones concutiens ac supprimens, immensum veræ & puræ doctrinæ fontem salire fecit, è quo omnes Apostolos, ut magistra potavit, eosque abscondita divina mysteria, quæ ipsa à prima omnis scientiæ origine Christo filio cognoverat edocuit, ut fusè ostensum est suprà. Pulchra itaque aurora Maria.

Coll. ca. 2. vers. 3.

Finxit quondam etiam Poeta Ovidius, quod sole jam ortui proximo, Aurora cœli fores pandat, quæ, quia quamplurimis suaviter adolentibus rosis undequaque sunt refertæ, cum primùm aperiuntur, in terram decidunt. Ita refert doctissimus Verderus dicens: *Ovidius fingit, illam cum phœbus est ex oriente proditurus, cœli fulgentes portas patefacere, quæ recentibus rosis sunt refertissimæ.* Hoc idem rursus proprium & specialissimum munus est divinæ nostræ auroræ Mariæ; non enim tantum cœli portas homini aperit: verùm etiam & ipsa porta, & fenestra, per quam nobis miseris peccatoribus ad cælestem patriam securus patet aditus, existit. Hinc de ea magnificum illud sancta Mater nostra Ecclesia decantat elogium.

Verderus l. de imaginibus.

Intrent' ut astra flebiles:
Cœli fenestra facta es.

Cui concinit Damianus recolens Mariæ Nativitatis mirificum emolumentum *hodie nata est*, inquit, *Regina mundi, fenestra cœli, janua Paradisi, tabernaculum Dei, Stella maris, scala cælestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo qui prostratus jacebat, ad supera exaltatus descendit.* Hæc porta est, quæ, quoties piis rogantium precibus pulsatur, protinus se pandit, flagrantesque cælestium gratiarum rosas abundanter effundit: ideòque de ea meritò Idiota: *Peccatoribus Virgo impetras veniam, & honorantibus te promittis gloriam, quia thesauraria gratiarum existis.*

Damian. *Idiota.*

Maria insuper quam optimè potest aurora intitulari, quod ex ipsa ethymologia vocabuli *aurora* satis colligitur: etenim aurora interpretatur *aura rorans*; quia sicut illa rorem in terram effundit: sic hæc Virgo rorem illum cælestem Christum Dominum in mundum stillavit. *Beata Virgo*, inquit Germanus, *generavit rorem cælestem, id est Filium Dei, qui suâ gratiâ totum mundum aspersit, & caliditatem concupiscentiæ temperavit.* Præterea si tempore auroræ secundùm Naturalistas ros conchis infundatur, è quo pretiosissimæ in illis gignuntur margaritæ; ita, quando ros ille divinus, ortæ auroræ nostræ tempore (de qua ait luctator Angelus ad Jacob, *dimitte me, jam enim ascendit aurora*) dato Mariæ consensu verbum æternum in benedicto Virginis utero inæstimabilis sanè margarita incarnatum unicum in duabus naturis subsistens suppositum genitum est. Sic in hæc verba Genes. cap. 28. S. Bernardus; *Descendit in uterum virginis, sicut ros super granum. Sicut ros*, inquit, *descendens in aurora conchas marinas fœcundat, & in gemmas gignit, ita Spiritus sanctus in Virgine superveniens Virginem fœcundavit, & pretiosam cœli margaritam generavit.* Sed Maria non tantùm nudum rorem in mundum stillavit, verùm etiam rorem similem illi, quem Poetæ supremum Deorum Jovem stillasse fingunt, produxit, qui in terram cadens, in purissimum aurum conversus est. Ros enim ille cælestis Christus Dominus in benedictam illam terram, sacrosanctum scilicet Virginis uterum cadens, in prætiosissimum aurum commutatus est. Sicut enim auro fit redemptio & emptio omnium rerum: sic per Christum totum genus humanum redimitur, & cæleste regnum comparatur. De hoc mysterioso rore intelligitur illud Job: *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, ut plueret super terram absque homine in deserto? Quis est pluvia pater, & quis genuit stillas roris?* Ecce Dei genitrix Maria Virgo absque homine cooperante Spiritus sancti virtute in mundum cælestem hunc rorem effudit, pro quo tam diu anxii clamarunt à cœlo exules SS. PP. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum.* In hoc enim rore omne bonum, omnem benedictionem contineri apprimè cognoverant. Unde Patriarcha Isaac, dum familiæ suæ benedictionem impertiret, ait: *Det tibi Deus de rore*

S. German. *Gen. 32. v. 25.* *S. Bern. de bustis. v. 28.* *Job. c. 38. v. 3.* *Isa 45. v. 8.* *Gen. c. 27 v. 28.*

vore cæli: videlicet Messiam Christum Dominum nostrum.

Annotavimus modò auroram significare rorem rorantem, ex quo non exiguam Mariæ Virginis auroræ nostræ excellentiam, ac eximium in nos beneficium lubet elicere. Numer. cap. 11. Spiritus sanctus mirabilem cælestis mannæ pluviam enarrans ait: *Cumque descendebat ros, descendebat pariter man* Cum hac aurora Maria rorante, quid de cælo beneficii, quid gratiæ, quid favoris, ac benedictionis nobis non descendit? Congratulabantur sibi plurimum Israelitæ, simulque obstupescebant ob cæleste mannæ donum; sed quantum non prævalet divinum illud manna Verbum Incarnatum, illi (de quo Scriptura, *Patres vestri manducaverunt manna & mortui sunt*) de hoc enim ipsa veritas ait: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum?* Manna antiqui testamenti inanimatum erat, tantumque corruptibile corpus reficiebat, viresque illius restaurabat: verùm hoc, quod cælestis aurora Maria è cælo descendere fecit, animatum, ac ipsius Dei Christi Domini corpus realiter divinitati unitum est, quod animam nostram spiritualiter saginat. Congratulemur itaque omnes Christi fideles toti Romanæ Ecclesiæ, & de ortu tam beneficæ auroræ gaudeamus. In illa potiori sanè jure, quàm olim miseri Judæi in Esther præ exultatione clamare possumus: *Nova lux oriri visa est, gaudium honor, & tripudium.* Quia nobis purissima lux orta est, non quæcumque, sed planè indeficiens Maria Virgo. Etenim hæc non tantùm sol est, *electa ut sol* qui de nocte, non tantùm luna, quæ de die deficit, *pulchra ut luna*, non tantum stella, quæ quoque de die, ut aurora, quæ orto jam Sole, lumen suum mundo denegat, sed illi Maria tale est lumen, ut numquam claritatis suæ radios subtrahat.

Num. c. 11. v. 9.
Ioan. c. 6. v. 49. Vers. 59.
Esther c. 8. v. 16.

Exposuimus utcumque ô benevoli Auditores! Mariæ Dominæ nostræ ex diversorum luminarium naturis & proprietatibus eminentem nobilitatem: vidimus Mariæ sponsum Spiritum sanctum, ejusque Filium Christum, illam totius firmamenti lumine condecorasse. Sed quod quæso, præter jam tactum emolumentum; nos ex tanto hujus Virginis splendore haurire possumus? Maximum sanè.

Sacræ Scripturæ Interpretes curiosè indagant, quomodo Hebræi jam è Ægypto discessuri Ægyptiorum animos, qui tam ferali, ac obstinato in eos odio exarserant, ita demulserint, omnia etiam pretiosissima, quæ petierunt, iis absque ulla contradictione concesserint; ait enim sacer textus Exodi cap. 12. *Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestemque plurimam, Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commendarent eis.* Mirum enim est, quod mancipiis suis, & ab iis quidem recedentibus, omnem divitiarum suarum thesaurum commiserint. Scio omnes unanimiter id in benigni Domini benevolentiam refundere, suffultos Spiritus sancti testimonio: *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis.* At ancipites remanent, quo signo apud eos gratiam adinvenerint. Reperimus in sacra Scriptura Genes. cap. 4. Caino fratricidæ à Deo impositum fuisse signum, ne à quodlibet obvio occideretur. *Posuitque Dominus Cain signum.* Ezech. quoque cap. 9. jussit Deus insignitos signo *Thau* a communi interitu præservari: *Omnem super quem videritis Thau, ne occidatis.* Arbitrantur aliqui Scripturæ Interpretes, tum Caini, tum eorum de quibus Ezechiel, pariforme extitisse præservativum signum scilicet *Thau.* Quod si verò ab iis petatur quid virtutis ac efficaciæ illud in se contineat, ut tam mirabilia opera producere possit? Respondent: *Thau* verissimum symbolum esse mortis. Quia sicut littera *Thau* hebraici alphabetici est ultima, sic mors vitæ humanæ finis, cujus memoriam, ac reminiscentiam tam efficacem & potentem esse asserunt: ut contra omnia mala saluberrimum sit antidotum, teste Daniele dicente: *Non est vitio diversorium in qua versatur mente sepulchrum.* Unde annotat Cainum signo mortis visibili præmunitum, non nisi à Lamech cæcutiente fuisse occisum.

Exod c. 12. v. 36. & 37.
Gen. c. 4. v. 15.
Ezech. c. 9. v. 6.
Damian.

Eandem opinionem aliqui in casu de Hebræis proposito sustinere conantur; nec adeò, ut primo intuitu forsitan quidam judicarunt, temerariè: fundamentum enim ex eodem Scripturæ loco eruunt sanè non contemnendum; omnium videlicet Ægyptiarum familiarum luctuosum ac subitaneum unigeniti mortui conspectum. *Neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus,* Quid mirum ergo inquirunt, si Ægyptii (qui consueto more mortuorum cadavera, ne eorum memoria retineretur, procul à civitate inhumanda transferebant, unde adagium ortum: *Traditus est oblivioni quasi unus ex mortuis Ægyptiis*) omnes divitias mundique thesauros, jam præter solitum morti intenti, planè contempserint? Profectò nec ego id mirum existimarè, sed è contrario

Exod. c. 12. v. 30.

mirum id reputatem, hominem reperiri nimium avide nummis & terrenis hujus mundi divitiis inhiantem, & mortis continuò memorem.

Veneror quamplurimum præallegatas doctissimorum virorum (quos modò non nomino) interpretationes; adhærebo tamen D. Hieron. sententiæ magis proposito meo, & divinæ Virginis laudibus congruæ; qui ait Dominum Hebræorum vultui talem tribuisse splendorem, ut Ægyptii tantis radiis planè obfuscati, cunctis eorum petitionibus facile acquieverint. Nec hæc etiam solido fundamento Hieronymi caret sententia: De
Judith. c. 10. v. 4. Judith enim ait sacra Scriptura, *cui Dominus contulit splendorem*, & finis subjungitur & *ideò Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret* Quo faciei splendore ac vultus venustate talem in oculis Holofernis gratiam Judith reperit, ut patriæ suæ Bethuliæ, mirifica evaserit liberatrix. De Regina
Esther. c. 6. Esther quoque asserunt Rabbini, inter quos Barcæphas illam tantâ divinitus perfusam fuisse vultus claritate, ut Rex Assuerus eam stantem conspiciens, mox ejus amore captus sit, ut narratur Esther cap. 6 Eique quidquid gratiæ postularit, liberaliter concesserit, ut patet ex cap. 7.

Modò, me herclè, non miror supremum illum Regem & Dominantium Dominatorem Deum Genitrici, & Sponsæ suæ Mariæ totum firmamenti splendorem solis, lunæ, stellarum ac auroræ infudisse. Misericors enim Dominus (quod ejus plurimum commendat benignitatem) hanc Reginam Mariam (quod in eximiam ejus cedit excellentiam) tanto luminis decore voluit adornare, ut in oculis SS. Trinitatis gratiam pro miseris peccatoribus deprecans, gratiam inveniret. De qua Archangelus, *invenisti gratiam apud Deum.*

Ad te jam me converto cum universo præsente populo, ô piissima Domina, lumen indeficiens! luceat quæso in omni necessitate nostra aliqualis dumtaxat divinæ misericordiæ tuæ claritatis scintilla. Sis nobis adinstar alteriùs Judith quæ splendore vultus sui gratiam Holofernis captivavit, atq; afflictam Bethuliam ab imminente ruina & communi interitu eripuit. Tu iratum in Belgium & totum Christianitatem ob peccata nostra Deum intercessionis tuæ lumine mitiga & placa, miseramque hanc patriam & Ecclesiam, filii tui sponsam tot ærumnis libera, sis nobis quoque Esther; & sic cum ea loquere ad filium tuum, apud quem invenisti gratiam plenam, *si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex dona mihi animam meam, pro qua rogo & populum meum pro quo obsecro.* O fili si hic peccator reus est, & ab infernali Aman æternæ morti adjudicatus, hunc da mihi incolumem ac severam in benignam, ô piissima! commuta sententiam: ut per te, ô Maria! obtentâ, inndeficientis tui luminis efficaciâ ab hoc supremo Rege Assuero Christi gratiâ, & plenâ peccatorum nostrorum remissione in sempiternum inaccessibili divinæ essentiæ luce perfrui valeamus.

CONCIO DECIMA.

THEMA.

Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ. Prov. cap. 3.

ARGUMENTUM.

Ex præcedentibus discursibus breviter dilucidè deducitur Mariæ genitricis Dei immaculata Conceptio, eaq; veritas variis Scripturis, SS. PP. authoritatibus ac concionatoriis conceptibus comprobatur.

IN præcedentibus discursibus varia fundamenta jacta sunt pro erigendo in Dei matris laudem haud exiguam, immaculatæ ejus conceptionis solido ædificio. Ostensum est enim in quarto, Mariam Virginem in perfectionis eminentia omnium planè, non tantum Sanctorum sed etiã

Angelorum

Angelorum prærogativas longe superasse. Sub qua propositione majori sic subsumo: atqui hoc falsum esset, si Maria pro uno dumtaxat temporis momento labi originalis peccati fuisset obnoxia, ut infrà probabitur. Ergò Maria concepta est sine peccato originali. In septimo demonstravimus Mariam fore vivam bonitatis Dei imaginem ad prototypum ipsiusmet divinæ essentiæ ab increato artifice specialiter effectam, Christoque filio per omnia simillimam: nunc rursùs subsumo, atqui Dei imago, nunquàm minimâ maculâ peccati fuit coinquinata, sed ab æterno, ut fides Catholica docet, purissima, & Christus Dominus in castis Mariæ visceribus absque originalis culpæ noxa conceptus fuit, ut non tantùm S. P. N. Augustinus testatur, dicens: *De Spiritu sancto natus abstinuit à peccato*: sed etiam omnes Catholici fateri coguntur. Ergò divina nostra imago Maria semper extitit sine peccati macula, & sine ea concepta est. Unde de illa dicit sponsus Spiritus sanctus: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Idipsum satis clarè confirmant assumpta pro discursus præsentis themate verba: *Via ejus, via pulchra, &c.* si enim omnes viæ pulchræ & semitæ pacificæ: ergo fuit numquàm maculata Maria, numquàm Deo inimica.

S. August.

Cant. c. 4. v. 1.

Insuper S. Bernardinus, ut suprà vidimus, maturè considerans in præexcelsæ hujus creaturæ Dei genitricis creatione divinam sapientiam atque potentiam, indubitanter exclamat: *Nec potentiora, ne sapientiora Deus facere potuit, quàm quæ in Virgine fecit.* Atqui dico ego; Deus per suam omnipotentiam matrem suam ab originalis luis contractione potuit præservare: infero ex hoc per legitimam consequentiam, ergò & fecit. Deinde & in præcedenti discursu Mariam Virginem lumen indeficiens esse, atque indesinenter illuminans abundè declaravimus. Sub hac majori denuò subsumo, si Maria est lumen indeficiens, ergò numquàm tenebris alicujus peccati fuit involuta, sed lux continuo splendore divinæ gratiæ lucens: concludo, ergò Maria nunquam peccato originali fuit obnoxia.

Bernard. serm. 6. a. 1. c. 1.

Quamvis hæc argumenta ad quemlibet flexibilis mentis in piam de immaculata Mariæ Virginis conceptione affirmativam sententiam attrahendum sint satis efficacia; quia tamen nonnulli opinionibus, quibus à juventute imbuti sunt, vel etiam quia particularem cujusdam Doctoris tuentur auctoritatem, adeò tenaciter adhærent iis, hanc veritatem non scholastico modo (quod hujus fori non est) sed concionatorio conabor persuadere; ut & ipsi nobis piè de Mariæ immaculata conceptione sentientibus, assentientes, intellectum captivent in obsequium Virginis. Ut hoc assequamur, imploremus necessarium in materia tam difficili per eam Spiritus sancti auxilium.

Via ejus via pulchra, & omnes semitæ ejus pacificæ. Prov. cap. 3.

QUandoquidem pro objecto præsentis discursus, immaculatæ Divæ Mariæ Virginis Conceptionis mihi assumpserim defensionem, & eam ab omnis peccati, etiam originalis labe prorsùs immunem in utero materno conceptam esse, me demonstraturum promiserim; non abs re fore, imò pro clariori procedendi modo plane necessarium judicavi, primam hujus peccati originem & fontem quàm brevissimè deducere. Pro quo dum aptiorem magisque congruum mente pervolverem modum, mihi non tantùm pulchra, veùm etiam materiæ propositæ maximè accommoda, de Charetto Scotiæ Rege occurrit Historia. Is juvenili quâdam levitate, vel forsitan nimiâ curiositate (ut referunt istius regni annales) instigatus, ad indagandum, quinam omnium hortorum Regiæ, in qua morabatur, urbis, foret pulcherrimus, singulos sedulò perlustrare statuit. Ad quod sæpe sæpiùs diversorum principum atque nobilium hortos contemplabatur. Contigit autem illum quodam tempore certum hortum intrasse, cujus amœnitate mirum in modum rapiebatur. Erat enim hic undequaque altis & fructiferis arboribus consitus, infinitis odoriferis floribus refertus, atque limpidissimis fontibus abundans; sed omnibus stuporem ac admirationem summoperè excitabant variæ eæque rarissimæ à famosissimis sculptoribus statuæ, miro artificio pretiosissimis lapidibus opere Mosaico excisæ, quæ eum exornabant. Inter cæteras tamen in pulchritudine maximè eminebat parvula quædam Dei amoris Cupidinis sculpta imago, in cujus sinistra manu pulcherrimum pomum visebatur, quod Cupido transeuntibus vivaciter offerre videbatur: dextera verò acutissimum telum tenebat. Sed quod maximè notatu dignum, tantâ arte, tantâque industriâ hæc statua elaborata erat, ut impossibile esset è manu pomum amovere, quin telum dextrâ excussum temerariè pomum attrectantis pectus trajiceret. Charettus tantâ hujus pomi pulchritudine allectus,

ctus, ignarus dolosi artificii, illud arripuit, & sic telo percussus, non sine totius regni luctu, miserè occubit.

Protoplastes Adam communis omnium posterorum parens à Deo creatore suo constitutus est in cœlesti paradiso, horto sanè amœnissimo, ut patet ex illo Gen. cap. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis.* Illumque absolutum divino oraculo omnium lignorum declaravit Dominum, excepto dumtaxat ligno scientiæ boni & mali: *Præcepitque ei dicens, de omni ligno commede, de ligno scientiæ boni & mali, ne comedas,* constitutâ & additâ severâ in contravenientem mortis pœnâ, *in quocumque die comederis, morte morieris.* Non obstante tamen hoc divino præcepto, tum blanditiis Evæ Adam inductus, tùm pomi pulchritudine commotus, illud temerariè & audacter est transgressus, ac fructum deglutivit, & dentes filiorum obstupuerunt: sicque miser Adam adinstar alterius Charetti non attendens ad efficacissimum, quod in pomo latebat venenum. deceptus est, & cum tota sua posteritate acurissimo mortis, cùm corporis, tùm animæ telo miserrimè, non sine ingenti humani generis luctu, interiit; quia hæc malitia (quam originalem Theologi vocitant) cum omnibus pœnalitatibus in totam Adæ propaginem incomprehensibili modo per traducem transfunditur. *In Adam enim,* inquit Apostolus: *omnes moriuntur.* In quo autem hujus peccati tradux consistat, hujus instituti non est declarare. Ideoque difficillimam hanc & maximè intricatam quæstionem Theologis discutiendam relinquo. Id solùm ad meum propositum dico, ex hac primi parentis prævaricatione moralem quamdam necessitatem, seu debitum peccatum originale contrahendi pullulare, ita ut nullus omninò ex Adami propagine secundùm naturalem generationem possit gigni, quin isti maculæ reddatur obnoxius, nisi extraordinariâ misericordis Dei benignitate malitiam prævenientis illius contractio impediatur. Quod privilegium quamvis nulli homini puto fuerit concessum, tamen genitrici suæ Mariæ super omnium Sanctorum thronos elevandæ, hanc gratiam, ut pium filium contulisse, asseveranter sustineo, dicoque Deum neutiquam imagini excelsæ hujus Virginis, suæ per omnia simillimæ, fœdâ peccati originalis spurcitiâ commaculari passum fuisse. Innitor irrefragabili magni Ecclesiæ Doctoris S.P.N. Augustini authoritati dicentis: *Quotquot ex ipsa nati sunt progenie* (scilicet Adami) *exceptis dumtaxat mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, & ejus matre sub hac peccati lege sunt conditi & nemo ab ipso mundi initio, usque ad temporis plenitudinem iis exceptis jugum condemnationis suæ evasit.*

Gen. c. 2. v. 15. 16. & 17.

1. Cor. c. 15. v. 22.

August. c. 9. orat. de Assumpt.

Et quid mirum inquit S.P.N. Augustinus: *Ionam servare in ventre ceti præter naturalem usum voluit incorruptum: & præter naturam Mariam non incorruptam servavit gratia? Servatus est Daniel ab intemperatissima leonum fame, non servanda est Mater, tantis dotata merits dignitatum?* Ecce illi magna Doctorum Aquila Augustinus, tacto parumper in proœmio insistit argumento; Deus Mariã potuit ab originali macula præservare, ergò & fecit. Et sanè si tanta fuerit, ut doctissimus scriptor Valerius Maximus commemorant, Amphinomi & Anami fratrum in patrem pietas, ut illum cum evidentissimo mortis periculo, ex incendio montis Æthnæ eripuerint, & humeris impositum ut pius Æneas patrem Anchisem per urentes flammas portaverint, de quo Virgilius:

Valerius Max.

Illum ergo per flammas & mille cadentia tela.
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.

Virg. l. 6. Æneid.

Quænam foret illa pietas tam dilecti filii in tam dilectam matrem, ut dicat ipsa, *dilectus meus mihi, & ego illi.* Quis ille inquam foret filii Dei in Mariam matrem filialis amor, si ipse illam ferali turpis originalis maculæ incendio permisit aduri? Audi quid de hoc dicat Richardus Æneæ, & illorum fratrum erga patrem pietatẽ maturè considerans: *Igitur Dei filius quem in hac pietate infinitè quibusvis, & quam maximè piissimis filiis superiorem certiùs constat, matrem suam, quam nullo suo incommodo, nullo negotio, solo nutu eripere, ac salvare potest, in diaboli ditionem & potestatem redigi, spirituali morte affici, maximis malis premi & onerari permitteret?* Hoc enim tanti filii pietati planè repugnat; & ideò omnes semitæ tuæ ô Maria sunt pacificæ, id est, mundæ à peccato, scilicet Conceptio, Nativitas, & tota vita tua. Unde de te ait S.P.N. Augustinus: *Cum de peccatis agitur, nullam de Maria habere volo quæstionem.* Augustino accinit Damianus dicens: *Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conversa est.* Etiam tangit hic aliud paulò infrà allegatum argumentũ Damianus de lumine indeficiente; si enim Maria est candor lucis æternæ, ergò indesinenter & perpetuò splenduit.

Cant. c. 2. v. 16.

Rich. l. de laud Virg.

August. l. de Concептu Virg. cap. 18.

Damian.

Illam

Illam irrefragabilem de immaculata Mariæ Virginis conceptione veritatem libenter eruerem ex illo Scripturæ loco Cant. c. 4. quem plurimi pro hac materia assumunt. *Tota pulchra est amica mea & macula non est in te.* Ad quod annotandum est cum subtilissimo Abulensi, id, quod textus hæbraicus hic subticet; in quo verbum Tò *est* minimè reperitur, sed tantummodò legitur, *macula non est in te.* Qui modus loquendi grammaticalis omnibus primâ fronte apparet ineptus & imperfectus, quia nullum perfectum omninò in mente audientis generat conceptum, nullam temporis denotat differentiam. Sed ne ob hanc Spiritus sancti methodum tantoperè admiremur, omne dubium adimere, quæstionisque propositæ nodum dissolvere operæ pretium est, pro quo omnes obnixè rogo, ut mecum ad alia ejusdem & pariformis Scripturæ loca mentis oculos conjiciant, & experientur hunc Spiritus sancti loquendi modum maximè mysteriosum fore.

Cant. c. 4. v. 6.

Gabriel Archangelus à tota SS. Trinitate ad Mariam Virginem delegatus, *non tantum*, inquit S. Bernardus, *filium quem induis, sed Spiritus sanctus de quo concipis, & Dominus Pater qui genuit quem concipis, ad te Angelum mittit.* Is velociter impositum sibi munus obiens, ubi ad Mariam pervenit, illam his verbis adoritur. *Ave gratiâ plena Dominus tecum*: ubi similiter, ut patet, verbum *est* subticetur. Nec unquam credere possum, Angelum quidquam necessarii in suo loquendi modo omisisse, quandoquidem & ipsam infinitam per essentiam, sapientiam, Christum Dominum discipulos suos post resurrectionem visitantem, similem loquendi modum arripuisse comperiam. Lucas enim ait cap. 24. *Stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis pax vobis*, relicto quoque verbo *est*.

Luc. c. 24. v. 36.

Hanc difficultatem enodat doctissimus Guilielmus Parisiensis: *Cur non dicit*, inquit, *pax est vobis* (sic enim longè perfectior appareret sensus) & respondet: *Non addit verbum alicujus temporis, ad denotandum quod paratus est, omni tempore nobis pacem suam dare, quam semper nobis offert; & ideo sine quocumque verbo, dixit pax vobis, ut ostenderet omni tempore nobis pacem esse necessariam.* Magistro igitur optimè concors fuit minister Gabriel; dum enim dicit *Dominus tecum*, indicat, ut attestatur S. Bonaventura, quod Deus in omni temporis differentia, Mariæ Virgini adfuerit per gratiam sanctificantem, in præsenti, præterito & futuro: *Dominus tecum*, inquit, *& non est, fuit, & erit tecum. semper fuit, semper est, & semper erit cum Virgine. Dominus tecum, quia eam ab omni labe peccati tàm originalis, quàm actualis præservavit, ut ne per momentum quidem sub potestate diaboli fuerit.* Concludamus modò quàm optimè, ad sponsæ eximiã ab omni peccato, ac specialem Mariæ immunitatẽ denuntiandam, Spiritum S. dixisse, *non macula in te.* Quia si dixisset, non est macula in te, quia *est* tempus præsens significat, in dubio reliquisset *fuit*: tempus scilicet præteritum; & si dixisset, non *fuit*, adhuc difficultas remansisset de *erit*: hinc inquit Abulensis: *Ab omni verbo abstinet, neque de futuro erit, neque de præterito fuit macula originalis, ait Hebræus macula non in te. O opportunissimam verbi omissionem! ut intelligatur nullum extitisse tempus, in quo Virgo Maria maculam contraxerit.* Omnes enim viæ ejus, & omnes semitæ illius pacificæ.

Guilielm. Paris.

Bona v.

Abulensis in hunc locum.

Ast modò novam præallegatâ non minorem, præfata Angeli verba mihi pariunt difficultatem, *Dominus tecum.* Quandoquidem enim sacra Scriptura illum ad Mariam Virginem delegatum fuisse dicat à Deo, *fuit missus Angelus Gabriel à Deo*, debebat quoque uti vocabulo *Deus*, & dicere *Deus tecum* non *Dominus*. Scio quod quoad rem significatam hi duo termini Deus, & Dominus, sint synonyma (& ut Logici loquuntur) termini convertibiles; sed differunt quàm plurimum in modo significandi, quia Tò *Dominus* totalem ab omni alio denotat independentiam. Tò verò *Deus* propriè significat creatorem universi, juxtà illud Gen. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ubi Tò *Dominus*, independentem ac supremum significat gubernatorem, ac secundum imperium voluntatis suæ rectorem, v. g. ut *Deus* creavit ignem cum omnibus suis proprietatibus, nempe cum virtute calorem & formam ignis producendi in materia combustibili, humida exsiccandi, tenebrosa illuminandi, &c. Ut *Dominus* autem potest omnes illius effectus impedire, ut olim fecit in fornace Nabuchodonosoris, quod clarè insinuat Propheta David: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Pariformiter tamquam *Deus*, Ut cœlum omnesque illius planetæ consuetum & naturalem cursum observarent, juxtà illud Davidis: *Ordinatione tuâ perseverat dies.* Sed ut absolutus Dominus tempore Josue, ut Sol solitum suum cursum sisteret, ac immobilis maneret.

Gen. 1 v. 1

Psal. 28. v. 7.

Psal. 118. v. 19.

Ex hoc facilè intelligemus, cur Archangelus Gabriel non dicat *Deus*, sed *Dominus tecum?* etenim ut *Deus* inviolabilem legem sanxierat, ut peccatũ originale ad omnes omninò Adæ posteros infallibiliter dimanaret, *omnes in Adam moriuntur*, ait Aposto-

1. Cor. cap. 15. v. 22.

postolus. Verùm ut *Dominus* constitutam legem restrinxit, & secundùm absolutum voluntatis suæ imperium decrevit, ne Mariam Virginem, quam in suam genitricem ab æterno elegerat, illa macula attingeret. Ideo ait *Dominus tecum*, inquit D. Thomas à Villa nova: *Dominus tecum, non sicut mecum, sed sicut nullibi.* Id est, non ut *Deus*, sed ut *Dominus*. Cui concinit doctissimus Labata, *Dominus tecum*, ait, *id est, quamvis secundum quod filia Adæ in peccatum originale incidere debuisset, tamen in quantum ipse Dominus est, eam à peccato originali præservavit.* Et verè sese ut absolutum Dominum gessit, quia ut ait Damascenus, natura, quæ præcedere debebat, juxtà Paulum dicentem in nobis prius est, esse animale, quàm spirituale, prius quæ carnis, deinde quæ spiritus exspectavit gratiam. *Quoniam futurum erat*, inquit, *ut Deigenitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est: verùm tantisper exspectavit, dum gratia fructum suum produxisset.* Omnes itaque Mariæ semitæ sunt pacificæ.

Thom. à Villa nov. Labata.

Damascenus orat. de Nativ. Virg. 1. Cor. c. 15. v. 46.

Curiosum satis est, quod subtiliter indagat Magister sententiarum, cur diabolus figuram tam horribilem, scilicet serpentis assumpserit, utpote talem, quæ citiùs Evam deterreret, & procul abigeret, quam ad se alliceret, eique complaceret: nonne prudentiùs, inquit, infernalis spiritus fecisset, si Evæ paradisi Dominæ in amabilis & delectabilis columbæ specie apparuisset? Columba enim maximè tractabilis est, & cum hominibus in simplicitate conversans. Huic quæstioni ipsemet respondet, scilicet id à Spiritu sancto fuisse impeditum, qui diabolo suavis columbæ figuram assumere ambienti ad hoc potentiam denegavit. Sed cur quæso? quandoquidem etiam nunc pravus diabolicæ in tam horrenda specie collocutionis effectus fuerit subsecutus? Audi quid dicat; *venit ad hominem in serpentis specie, cui si permitteretur, in columba specie venire maluisset. Sed non erat dignum & conveniens, ut spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua Spiritus sanctus appariturus erat.* Scilicet in Christi Domini nostri baptismate.

Lib. sent. dist. 21.

Ex hac Magistri doctrina argumentum conficio, ut puto satis prægnans à minori ad majus; si Spiritus sanctus nudam & externam columbæ figuram, quia ipse eamdem pro tantillo tempore assumpturus erat, induere diabolo permiserit: & hoc idcircò, quia id in despectum & irreverentiam ipsius redundasset; quis tam perfrictæ frontis, ut asserere audeat eum permisisse diabolo in Mariam dominium, illamque illi deservisse in infame prostibulum ac domicilum, quæ electa erat Spiritus sancti sponsa, Verbi Mater, totiusque Trinitatis nobile triclinium? Ut de ea confitetur S. Thomas: *Magnam habuit cum Beatissima Trinitate affinitatem, fuit enim filia patris, mater filii, & sponsa & habitaculum Spiritus sancti, ac totius Trinitatis nobile triclinium.* Quis inquam rursùs repeto illam infernalis spiritus extitisse concedet tabernaculum ac vile mancipium! Absit, absit tam indigna de tanta Virgine sentire.

Thom. ser. Domin. 4.

Refert Plutarchus, quod populus Atheniensis, viso quodam juvene Nicæa mancipio tantâ faciei pulchritudine prædito, ut dii ipsi in vultu ejus tamquàm in lympidissimo crystallo increatam venustatem, quasi contemplarentur atque admirarentur, eum diis persimilem proclamârit, cum addito; *tanta pulchritudo mancipium non decet.* Quo audito Nicæas, ut populo complaceret, juveni libertatem restituit, dicens: *Nefas arbitror viri Athenienses servire hunc adolescentē, qui tanto omniū consensu Deo persimilis judicatur, propterea liberum eum esse jubeo.* Si tāti arguo ego, apud cœcos Ethnicos æstimata sit corporalis pulchritudo, ut libertatis justū pretium haberetur: quanti non valuit apud SS. Trinitatem æternam sapientiam non corporalis tantùm, & externa faciei Mariæ Virginis pulchritudo, verùm spiritualis omnium virtutum atque perfectionum venustas, qua cunctas totius universi longo intervallo antecellebat creaturas? Et si Nicæas servum suum, ob tantum corporis decorem mancipatu liberârit, quomodo in sanam mentem cadere potest cogitatio, quod Deus matrem suam ipsam per antonomasiam & in abstracto pulchritudinem, & ab ipsomet supremo artifice rectè depictam divini prototypi imaginem diabolicæ servituti etiam pro momento subdi permiserit? Hoc sanè foret indignum, omnes itaque viæ vitæ Marianæ semitæ fuerunt pacificæ, id est, sine peccato.

Plutarch. in Nicæa.

Mentio jamjam facta de illa diaboli, in qua Evam aggressus est serpentis figura adhuc memoriæ inhærens, me instigat, ut inquiram genuinam rationem, cur determinatè Spiritus Sanctus diabolo (denegata ei columbæ, quam secundùm Magistrum sententiarum maximè appetebat figurâ,) serpentinam, & non aliam basilisci, aut crocodili, aut draconis, &c. assumi permiserit? Hoc enim nec suo suspicor caruisse mysterio. Quod ut nobis innotescat, curiosè annotandum est ex Pierio, serpentem perniciei apud veteres habitum fuisse

Pier. l. 16.

hiero-

hieroglyphicum, quod ex eo ipse desumptum arbitratur, quod visebatur in Delphis apud oraculum serpens, qui singulari videretur certamine Apollinem provocare. Cujus antiquitatis figuram artificiosissimam asserit reperiri ac videri inter Agalmata Pontificia à Julio secundo Romæ in pulchræ speculæ recessu constitutam. Sed de serpente ab Appolline devicto sic canit Ovidius:

Mille quidem fodit telis & pluribus hdrum.

Diabolum ruinæ & perniciei esse originem, ac totius humani generis lapsus fontem, nullus est qui ambigat, eumque continuò nobilissimæ animarum nostrarum escæ inhiare certissimum est. Etenim nec ei suffecit, quod omnes Adæ posteros naturali propagine genitos, pestilentiali suo veneno inficeret, sed Apollinem, id est Mariam Dei genitricem in certamen vocavit, juxtà divinum illud vaticiniũ, *ponam inimicitias inter te & mulierem*, videlicet Mariam inquit Rupertus: *Beata Maria mulier ista est, inter quam & serpentem inimicitias se positurum esse dixit & posuit Deus*. Sed additur, *ipsa conteret caput tuum*. Id est, illa te superabit, & tuum ô serpens lethale animæ virus non degustabit. Unde meritò potest Mariæ illud, quod Ovidius Apollinis victoriæ adscribit elogium, appropriari.

Rupert. l. 5 tract. 9. c.

Mille quidem fodit telis & pluribus hydrum.

Rupertus refert ex naturalistis tantam inter mulierem & serpentem reperiri antipatiam, ut solo pedis tactu illi necem quàm citissimè inferat. Verba ejus sunt. *Si nuda mulieris planta vivacissimũ ejus caput vel leviter attigerit, statim totũ cum capite corpus repentè interit, ita ut nullus omninò motus, nullus sensus in aliqu parte residuus sit.* Non dissimilis sane inter Mariam & infernalem serpentem est antipatia & inimicitia, ponam inimicitias inter te & mulierem, *ipsa conteret caput tuum*. Voluit itaque Spiritus sanctus, ut diabolus primæ matri Evæ in specie serpentis, & non basilisci aut crocodili appareret, ad denotandum, illum quamplurimùm revereri debere mulieris plantam. Quamvis enim venenosa hæc vipera omnem Adæ progeniem enecaret, ventura tamen erat una mulier, scilicet Maria Virgo, quæ ejus caput esset contritura, viresque ejus plane enervatura, juxtà illud: *Ipsa conteret caput tuum*. Sicque Maria quam optimè posset diabolo improperare illud, quod Debora tyranno Sisaræ: *In hac vice non reputabitur tibi victoria.*

Rupert, loco citato.

Unde certè fabulosa Poetarum commenta ad Catholicam veritatem transferens, rectè Mariam comparare possem fictæ ab illis Deæ Palladi, è Jovis cerebro natæ. Quia sicut, ut isti fabulantur, Pallas galeâ & loricâ ornata, hastam manu tenens, mundo formidabilis in lucem prodiit, cujus fortitdo tanta erat, ut quemcunque serpentem aut draconem facillimè prosterneret: ita Maria Virgò adinstar unius Palladis, non è ficti Jovis cerebro, sed à vero Deo egrediens juxtà ipsiusmet testimonium, *ego ex ore altissimi prodivi*. Armata loricâ & hastâ divinæ gratiæ prodiit, mundo quidem amabilis, sed inferno maximè formidabilis: quâ infernalem serpentem, sanctissimam ejus animam peccati originalis exitiali veneno inficere conantem dejecit, ejusque caput contrivit, id est peccatum originale conculcavit, cujus virus omnes Adæ posteros interfecit, secundùm S. P. N. Augustinum dicentem: *Originali peccato omnes sumus in materno utero jugulati*. Cui consonat S. Bernardus: *Omnes nascimur morituri, & tamquàm absorpti nascimur, quia in uteris matrum sumus à serpente strangulati.*

August. in Gen.

Bern ser. de duodecim gradibus humilitatis.

Zeuxis celeberrimus pictor, cùm domũ quamdam flagrantem cerneret, quam plurimis artificiosis picturis à se factis, ornatam sciebat, omnium quasi oblitus, ac unius tantummodò memor, scilicet Adonidis imaginis præ cæteris, ob stupendum artificium à se unicè dilectæ, ad illos, qui omni modo voraces flammas conabantur extinguere, exclamavit: *Servate mihi Adonidem*. Ac si diceret, incendio reliquæ pereant, & id fortunæ detur, salvetur saltem mihi Adonidis imago. Non dissimiliter summus ille artifex Deus unius dilectæ imaginis suæ Mariæ, adinstar alterius Zeuxis, curam gerens, cum totum genus humanum horrendis originalis culpæ flammis incendi ac consumi inspiceret: exclamavit, *sevetur mihi Maria*. Etenim ipsa est imago ad meum prototypum efformata, & à me super omnia dilecta. Fateor me pulcherrimas produxisse imagines; sed pereant illæ & dentur justitiæ; evadat Mater hunc originalis noxæ ignem, & detur gratiæ.

In Historiis duo à fulmine Alexandri Magni indemnia ex ejus mandato invenio reservata fuisse habitacula. Unum, domum Pindari famosissimi sui ævi Philosophi, alterum templum Dianæ.

Cùm enim summus ille Monarcha in Thebanam civitatem, maximè sibi rebellem justè decreverat desævire, eamque funditùs destrui mandârat: altâ voce, audiente toto exercitu, exclamavit: *servate mihi domum Pindari ipseque solus evadat. Tanta enim doctrina & virtus fumo obscurari non decet.* Templum verò Dianæ Ephesinum cæteris destructis, noluit demoliri, quia Deæ puritatis erat dedicatum. Unde pro ratione specialis hujus templi conservationis illius frontispicio insculpi jussit: *puritas destructioni non est obnoxia.* Nonne ergò nos jure meritò asseremus magnum illum & supremum Alexandrum totâ Adami progenie condemnatâ, & diro originalis noxæ fulmine percussâ, sibi exemisse unam domum pulcherrimam, de qua Sapiens ait, *Sapientia ædificavit sibi domum?*
Prov. c. 9. vers. 1. Unam domum, in qua non stoicus Philosophus Pindarus moralibus gentilium virtutibus tantùm exornatus: sed in qua ipsamet æterna sapientia verbum patris, & ipsa per essentiã virtus, tot mensibus requiescere debebat? Nonne illam inquam, Deum reservasse dicemus, atque exclamasse ad divinam justitiam? *Serva mihi domum Mariæ, ipsa sola evadat hanc maculam,* quæ è millibus electa est Dei domus, atque totius Trinitatis sanctissimum triclinium. O justitia! siste furorem ac impetum, *tanta virtus fumo peccati originalis obscurari non decet.* Et si Dianæ templo pepercerit Alexander Magnus, quia Deæ puritatis consecratum erat, quantum privilegium credendum est non concessisse Verbum incarnandum mystico templo Mariæ puritati dedicato, atque ipsius puritatis Deæ & omnium Virginum Reginæ? *Quis est,* inquit
Idiota. Idiota, *qui dubitet? tota enim pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati sive mortalis, sive originalis, sive venialis non est in te; nec unquàm fuit, nec erit.*

Matth. 12 v. 44. Matth cap. 12. narratur, Christum Dominum è homine quodam obsesso divinâ suâ potentiâ ejecisse diabolum, quo non obstante, adhuc inquietus malignus spiritus, ruinæ hominum inhians, *ambulabat per loca arida, quærens requiem,* quâ non inventâ, quasi desperatus intrà se dicit, ut ait Scriptura: *Revertar in domum meam unde exivi.* Certum apud SS. PP. hanc dœmoniaci cœci & surdi curationem, dœmonisque expulsionem spiritualiter esse intelligendam. Unde quod hic mihi difficultatẽ movet sane non exiguam, est dictum diaboli: *revertar in domum meam unde exivi.* Si enim Christus jam ejecto mediante suâ gratiâ sanctificante, diabolo, animam modò justi, anteà quidem peccatoris, possidebat: quomodò tam perfrictæ frontis extitit insulsus spiritus, ut ausus sit divinam illàm domum suam vocitare! ubi enim est Christus, diabolus consistere non potest. Mos invaluit apud Principes & Reges, quod omnes civitates, propugnacula, Provincias & Regna, quorum pacificam quandoque haberent possessionem, sua appellent, quantumvis sibi vel dolo, vel vi armorum, vel quâcumque aliâ fortunâ fuerint erepta, patet in Rege Catholico, qui se Comitem Zelandiæ, Hollandiæ, Lusitaniæ & Hierusalem Regem intitular, quorum tamen regnorum amisit fruitionem. Eodem modo Princeps tenebrarum diabolus, quia animam hominis illius aliquando possederat, suam nuncupat, suam domum vocat, quæ aliquando fuerat ejus, inquit Origines. Nunc sic argumentor, si sanctissima hæc domus, Maria Virgo, etiam unico tantùm instanti temporis per peccatum originale à diabolo fuerit occupata & possessa, poterit diabolus sese jactare, Mariam domum suam esse. Quod non tantùm indignum est, sed quasi impossibile, Non potest enim illa appellari domus diaboli, quæ verissimè dicitur & est domus Dei, & Sanctissimum totius Trinitatis habitaculum. Itaque dicendum est, & ingenuè confitendum, sacrosanctam hanc domum Mariam numquàm ab hoste infernali, ne quidem per momentum fuisse inhabitatam. Sic *Bern. de bustis.*
divinè sustinet Bernardus: *Hæc est illa domus, quam diabolus suam vocare non potest.* Cujus rationem *S. Cyprian.*
adjungit S. Cyprianus: *Quia possidebat semper suam domum Spiritus sanctus.* Clamaverat enim ut alter Alexander Magnus ad suos milites pro conservandâ domo Pindari, *servate mihi domum Pindari:* ad justitiam, pro tutanda magnifica domo Mariæ, *justitia serva mihi Mariam.*

Mihi ergò videtur patrem æternum, & unigenitum filium verbum patris, dum humani generis hostem non satiatum, cæterorum hominum ex Adam semine descendentium ruina & interitu, huic etiam domui, scilicet genitrici suæ, cerneret insidiantem, ad Spiritum sanctum hæc, quæ habentur Eccles. cap. 32. verba dixisse. *Hora surgendi non tetrices, præcurre autem prior in domum tuam & age conceptiones tuas.* *Eccl. c. 32. v. 15.* Ac si diceret, ecce diabolus paratus adstat, ut dilectam domum tuam Mariam intret, ejusque per originale peccatum capiat possessionem: tu velociter gratiâ tuâ sanctificante prior præcurre ad sponsam, ne nequissimo

huic

huic ullus ad eam concedatur acceſſus, poſſitque aliquando dicere : *Domus mea eſt Maria.* Nec hic prætereundum, ſed maximè annotandum, quod dicatur, *age conceptiones tuas*, in plurali ſcilicet; tibi enim cura incumbit ô paraclite Spiritus? ad invigilandum duabus conceptionibus, Mariæ ſponſæ tuæ, & Incarnati verbi Chriſti. Si enim Mariam exitiali peccati originalis veneno inficiari permittas, filia diaboli erit, quod indignum ſponſæ & ſponſo eſt, & ſic quoque Chriſti conceptio maculabitur. Quis umquam enim auſus eſſet aſſerere, quod verbum divinum carnem aliquando fulmine alicujus peccati tactam, ſibi inſeparabiliter retineat unitam? Et ſi tanta erat Ægyptiis cura, ut Sacerdotes ad ſacrificia falſis diis offerenda deſtinati, aqua omninò munda lavarentur : ut legem tulerint, ſicut Structius famoſus Hiſtoricus refert, quod non aliâ aquâ, quàm eâ, ex qua biberat ybis volucris, mundari poſſent, quia talis naturæ eſt ybis (in illa regione ſatis communis) ut numquàm bibat ex aqua quocumque modo infecta; quanta ergò cura, quæ diligentia adhibenda non eſt, ne ſummus ille Sacerdos & Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedech Chriſtus, lac & ſanguinem veneno originalis noxæ infectum potitet? Age ergò conceptiones tuas, & præcurre prior. Quod & factum eſſe teſtatur Scriptura : *Sanctificavit domum ſuam altiſſimus.* Concludo ergò ô Virgo Maria, *omnes ſemitæ tuæ pacificæ.*

Structius l. de ſacra ſcriptura.

Ioſue c. 6. v. 16. Joſue cap. 6. narratur, quod dùm ipſe cum filiis Iſrael de ſubverſione civitatis Jericho, omniumque in ea viventium deletione ageret, dumtaxat exceperit meretricem Rhahab dicens : *Sitque civitas hæc anathema & omnia, quæ in ea ſunt Domino. Sola Rahab meretrix vivat cum univerſis, qui cum ea in domo ſunt.* Quod ſane cuipiam videretur mirum. Si enim nullì parcendum eſſe expreſſè imperat Joſue, ne quidem parvulis & innocentibus, ut patet ex verſu 21. *Et interfecerunt omnia, quæ erant in ea à viro uſque ad mulierem, ab infante uſque ad ſenem*; cur quæſo ſolam Rahab, & quidem meretricem à communi eximi mandat interitu. Ratio hujus ſubnectitur in Scriptura verſu 17. *Abſcondit enim nuntios, quos direximus.* Ecce parcitur Rahab, quia ſpeculatores à Joſue miſſos hoſpitio receperat, eoſque à morte præſervârat. Quod ſi ita eſt, quid de Maria Virgine dicemus? Nonne jure meritò ſummum illum Joſue Deum totum genus humanum juſtitiæ vindicativæ conceſſiſſe, atque morti per peccatum originale tradidiſſe affirmabimus? exceptâ tamen unicâ Mariâ, eumque clamaſſe ad juſtitiam, *ſola Maria vivat*? Ipſa enim non ut Rahab ſpeculatores, ſed Regum Regem & Dominum Dominantium hoſpitio benedicti ventris ſui ſuſcepit, & à furentis Herodis ira ac morte præſervavit. Sanè de hac ſolius Mariæ à communi hominum interitu exemptione neutiquàm eſt dubitandum. Nam ſi, ut ait Eſdras lib 4. cap. 5. Deus ex cunctis inſenſibilium creaturarum generibus ſpecialem ſibi quamdem delegit creaturam, quidni & eum ſibi rationalem ſpecialiter dilectam præ omnibus elegiſſe credemus? *Dominator Domine*, inquit, *ex omnibus floribus orbis elegiſti tibi liliũ unum, & ex omnibus abyſſis maris repleſti tibimetipſi rivum unum, & ex omnibus ædificatis civitatibus ſanctificaſti tibi ipſimet Sion, & ex omnibus creatis volatilibus nominaſti tibi columbam unam, & ex omnibus plaſmatis pecoribus providiſti tibi ovem unam.* Sed quæ quæſo erit unica illa per gratiam à Deo electa creatura? Sane non niſi Maria : de qua ipſemet ejus ſponſus ait Chriſtus, *una eſt columba mea, una eſt electa mea.*

Verſ. 21. — *Verſ. 17.* — *Eſdras l. 4 c. 5. v. 5. 6. & 7.*

Refert Plutarchus de Cæſare Auguſto, quod ipſe quodam tempore juſtâ percitus irâ contra civitatem Alexandriam ſibi rebellem, illam ſolo æquari mandârit, eamque militibus ſpoliandam tradiderit. Ad quod triſte videndum ſpectaculum, cum ipſemet in perſona ſeſe præpararet, portis civitatis jam approximans, viſis in lapidibus ſculptis his verbis : *Alexander me fecit.* omnem furorem depoſuit, & ob magni Alexandri reverentiam urbi pepercit, furentemque militem à deſtinata clade revocavit. Haud aliter ſeſe geſſit divina juſtitia cum Maria. Illa enim ob Adæ rebellionem, ac præcepti Dei prævaricationem ad juſtam vindictam concitata, totum genus humanum, omneſq; ex Adæ ſemine filios procreatos, dirâ originalis culpæ morte plectere ſtatuit. Verùm ubi ad Mariam Virginem pervenit, annotans illam eſſe à ſummo illo Alexandro ſpecialiter efformatam, iram depoſuit, illique pepercit. Et hoc ſanè planè erat conveniens, imò neceſſarium, ut apertè teſtatur Sanctus Bernardus : *Factor hominum, ut homo fieret naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus debuit eligere, imò condere matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi noverat placituram. Quis autem non perhorreſcat dicere decuiſſe Matrẽ Dei originali maculâ fuiſſe inquinatam,*

Bernard.

aut Deo placitum iri Matrem sumere, quondam peccati turpitudine fœdatam?

Dixi ante, & omnibus etiam utcumque cœcutientibus clarissimè patet, Mariam esse Spiritus sancti sacrarium, atque totius Trinitatis templum: ergò infero, in ea nullum diabolo oblatum est sacrificium; de quo potuisset gloriari, si templum illud umquàm fuisset repertum originalis peccati maculâ pollutum. Sane memoriâ dignum est, quod narratur fecisse Judam Machabæum. *Cogitavit*, ait Scriptura, *de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis consilium bonum ut destruerent illud, ne fortè illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes, & demoliti sunt illud.* Ex hoc efficacissimum pro immaculata Mariæ Conceptione formo hoc argumentum. Si contumelia & opprobrium reputabatur a Juda Machabæo, populum Israeliticum sacrificia & holocausta offerre in altari à gentibus contaminato; ah quantum majus vituperium Deo imputaretur, si Virginis Mariæ altare, Sacrosancta scilicet anima ei consecratum, originali noxâ fuisset infectum? Quod si etiam aurum, ex quo gentilium, atque etiam ipsorum Judæorum à Deo se avertentium Idola confecta erant, adeò Deus detestatus fuerit, ut ne quidem Hæbreis permiserit illud domesticis rebus usui esse, sed omninò voraci igne mandaverit consumi, ut patet ex cap. 7. Deut. *Aras eorum subvertite, sculptilia comburite.* Illudque mandatum tanto zelo, tantâ curâ, ac tantâ diligentiâ iis inculcârit, ut denuò v. 25. illud ipsum repetat, *& sculptilia eorum igne combures.* Imò nec hoc contentus, ut prædictum mandatum tenacius illorum memoriæ inhæreret, eam pro tertia vice refricat dicens: *Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam.* Ex hoc rursùs sic argumentor; si Deus tanto odio idolorum materiam sit execratus, quomodo quis asserere audebit, Deũ sibi in matrem, & in vas pretiosissimum, in quo purissimum divinitatis manna reconderetur, elegisse talem fœminam, quæ aliquando per originale peccatum diaboli domus extitisset?

Mach. 1. c. 4. v. 44. & 45.

Deut. c. 7. v. 5. v. 25. & 26. v. 25.

Plinius & Pierius tradunt, à gentilibus olim Deæ Junoni tantum honorem fuisse delatum, ac exhibitum, ut lex ab iis condita sit, statuam ipsius non nisi ex cupressi arboris ligno confici posse: verba Pierii sunt: *Ex ea arbore*, scilicet cupresso *simulacra Iunonis Reginæ fieri jussa, in plerisque prodigiorum expiationibus observatum*; idque ea de causa, quia cupressi lignum à nullo, quantumque mordaci verme corrodi ac consumi potest. Unde testatur Plinius, ut ait Pierius, *simulachrum Iovis in arce ex cupressino ligno, à condita urbe Roma sexcentesimo sexagesimo primo anno dicatum, tempore adhuc suo durare. Vnde Plato*, ait idem, *leges publicas, acta decretaque sacris monuit inferendis tabulis cupressinis.* Si ergò Ethnici falsæ Deæ Junoni tantam exhibebant reverentiam & respectum, ut imaginem illius ex arbore cupresso, ne ullatenus à verme corrodente læderetur, confici mandaverint; quomodo Deum patrem filium suum Christum humanitatem ex fœminæ carne originalis luis tinea corrosâ, assumere permisisse credemus?

Plin. lib. 55 c. de cupresso. Pier. l. 52.

Memini me suprà concione 6. ex Plinio demonstrasse mirabiles arbori nominatæ fraccino à natura congenitas esse proprietates. Inter quas sane rursùs ad præsens institutum, hæc maximè notatu digna est. *Ejus tanta vis est*, inquit Plinius, *ut ne matutinas quidem occidentesque umbras, quò sint longissimæ, serpens arboris ejus attingat, adeò ipsam procul fugiat, experti prodimus si fronde in gyro claudatur ignis, & serpens, in ignem potiùs, quàm in fraccinum fugere serpentem.* Hanc antipatiam cum sepente huic ligno dixi ab authore naturæ esse inditam, quia ipsemet tribus horis in illa pendêre debebat. Ex quo denuò sic argumentor; quod si Deus tanquàm naturæ conditor, ob hunc respectum tantam inanimato stipiti virtutem impresserit, ut etiam illius umbra serpentes fuget: quam virtutem Mariæ Matri Deum ut authorem gratiæ, non concessisse fatebimur, ad infernalem serpentem diabolum à se procul propulsandum, in cujus castissimis visceribus novem mensibus requievit, & à qua tanto tempore virgineo lacte pastus est? Imò, imò, ô Beata Virgo, tantis te dilectus filius tuus dotavit viribus, tanta te pollêre fecit potentiâ, ut venenosus ille serpens, ne umbram quidem tuam ausus fuerit accedere, multò minùs venefico suo afflatu inficere. Nunquàm igitur exitialibus suis gyris vitæ tuæ semitas ô Maria, malignus spiritus valuit interturbare: Sed omnes semitæ tuæ fuerunt pacificæ & mundæ à peccato.

Plin lib. 2. cap. 13.

Apud Romanos strenuissimos bellatores mos erat, quod dum armorum vi & insultu civitatem quamdam expugnabant, omnes pariter neci dabant. Quod si tamen miles quidam puellæ alicujus amore captus, eam morte liberare desideraret, sibiq; illam desponsare: capiti ejus in libertatis ac immunitatis testimonium galeam suam imponebat,

bat. Quæ,hoc tutata signo, furenti undique militi audacter dicebat : *Nolite me tangere,galeata sum.* Quo viso nullus ausus erat illam, tamquam electam commilitonis sponsam, attingere. Fateor quidem tota Adami progenies armis potentissimi tenebrarum Principis devicta, horribili ruinæ æternoque interitui est subjecta : at supremus ille Monarcha, unius ex tota massa puellæ amore irretitus,illam in sponsam elegit, ut ait Oseas, *sponsabo te mihi.* Et ne eam hostis infernalis infausto originalis peccati telo (quo cæteros Adæ filios potenter dejecit) aggredi ullo modo præsumeret, animæ sponsæ suæ Mariæ Virgini galeam sanctificantis suæ gratiæ à primo conceptionis momento, tamquam signaculum libertatis, atque indemnitatis imposuit. De quo inæstimabili favore ac privilegio ipsamet sese jactitat apud sapientem Proverb. cap. 8. *Ex antiquis ordinata sum.* Alii legunt *vexillata sum :* id est sponsus meus in anima mea divinæ suæ gratiæ erexit vexillum Hoc innuens (alludendo ad Principem consuetudinem, qui civitatis aut alicujus fortalitii Domini effecti, mox vexilla sua in manibus collocari mandant) Deum absolutum cordis ejus semper obtinuisse dominium. Sicut ergo, ut refert Plutarchus: cerva quædam Cæsaris plurimum ab eo dilecta, ne in venatorum tela, vel manus incideret, in torque impressa gestabat hæc verba : *Noli me tangere, quia Cæsaris sum :* Sic Maria Virgo dilecta Dei genitrix, galeata aut vexillata divina gratia, callido animarum venatori diabolo, eam potestati suæ damnoso originalis noxæ pondere subjicere tentanti, viriliter sese opposuit, & audacter ad illum clamavit; ô maligne spiritus, ô perniciose animarum insidiator, cave, cave ad me accedere : *Noli me tangere, quia Cæsaris sum* , electa scilicet clarissima Verbi æterni creatoris tui sponsa. Concludamus ergo Mariæ semitas esse pacificas,id est mundas ab omni peccato, sicque illam ab omni delicti immunditia intactam, inimici potentiam evasisse. Quòd testatur Hugo: *Totum quod in te est* , inquit , *pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum* , *pulchra intus,pulchra foris,intus in corde,foris in corpore,pulchra per naturam,pulchra per gratiam.*

Osæ.cap.2. vers.19. — *Prov. c.8 vers.23.* — *Plut. in vita Alexand.* — *Hugo Victorinus ser.9 ded. Virg.*

Hanc admirabilem ex divino privilegio Mariæ Virginis conservationem acutè & prophetice mihi videtur Propheta David annotasse ; dum prævidens prodigiosam quamdam hactenus numquam auditam novitatem, ad hanc contemplandam universum invitavit mundum : *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ.* Quamvis enim quamplurimi Patres per τὸ terram intelligant totius mundi machinam in Christi Domini Nativitate universali gaudio repletam; attamen per τὸ terram hic Davidem opinor intellexisse Beatam Virginem, de qua ipse dixerat Psal.84. *Terra nostra dabit fructum suum*; quæ verba adeò propriè Mariæ conveniunt, ut nulli alteri vix adaptari possint. Quoniam si de terra materiali quæstionem instituamus, hæc si aliquem det fructum suum, fructus est maledictionis juxtà divinum oraculum Gen. cap. 3. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Maria autem fructum edidit mirabilis benedictionis juxtà illud dictum Elisabeth, *benedictus fructus ventris tui.* Si verò loquamur de terra humana, scilicet de omni matre fructum carnalem producente; certè ille non est tam propriè fructus matris, quam patris, ut plurimi celebres sustinent medici, quandoquidem matres tantum passivè ad generationem secundùm illos concurrant. Virgo autem Maria ex solo proprio suo sanguine absque ulla virilis seminis commixtione, cooperante Spiritu sancto propriissimè suum filium protulit Ab hac itaque Virginea terra affirmat Propheta,procul propulsandum esse,non tantum illud,de quo ait Apostolus : *Caro concupiscit adversus spiritum,& spiritus adversus carnem:* Sed etiam formidabile præ cæteris bellum, quod cunctis Adæ filiis ordinaria & naturali propagatione genitis indictum est, cunctosque , exceptâ unicâ Mariâ , prostravit. Id enim apertè satis insinuant Prophetæ David verba: *Auferens bella usque ad fines terræ.* Id est à primo vitæ termino,qui conceptio est, ad ultimum , qui mors est & omnium rerum terminus ac vitæ humanæ finis juxtà Ovidium : *Et mors ultima linea vitæ* , ab utroque hoc bello dum immunem ac præservatam divinitus prophetico spiritu contemplaretur David , ad stupendum hoc miraculum ac inauditum prodigium intuendum totum mundum convocavit , *venite & videte opera Domini.* Quod in eo sanè situm esse autumo, quod, cum Maria Virgo utrique bello,ut terra in Adamo maledicta obnoxia, ab omni planè fuerit libera. Etenim,ut Cicero commemorat,fingebant Poetæ quod Titanes legitimi terræ filii cum primùm ex ejus visceribus prodière, confestim arma sumpserint in manibus contrà Saturnum,quem cæli Deum fabulabantur,à quo illos fulminibus dimissis è cœlo percussos ac interemptos in delicti pœnam fuisse asserunt, ut duplici hoc versu exponit Poeta Servius.

Psalm.45. vers.10. — *Psalm.84. vers.13.* — *Gen.ca. 3. vers.18.* — *Luc.cap.1. vers.41.* — *Ep. ad Gal. c.5. v.17.* — *Ovidius.*

Hic genus antiquum terræ Titanea pubes
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Cùm Maria Virgo terræ, & quidem maledictæ, ac Deo rebellis extiterit filia, hoc est, ex simili terrena & humana carne, quemadmodum cæteri Adæ filii compacta, inauditum portentum & stupendum prodigium est, quod ipsa ab omnis peccati, originalis quoque dico fulmine, summo Saturno Deo manum cohibente, remanserit omninò intacta.

Vellem coronidem huic discursui brevitatis gratia imponere, sed unum adhuc Africani illius syderis S. P. N. Augustini in immaculatæ Conceptionis Mariæ favorem; argumentum sanè non leve, sed maximè efficax, me retardat, Quod hic paucis annectam, cætera pro sequentibus reservaturus: Augustinus in Sermone de Assumptione ac triumphali Divæ Virginis in cœlum ingressu quæstionem instituit; an Sacro-sanctum corpus Mariæ in cœlum assumptum sit, ibique persistat gloriosum, an verò putredini & corruptioni, ut cætera aliorum hominum corpora, fuerit subjectum. Ad quam ipse respondet negativè pro secunda parte: quia indecorum esset corpus Dei genitricis, in quo ipse tanto tempore delituit, ipsiusque divinæ majestatis dignitati planè repugnans, putredini, & vermibus tradi. Verba præfati Doctoris sunt hæc. *Numquid non pertinet ad dignitatem Domini Matris suæ servare honorem, qui legem solvere non venerat, sed adimplere? etenim sicut honorem matris præcipit, ita & inhonorationem damnat. Qui in vita præ cæteris illam honoravit pium est credere singulari salvatione, etiam & in morte speciali gratiâ honorasse, poterat enim à putredine & à pulvere alienam facere, qui ex ea nascens, potuit eam Virginem relinquere; putredo enim, & pulvis opprobrium est humanæ conditionis: à quo opprobrio cum Iesus sit alienus naturâ, Mariæ excipitur, quam de ea suscepisse probatur caro. Caro enim Iesu est caro Mariæ.*

S. August. serm. de Assumpt.

Ex hac Augustini argumentatione novam deduco; si secundùm eum putrefactio & corporis corruptio materno Divæ Virginis officiat honori: quantò magis ad genitricis ipsius Dei dignitatem spectat animæ ipsius ab originalis noxæ corruptione reservatio? Cum anima corpore plurimum sit præstantior.

Hujus argumenti efficaciam tangit ipsemet Augustinus & approbat loco citato infrà his verbis: *Illud sanctissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & divinam naturam humanæ univit, non amittens quod erat, sed assumens quod non erat: ut verbum caro, hoc est Deus homo fieret, escam vermibus traditam sentire non valeo, dicere pertimesco; si igitur animus horret, & pertimescit quod corpus Virginis putredine inquinetur, quantò magis horrere debet, quod originalis peccati putredine ejus anima inficiatur.*

Deinde S P.N. Augustinus argumentatur à potentia ad actum ibidem in præfata materia: *In cujus*, inquit, *potestate est sanctorum de capite capillum non perire: est, & illam animam à corpore integram posse servare, de cujus potestate si nullus dubitet Ecclesiasticorum, quin possit Mariam sine corruptione servare; cur dubitandum est, noluisse quod pertinet ad tantæ benignitatis gratiam?* Sic ego arguo de præservatione à peccato originali. De potestate Dei nullus dubitat, quin possit Mariam genitricem suam à tam indigna macula præservare, cur itaque dubitandum est illum noluisse facere, quod pertinet ad tantæ benignitatis gratiam?

Quod si adhuc aliqui de hac veritate, quam ego indubitatam pie arbitror, dubitent, nec præfatis rationibus convincantur, obnixè rogo, ut eos non pigeat alias mox adjiciendas perlegere. Ego interim hunc discursum finio, & concludo Mariæ Virgini aptè & propriè posse applicari illud Davidicum, *quæretur peccatum illius & non invenietur* Psalm. 10. vers. 15.
Quia omnes viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ, id est mundæ à peccato.

CON-

CONCIO VNDECIMA
THEMA.

Sicut cinnamomum aromatizans odorem dedi.
Eccl. cap. 24.

ARGUMENTUM.

Prosequimur incæptam materiam, novisque rationibus ac argumentis immaculata Mariæ Virginis Conceptio ex cinnamomi proprietatibus stabilitur.

DUm varias metaphoras, ingeniosa hieroglyphica, sub quibus Marianæ laudes delitescunt, oculis mentis attentè perlustrarem: mihi occurrit illud, quod Divæ Virgini S. Hieronymus adscribit elogium. *Hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, & ornamenta virtutum.* Et sanè benè à Hieronymo hortus appellatur, quæ & eodem titulo à sponso Christo honoratur: *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Conclusus sanè, quia neminem umquam, nisi solum Dominum cœli, & terræ admisit Hunc quoties tacita mente perambulo, ingenuè fateor, in Dedali labyrintho me reperio. Et quò me vertam nescio. Tot enim nobiles ac raræ in hoc pulcherrimo horto plantatæ sunt virtutum arbores, ut, cui Mariam ad ejus laudes decantandas melius comparem, non inveniam. Proceritas namque cypressi me trahit, ut Mariæ celsitudinem, utpotè quæ suprà omnes choros Angelorum elevata, verticem capitis usque ad thronum Dei majestatis erexit, demonstrem, de ea enim ait Ecclesiasticus: *Quasi Cypressus in monte Sion.* Cedri quoque me impellit majestas, ut eximiam Cedri Mariæ, quæ de se ipsa ait, *quasi Cedrus exaltata sum in Libano*, majestatem declarem. Sed etiam me retrahit ejus nimia magnitudo, ob quam in comune Proverbium abiit dictum: *De Cedro digna locutus nemo.* Quia nec quisquam de Maria Virgine dignè differere valet, ipse solus enim Deus eam mensus est. Nec palma apud Ægyptios verum victoriæ hieroglyphicum me mutum pertransire permisit; sed ad Mariæ varias & inauditas contrà quoscumque hostes visibiles & invisibiles victorias manifestandas, quamplurimum allicit. De hoc enim palmæ elogio ipsamet gloriatur dicens: *Quasi palma exaltata sum in Cades.*

Hier. serm. de Assump.
Cant. c. 4. vers. 12.
Psalm. 10. vers. 15.
Eccl. c. 24. vers. 17.
Ibidem.
Eccl. c. 24. vers. 18.

Fateor singulæ singularum harum arborum proprietates, & effectus ad Mariæ Dei nostri genitricis encomia promulganda, quàm maximè conducunt; verumtamen, quia mens est, in ejus honorem & magnificentiam immaculatam illius Conceptionem rursus attingere, ac solidius confirmare, de arbore cinnamomo in concluso hoc horto plantata differam, atque sub illa metaphora, quam sibimet appropriat *sicut cinnamomum &c.* eam à peccato originali immunem conceptam fuisse, ostendere conabor. Nec enim puto per quidpiam aliud immaculatam Divæ Virginis Conceptionem clariùs posse adumbrari, quàm per cinnamomum. Quod ex ejus proprietatibus mox constabit. Sed priùs ab hac odorifera cinnamomo Maria Spiritus sancti gratiæ & auxilii fragrantiam expostulemus: salutantes eam Angelicis verbis. Ave gratiâ plena.

Sicut cinnamomum aromatizans odorem dedi.

CInnamomum secundùm naturalistas plurimũ ab odore commendatur, non quod alia non polleat

polleat virtute, sed quia vi istius, ut dicit Plinius: *Multi existimant cum classe sua Alexandrum ad portum Arabiæ fuisse allectum. Imò & tanti cinnamomi odoris fragrantia eò confugere quasi compulsum.* Verè Maria Virgo odorifera arbor est cinnamomum, ipsa enim suavitatis suæ odore, omniumque virtutum fragrantiâ non unum Alexandrum Regem mortalem, è mari ad Arabicum litus, sed unigenitum Dei filium, Regem Regum immortalem, è sinu æterni Patris ad terram attraxit, & virginali claustro eum inclusit, quem cæli & terra capere non poterant. Cujus cinnamomi odore Verbum æternum adeò fuit inescatum, ut nisi redemptio humani generis & amor, pro quo à diabolica servitute liberãdo in mundum descenderat, vel etiam præceptum Patris obstitisset, in utero Virginis remansisset. Unde vel ad æternum Patrem, vel ad amorem, quo erga humanam naturam ferebatur, ut ipsamet attestatur per Sapientem, *deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Vel ut veriùs loquar ad utrumque ait, *extraxisti me de ventre matris meæ.* Deplorans scilicet suum è castis Mariæ visceribus egressum. O mira vis naturalis cinnamomi! cui tu Maria minimè cedere debes. Mirum enim tamquam cinnamomum mystica dedisti odorem suavitatis.

Plin. l. 12. cap. 19.

Prov. c. 8. vers. 31.

Psalm. 21. vers. 19.

Præterea arbor hæc præ cæteris electa est à nobilissima ave Phænice ad nidificandum; imò adeò illam adamat, ut numquam in alia quiescere visa sit, idque ex instinctu naturæ, quæ talis est, ut omne planè venenum mirabili odio execretur; à quo quia cognoscit cinnamomum omninò esse immunem, nec illam in ramis suis ullum virulentum animal admittere, imò ab umbra sua procul repellere; in ea sola nidum suum exstruit, in quo nullam aliam avem quoque ullatenus commorari patitur, ut inquit Plinius. Maria verissima sanè arbor cinnamomum est à sacra illa Phænice Christo Jesu è millibus electa pro Sacro sancto nido, in quo humanam nostram naturam assumeret. Et bene Christus avi Phænici comparatur; quia sicut illa unica est, ita Christus Jesus unicus Patris æterni & matris tẽporalis filius extitit: tum etiam, quia sicut Phænix & in igne nascitur, & in igne moritur: ita Dominus noster Jesus Christus ardenti amoris igne accensus, ex immortali mortalis, ex æterno temporalis, ex incomprehensibili comprehensibilis, ex creatore creatura fieri dignatus est, & inter homines conversari: atque eodem charitatis ardore æstuans in infami crucis trabe pro salute hominum mortuus est, & denuò adinstar alterius phænicis post mortem revixit. Unde ei illud quod de Phænice dicunt naturalistæ verissimè potest applicari juxta Tertullianum: *Ille semetipsum libenter funerans renovat natali fine discedens, atque succedens iterum Phœnix, ubi jam nemo, iterum ipse, qui non jam alius idem.* Hinc sicut Phænix omne venenum abominatur, nec umquam aliam avem peregrinam ad nidum suum admittit, sic Christus omne peccati virus tam originalis, quam actualis culpæ summopere detestatur, ac execratur, nec unquam ad Sacro sanctum purissimæ Mariæ Virginis animæ electum suum nidum rapacissimam avem, dæmonem inquam, accedere permisit. Concludo itaque multò minus inhabitare. Omnes enim matris Christi semitæ fuerunt pacificæ & mundæ à peccato, quia ipsa ut cinnamomum aromatizans odorem dedit.

Tertull.

Olim apud veteres cinnamomum symbolum pacis & quietis habebatur. Unde Vespasianus Imperator coronam auream cinnamomo repletam contexi jussit, quá Deæ pacis tempora redimivit. Sic testatur Plinius: *Coronas ex cinnamomo interrasili auro inclusas primus omnium in templis capitolii atque pacis dedicavit Vespasianus Imperator Augustus.* Maria indubitatum est pacificationis symbolum, illa enim pacem inter Deum & hominem composuit. Decretum insuper erat & lege sancitum apud gentiles, ne quispiam ramos ex hac arbore decerpere auderet, nec eos attingere, nisi summus Sacerdos; sic hanc sacrosanctam cinnamomum Mariam ex divino decreto dæmonis manus, cæterorum filiorum Adæ conceptionem peccato originali commaculans, attrectare ausa non est; quæ solius Dei & summi Sacerdotis Christi manu per cælestem prævenientem originalem maculam gratiam conservabatur sanctificanda. Unde sicut prima pars ramorum cinnamomi diis offerebatur, ut loco citato ait Plinius; non secus prima pars vitæ Mariæ Virginis, quam constat fuisse ipsius conceptionem, non dæmoni reservata, sed Deo consecrata ac immolata fuit.

Plinius. Ibidem.

Horatius super cap. 4. Cant. dicit, arborem cinnamomum tres cortices, quibus ab injuria & inclementia aeris mirabiliter protegitur, continere. Certè nonne insignis cinnamomum est Maria? Nonne ipsa triplici cortice, videlicet Patris æterni potentiâ, Verbi sapientiâ, atque Spiritus sancti amore, & gratiâ sanctificante contra triplex peccati genus, mortale, veniale, & originale fuit præmunita; Ad hæc addit Gregorius Nyssenus, talem

Honorius super cap. 4. Cant

Greg. Nyssenus in

comm. hujus loci.

lem à natura inditam cinnamomo esse virtutem, ut omnia animalia ex quacumque corruptione genita perimat: sic Maria Virgo tantam habuit per gratiam virtutem, ut instar cinnamomi, tum originale, quod ex primi parentis corruptione oritur, tum actuale, quod à prava prodit voluntate, peccatum penitus enecarit.

Refert insuper Plinius eodem loco de cinnamomo, inauditum quoddam prodigium visum fuisse in templo, quod in honorem Cæsaris Augusti Augusta ejus uxor erexerat. *Radicem ejus*, inquit, *magni ponderis vidimus in Palatii templo, quod fecerat Divo Augusto conjux Augusta, è qua guttæ editæ annis omnibus in grana durabantur.* Quod radix vegeta & viva quandoque liquoris guttulas emittat, experientiâ clarè constat: sed quod radix totaliter exsiccata, ac omni planè humore destituta, illas effundat, prodigiosum est. Placuit autem naturæ authori & illud portentum Conceptioni, ac Nativitati Mariæ præmitti, ut ex naturalibus, quæ ad oculum patent, sacrosancta Virgo Maria adumbraretur. Etenim ipsa radix est maximi sanè ponderis, quam Ecclesia Catholica salutat dicens: *Salve radix sancta ex qua mundo lux est orta.* Eva generis humani radix fuit, & Mater omnium viventium, Maria Virgo radix est, è qua ortus est Christus, & vera omnium spiritualiter viventium Mater. Hinc sicut, qui arborem fovet, particularem radicis gerit curam, & hyemali tempore animalium stercore calefacit, æstivo verò siccam irrigat, & calidam aqua refrigerat: ita Deus maximam matris suæ curam habuit conceptionis, quæ Christi radix erat futura. Ideòque illam tot divinæ gratiæ imbribus irrigavit, totque cælestibus donis munivit, ut vermis malignus dente suo infernali eam corrodere ausus non fuerit, & venenum originalis culpæ in eam transfundere non præsumpserit.

Hæc radix Maria reperta est in penetralibus dudum sterilis Beatæ Annæ, quæ auro charitatis mirabiliter illuxit, & ut radix sicca cinnamomi, id est absque ullo semine virili, non guttulas quasdam, sed Christum Dominum fontem aquæ vivæ effudit. Sed quod maximè advertendum est in Plinii verbis, guttulæ istæ cinnamomi radicis *in grana durabantur.* Et quis inficiabitur, si dicam guttulas sanguinis ejus, quas in Incarnatione Verbi subministravit Maria, in grana fuisse induratas, id est, in cibum spiritualem animæ nostræ cessisse: nempè Eucharistiam; teste ipsomet Christo dicente: *Ego sum panis vivus*, cujus non

Ioan. c. 4. v. 54.

tantum maximam utilitatem, verùm etiam prægnantem necessitatem Evangelista mox exprimit: *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Maria ergo mirabilis cinnamomum est in totius universi commodum ab omnipotente Deo plantata, potestque jure meritò dicere, *sicut cinnamomum aromatizans odorem dedi.*

Mirabilius quid, magisque stupendum eo quod jam diximus de cinnamomo, narrat idem Plinius, quod ipse verum, ego verò fabulosum arbitror: interim ipsius verba addo: *Mercantes id* (scilicet cinnamomum) *vehunt per maria vasta ratibus, quas neque gubernacula regant, neque remi impellant, non vela, non ratio ulla adjuvet.* Quibus verbis ipse videtur indicare, quod cinnamomum navi imposita, eâ polleat virtute, ut etiam eam omnibus necessariis totaliter destitutam ad desideratum tamen portum conducat. Dixi paradoxum imò fabulosum hoc mihi apparere; sed cinnamomo nostræ Mariæ apprimè quadrare sentio. Naviget enim homo per vastum hujus mundi pelagus absque anchora fidei, velo charitatis, vento meritorum, si tantum hanc arborem cinnamomum, id est Mariæ devotionem, & cultum in corde secum portet: facilè intumescentes undas sæculi sulcabit, & ad optatum perveniet salutis portum teste Anselmo: *Qui illam dignè coluerit justificabitur, è contra verò, qui neglexerit illam, in peccatis suis morietur.* Quis modo rogo è vobis est, ô auditores! qui ad æternæ salutis portum tutus appellere non desiderat? vultisne concupitum obtinere finem? Ah vehite vobiscum, cujuscumque status existatis, cinnamomum Mariam: & ne dubitetis, ad cælestis regni portum ejus auxilio & favore securissimè pervenietis ut infra latius probabo.

Plin. l. 12. c. 19.

Anselmus in lib. mirab. relatus à S. Antonino.

Plurimi naturalistæ (quamvis de hoc mentionem non faciat Plinius) censent arborem cinnamomum a fulmine omninò esse immunem; ex qua naturæ illius proprietate rursus immaculatam Mariæ elicio conceptionem. Omnes naturali ex Adamo propagatione geniti diro peccati originalis fulmine à dæmone percussi sunt; at diva Virgo, quæ sese veram cinnamomum esse gloriatur, *quasi cinnamomum aromatizans, &c.* Hoc quati minimè potuit; sed feralem hunc ictum ex speciali privilegio evasit. Laurentius Justinianus refert apud Ethnicos strictissimè inhibitum fuisse, ne quis panem ex segete, aut vinum de vite fulmine tacta offerre præsumeret; fructus enim illos, quos ita summi Jovis attigerat, ad Deos reconciliandos,

Laur. Iust.

liandos, aut honorandos prorsus incapaces esse arbitrabantur. Sacro-sanctus Mariæ Virginis uterus fertilissimus segetum campus fuit, ut testatur illius sponsus, *venter tuus sicut acervus tritici*. Maria quoque fructifera vitis est, ut & ipsa fatetur Cant. cap. 1. *Ego quasi vitis fructificavi.* Vitis inquam in fructu admirabilis, utpote quæ produxit divinum illum botrum verbum incarnatum, *botrus cypri*, inquit, *dilectus meus*, è quo in crucis torculari pretiosissimus sanguinis Christi succus exprimi, & pro totius mundi redemptione, atque irati numinis reconciliatione æterno patri offerri debebat. Et quis ausus erit dicere hanc oblationis hostiam fulmine originalis peccati percussam, & nos per eam patri æterno reconciliatos fuisse? Absit, absit; hostiam puram sanctam, & immaculatam acceptat Dominus Maria Virgo quoque in benedicto utero suo tamquam in fornace panem illum Angelorum, carnem scilicet & corpus Christi Domini, igne Spiritus sancti adjuvante mirabiliter coxit. Unde S. Bernardus comparat Mariam isti mulieri, quæ acceptum fermentum in tribus farinæ satis abscondit. Et habet hæc non leve fundamentum speculatio: quia Christus Dei filius in una persona verbi triplicem, ut ita dicam, abscondit substantiam, divinitatis scilicet, animæ rationalis, & corporis, ut ait S. Bernardus: *Hæc sunt; Evangelicæ illa sata farinæ, quæ pariter fermentantur, ut sit panis Angelorum quem manducat homo, cor hominis confirmans. Felix mulier, & benedicta in mulieribus in cujus castis visceribus superveniente igne Spiritus sancti coctus est panis iste*, qui usque in finem sæculorum in sanctissimo Missæ sacrificio offeretur.

Cant. c. 7. v. 2. *Cant. c. 1. v. 14.* *Bern. ser. de Nat. Christi.*

Deinde S. P. N. Augustinus ait carnem Christi verissime carnem esse Mariæ. *Caro*, inquit, *Mariæ, Christi caro est: & caro Christi, quamvis gloriâ resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Maria.* Unde etiam asseveranter tenet doctissimus Suarez, in Eucharistia veram Mariæ Virginis carnem adorari & sumi. Rationem suæ allegat opinionis: *Quia substantia illa carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, numquam fuit dimissa, sed eadem semper conservata & Deo unita.* De sanguine idem prorsus sentit Eusebius: *Sanguinem*, inquit, *quem etiam pro matre obtulit, de sanguine matris accepit.* Quibus clarissime concinit Damianus, dicens: *Manat aliquid ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris. Illud autem absque ulla dubitatione, non aliud nunc de sacro altari percipimus, & ejus sanguinem in Sacramentum nostræ redemptionis haurimus.* Dicemusne ergo illam carnem, illumque sanguinem peccato originali fuisse infectum? Hoc sanè indignum est vel tantum cogitare. Concludamus itaque filium conceptionis Matris suæ mirificam gessisse curam, carnemque Mariæ & animam ab omni macula præservasse intactam. Nec id mirandum, si enim ut narrant Naturalistæ apes ex innato naturæ suæ instinctu, dum ceram purissimam efformare conantur, pro sublimi Regi suo solio & throno conficiendo pulcherrimum florem eligant; ah quid privilegii & gratiæ in Maria Deum operatum fuisse & quàm puram illam creasse non asseremus, quæ regis æterni gloriosus electus est thronus? Profectò sine macula, sine omni immunditia Maria in mundum prodiit. Unde non minor laus huic sanctissimæ Virgini à benigno filio Jesu decantari potest, quam illa, quam Atticus Pompæus juxta Valerium Maximum jactabundus Matri suæ Juliæ adscripsit, *numquam cum Matre mea in gratiam redii.* Christus enim Dominus cum Maria Matre sua numquam in gratiam rediit, quia numquam inter illum & ipsam, per peccatum originale, aut actuale aliqua extitit inimicitia.

Augustin. *Suarez t. 2. in 3. p. q. 27. a. 1. disp. 1. sect. 2.* *Eusebius hom. 1 in Nat. Christi.* *Damian.*

Narrant naturalistæ animalculum nominatum Ateminium (testibus Plinio & Aristotele), adeò munditiæ & puritatis esse amans, ut, si ante limen speluncæ suæ lutum apponatur, etiam canibus illud insectantibus, prædâ malit remanere, quam per lutum sibi salutis viam sternere, ne eo commaculetur. Unde tritum Ateminio attribuitur Proverbium, *malo mori quam fœdari*; quòd si animal omni ratione expers ex naturali sua inclinatione speluncam lutosam & fœtidam devitet; asseremusne de Christo Domino illum divæ Virginis corpus, quandoque originali iniquitate coinquinatum intrasse? absit. Qui enim corpus Mariæ Virginitatis splendore illuminatum esse decrevit, quia illi novem mensibus immorari debebat, animam Mariæ in qua in æternum habitaturus erat, indubiè ab omnis peccati etiam originalis corruptione immunem præservavit. Audite quàm divinè id ipsum opinetur S. Thomas à Villa Nova aurea hæc in Virginis laudes proferens verba: *Decuit & Matrem Dei esse purissimam, sine labe, sine peccato. Unde non solùm quando puella, quando parvula sanctissima; sed & in utero sanctissima, & in conceptione sanctissima; non enim decebat Sanctuarium Dei, domum sapientiæ, reliquiarium Spiritus sancti, urnam mannæ cælestis, aliquam in se labem habere.*

S. Thom. à Villa-Nova Conc. 1. de Nat. Virg.

Propter

Propter quod antequam anima illa sanctissima infunderetur planè fuit caro illa mundata ab omni fæce & labe, & anima cùm infusa est, nullam habuit ex carne, nec contraxit labem peccati: sicut scriptum est, factus est in pace locus ejus, id est domus divinæ sapientiæ sine omni fomite peccati formata est.

Aug. l. 21. de civit. Dei. S.P.N. Augustinus lib. 21. de civitate Dei attestatur in templo Veneris collocatum fuisse de mandato supremi Deorum Jovis candelabrum, cui insertus erat non minus pretiosus, quàm virtute mirabilis lapis nomine Abeston; qui instat accensi carbonis indeficiens lumen emittebat, atque calorem continuum in sese conservabat. Haud dissimiliter summus ille Jupiter Deus noster in sacrosancto Virginis Mariæ templo, inextinguibilem à primo instanti conceptionis, divinæ gratiæ & charitatis ignem constituit, in cujus figura mandavit Levit. cap. 6. ne ignis umquam deficeret, *ignis autem in altari semper ardebit.* Hinc de ea dicitur illud Cant. *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* *Levit. c. 6. v. 12. Cant. c. 8. v. 6.*

Sed redeamus modò ad cinnamomi proprietates, inter quas præter jam dictas, notatu dignissimam existimo, quod cinnamomum nullis aquarum fluctibus pessum dari queat, sed iis immobilis resistat. Maria verissima cinnamomum est: numquam enim furibundis originalis noxæ undis fuit conquassata, sed divinâ gratiâ præventa, diabolico insultui fortiter obstitit. Pro quo clarius manifestando annotanda est illa, quam dudum ante effectum vaticinatus fuerat Isaias, prophetia: *Ecce ego creo cælos novos, & terram novam*, hanc adimpletam fuisse testatur Joannes Apoc. 21. *Et vidi cælum novum & terram novam*, & mox subjungit: *Et mare jam non est.* Illa, tum Isaiæ, tum Joannis verba non litteraliter, ut cuilibet sapienti patet, sed mysticè sunt intelligenda. Quorum sensum (notato benè τὸ *& mare jam non est*) ut investigemus, planè necessarium est curiosam quæstionem à SS. PP. & sacræ Scripturæ Interpretibus quàmplurimum ventilatam, discutere; nimirum, an tempore Patriarchæ Noe in communi terræ universæ inundatione & diluvio aquæ terrestrem Paradisum attigerint. *Isai. c. 65. v. 17. Apoc. c. 21. v. 1.*

Aug. lib. contra Pelagium & Cælestinũ cap. 23. Alcuinus. Celebertimus author Alcuinus secutus divum Augustinum, respondet negativè, sustinens hunc voluptatis locum omninò fuisse conclusum, & specialiter à defluentibus aquarum undis præservatum, ut apertè patet ex ejus versibus.

Permanet æterno conclusus limite, postquam
Excidit exclusus primævi criminis author.

Cui opinioni subscribit Lactantius Firmianus in carmine de phœnice,

Et cum diluvium mersisset fluctibus orbem,
Deucaleonias exuperavit aquas. *Lactãtius.*

De Paradiso hæc verba dicit: Sed ut major præfatæ quæstionis ostendatur difficultas, operæ pretium est sedulò indagare: an primæ mundi aquæ, quas constat tantum tertio die in mare congregatas Gen. cap. 1. *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum unum.* Paradisum terrestrem inundarint, quem primo die creatum autumant SS. PP. innixi Scripturæ authoritati Gen. 1. *Plantaverat autem Deus Paradisum voluptatis à principio*, ad quod ait Catharinus. *Verissimè enim credimus, ab initio, id est primo die, non tertio, nec secundo, quia nec tertius, nec secundus dies verè fuit initium, fuisse plantatum paradisum.* Unde clarè videretur posse deduci, illum aquis primò creatis fuisse inundatum. Attamen jam citatus author docet planè contrarium dicens: *Non obstat autem aquas tertio die à facie terræ remotas fuisse: aquarum enim Regio Paradisum non attingebat.* Rationem autem cur à Deo isti loco tantum concessum fuerit privilegium, satis difficile est assignare. *Gen. 1. v. 9. Vers. 8. Catharinus in hunc locum Gen.*

Quæ, ut intelligatur, aliæ nonnullæ terrestris hujus paradisi veniunt advertendæ prærogativæ. Etenim non minùs curiosè inquiritur: utrum hic locus divinæ, Adæ peccato commisso, obnoxius extiterit maledictioni, quam terræ impertitus est Deus dicens: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Doctissimus Philaxenus oratione, quam de arbore vitæ conscripsit ad hoc respondet: *Nequaquam subjecta fuit execrationi, atque damnationi; hæc enim in eam tantummodo pronunciata est sententia, quæ extra paradisum est, post violatam ab Adamo legem, ut ab ipsa paradisus maneret immunis: sicut in hunc usque diem quoque immunis liberque est, atque delicatissima & fertilissima arbores in ipso etiam extant.* Addit Tertullianus in paradiso ex arboribus numquam folia decidisse, ut ex his constat versibus: *Gen. ca. 3. v. 18. Philaxen. Tertull. de judicio Domini cap. 8.*

Virentesque gravant uberrima germina ramos;
Nulla cadunt folia, ut nullo flos tempore desit;

Deinde de terra universi dicitur: *Terra autem erat inanis & vacua*, paradisi verò terra electa, quæ locus voluptatis nuncupatur, pulcherrimis & fructiferis arboribus consita erat, juxta Ezechielis vatici- *Gen. c. 1. v. 2.*

Ezech. c. 47. v. 12. vaticinium, *orietur in ripis ejus ex utraque parte, omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo.*

Ad hæc quoque petit D. Damascenus, an in paradiso animalia irrationalia aliquando habitarint? Et respondet his verbis: *Divinus profectò locus paradisus, ac dignus ejus, qui ad imaginem Dei creatus fuerat incolatus, in quo nullum irrationale animal habitabat.* (*Damasc. l. 2. de fide orthodoxa cap. 11.*) Omnia hæc terræ paradisi concessa privilegia mirabilia sanè sunt. Captu autem satis difficile est, ob quam rationem illa terra universale diluvium, atque divinam maledictionem evaserit, in qua protoplastes Adam primum peccatum commisit: ob quod præcipuè videbatur maledicenda, ac diluvio communi expianda atque mundanda.

Plurimi SS. PP. ad hoc diversimodè respondent, quorum opiniones quantumvis non rejiciam, maximè tamen mihi arridet doctissimi S. Scripturæ Interpretis Lyrani opinio docentis, omnibus his prærogativis fuisse paradisum terrestrem dotatum, (*Lyran. in c. 5. Ioan.*) quia in eo una nobilissima crescebat arbor, è qua Christi Domini nostri Crux conficienda erat, quæque spinoso Salvatoris capiti in cervical deservire debebat. Et hujus fundamentum sanè non vituperandum colligit ex ipsius Ecclesiæ cantu; *dulce lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret*, scilicet dum iratus Dominus ob primam Adami prævaricationem, ad vindictam promptus deambularet post meridiem. Et idem innuunt alia illius verba: *Hæc est arbor sanctissima in medio paradisi situata.* Sed quare quæso, tantus huic ligno & arbori à Deo delatus est respectus, ut tot tantisque gaudeat exemptionibus ac privilegiis? Non nisi sanè, quam, quia in ea tribus horis incarnatus Deus quiescere decreverat, & in ea mortem subire.

Ex hoc ad propositum meum denuò argumentum formo à minori ad majus; si omnem divinæ justitiæ vindictam evaserit terrestris paradisi terra ob unam arborem crucis Christi in ea nutritam: nonne potiori jure nos asseveranter sustinebimus, illam terram cælestis paradisi Mariæ, de qua ait Propheta David, (*Psalm.*) *benedixisti Domine terram tuam*, nec peccati originalis delicti spinis punctam, nec universali, ut totum genus humanum hujus noxæ diluvio, illius animam inundatam fuisse. Illam terram, inquam, quæ non arborem nutrivit, in qua tribus horis pendêre debebat Christus, sed ipsummet Deum hominem proprio sanguine pavit, & novem mensibus in virginali suo claustro conclusit. Illam terram, non quæ Salvatori tantùm in redemptionis humani generis instrumentum deservivit: sed è qua verbum divinum carnem & sanguinem sibi assumpsit, ut illum in reconciliationem & pacificationem æterno Patri in ara crucis immolaret. Illam terram, quæ castissimis suis visceribus mundi redemptorem concepit, peperit, & tanta cum diligentia aluit, *sicut primus Adam*, inquit Andreas Apostolus, *formatus fuit è terra, antequam esset maledicta, ita secundus Adam formatus fuit ex Virgine numquam maledicta.* (*Andreas Apostolus in hist. scripta à clericis Achaiæ.*) Quod omninò tali partui congruebat inquit S.P.N. Augustinus: *Quis potuit in ejus anima esse locus vitiorum, quando ad cæli verticem continentis omnia, Domini templum effectum est?*

De hac terra loquitur Isaias & etiam Evangelista Joannes; terra scilicet nova, quæ maledictioni ullius peccati neutiquam subjecta fuit, *& mare non est*, inquit Joannes, id est, hæc diluvio aquarum originalis culpæ obruta non fuit, sed ut vera cinnamomum, quæ cunctis fluctibus resistendi admirabili pollet virtute, sola immota perstitit, nec commune illius peccati diluvium, ad omnes Adæ posteros diffluens, sacrosanctum hunc gratiæ paradisum, Beatam Virginem inquam, ob nimiam ejus celsitudinem, atque divinæ maternitatis dignitatis eminentiam, non tantùm inundare: sed nec minimum attingere potuit. Unde nec immeritò ei illa Davidis verba accommodare licet: *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* (*Psal. 31. v. 6.*)

Alcuinus ad nostrum institutum adhuc duo curiosè indagat; (*Alcuinus q. 1. in Genes.*) primò, quare creator post Adæ maledictum peccatum, terræ maledixit, & non aquis. Secundò, cur in mundi universi, per aquarum diluvium subversione, pisces quoque, ut cætera terræ animantia, communem interitum passi non sint? Scio pro responsione posse adduci, eos in suo centro scilicet aquis remansisse, ideòque aquas iis nocere ullatenus nequisse. At alio modo, magisque proposito nostro congruo ipsemet respondet. *Mare sicut est congregatio aquarum, sic & Maria congregatio gratiarum.* Quia itaque pisces in mari natitabant, quod Mariæ Virginis verissimum hieroglyphicum est, à severa & rigorosa Dei justitia exempti sunt, ob nimium, quem erga genitricem suam Deus benevolentiæ defert affectum ac respectum. Rursus ad primum interrogatum his verbis respondet: *Quia prædestinavit Deus abluere peccatum in aquis, quod de fructu terræ contraxit homo.* Ex hoc sic arguo; si respectu Mariæ pisci-

piscibus pepercerit Deus, ut censet Alcuinus, quis quæso credet illum suam Matrem Mariam in animæ mortem incidere permisisse? Et si aquæ maledictionem evaserint, quia in animæ nostræ salutis (utpote necessaria baptismatis materia) salutare electum erat instrumentum: nonne dicemus Mariam, quæ carnem & sanguinem Christo suppeditavit, quo mediante efficaciter causata est humani generis redemptio, à peccati maledictione indemnem? Certè *quaretur peccatum illius & non invenietur*.

Psal. 10. v. 15.

Iosue c. 3. v. 16.

Josue cap. 3. narratur, quod aquæ Jordanis, transeunte arca, ab una parte declinarit ad mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum, ut David prædixerat Psalm. 113. *Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Iordanis, quia conversus es retrorsum:* Ab alia verò parte, inquit Scriptura, *steterunt aqua descendentes in loco uno & adinstar montis intumescentes apparebant procul.* Pari prorsus modo aquæ originalis noxæ in respectum hujus arcæ Mariæ, de qua cantat Ecclesia: *Fœderis arca.* Cursum naturalem continuerunt, & quamquam Mariam invadendi jus adinvenerint; tamen illam, per hunc conceptionis Jordanem liberam & intactam pertransire passæ sunt, ut illud Davidicum adimpleretur: *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.*

Psal. 113. v. 5.

Psal. 31. v. 6.

Arist. l. 2. Meth.

Aristoteles lib. 2. Meteôrum tradit experientiâ compertum esse, quod si vas quoddam confectum ex cera virginea, & undequaque optimè conclusum, & aquâ marinâ, quæ salsa est repletum, illud procul à se illius amaritudinem & salsedinem depellere. Haud aliter Virgineum Mariæ vas ab omni parte diabolo occlusum, in hujus mundi tempestuosum mare per naturalem ex Adami semine propagationem immissum: omnem peccati amaritudinem à se longè depulit, quia illa vas fuit repletum omni gratiâ: unde ad eam ait Angelus, ave gratiâ plenâ.

De herba, quam Græci Adyanthon appellant, referunt Naturalistæ, eam etiam miro in modo aquis resistere, ut cinnamomum, & illam, quamvis in medio puteorum nascatur, & truncus & radix in aquis consistat, numquam tamen ramos suos ab aqua, quantumvis in altum excrescente attingi permittere; sed sese continuo intumescentibus undis magis & magis super illas elevare. Ita quantumvis radix divæ Virginis, id est, protoplastis Adami progenies, è qua ipsa oritur, originalis culpæ aquis immersa fuerit, venenosæ tamen hujusmodi aquæ Mariam Virginem numquam attigerunt; sed humilitatis, & divinæ gratiæ atque virtutum alis sese elevans, super aquas has caput extulit. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eam non approximabunt.* *Neque etiam*, ut ait Pierius, *Adyanthon brumâ, ut herba reliqua marcessit*, sic Maria numquam in virtute & gratia flaccida aut sicca reddita est? sed semper in instanti etiam conceptionis gratiæ sanctificantis vigore gavisa est. Idem author hanc herbam ab antiquis nominari dicit *saxifragam*, idque ab effectu, quia scilicet virtutem saxa, etiam durissima habet comminuendi, Maria quoque saxeum diaboli caput immaculatæ ejus conceptioni insidiantis valida virtute contrivit.

Pierius l. 58.

Ad hoc quoque quam optimè quadrat curiosa satis doctissimi Oleastri in Rabinorum doctrinam annotatio, sustinentium Adamum non à Deo ob primam prævaricationem, verùm benè Cainum ob secundam fuisse divinæ maledictionis fulmine percussum. Ipse enim indagat rationem tam severæ in Cain punitionis & rigorosæ justitiæ, & tantæ in Adamum clementiæ. Et respondet: *Quia verbum æternum ex Adami semine, non per Cainum, sed per Abelem in mundum proditurum erat.* Indignum enim judicabat Deus, filium suum carnem aliquando maledictam assumere. Nunc argumentor hoc modo; si Adamo non maledixerit Deus, quia post tot etiam generationes intermedias ex ejus carne erat incarnandus: quid? dicemusne nos ipsam Mariam Virginem, cujus carnem immediatè assumpsit, divinæ maledictionis fulmine per peccatum originale fuisse percussam?

Orig. in c. 4. Gen.

Concludo hunc discursum cum uno argumento ex magno illo Doctore S. P. N. Augustino, è quo evidenter patebit, Mariam Virginem Dei genitricem verissimam fuisse cinnamomum à fulmine, à maledictione ac à diluvio peccati originalis immunem. Hic contra Julianum probat, Christum Dominum nostrum peccato originali non fuisse obnoxium. Ex eò, quòd in decursu vitæ suæ nullum unquam peccatum commiserit: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus*, ait Scriptura. *Hoc omninò verissimum*, inquit S. P. N. Augustinus, *profectò enim peccatum major fecisset, si parvus habuisset.* Hoc inquam assumo Augustini contra Julianum argumentum in Mariæ, contra immaculatæ ipsius Conceptionis hostes defensionem; hoc omninò verissimum est, profectò enim peccatum etiam major fecisset

Aug. contra Julianum l. 5. cap. 39.

1. Petri c. 2. v. 22.

Maria, ſi parva habuiſſet; atqui certiſſimum eſt ſecundùm eundem, ut ſatis declarat his verbis: *Cum de peccatis agitur, nullam de ea ſcilicet Virgine Maria volo habere quæſtionem*, Mariam nullum peccatum, nequidem veniale perpetraſſe, quod & Concilium Tridentinum confirmat: *Si quis dixerit hominem poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi de ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de diva Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Huic doctrinæ conſonat Richardus dicens: *Ab utero egreſſa nec mortale umquam, nec veniale commiſit peccatum, & ante conceptionem quidem filii, priùs per gratiam cuſtodita eſt à peccatis; poſt hanc verò, confirmata eſt ex virtute altiſſimi, ut peccatum omninò committere non potuerit.* Et Tridentinum de Mariæ Conceptione loquens, rurſus hanc veritatem ſtabilit ſeſſ. 5. de decreto peccati originalis. *Declarat tamen hæc ſancta Synodus; non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Mariam Virginem Dei genitricem.* Itaque optimè cum Auguſtino concludere poſſumus, ergo, quia Maria actuale peccatum major non fecit, originale minor non habuit. *Quæretur* itaque ô Maria! ab hoſtibus *tuis peccatum & invenietur.* Fac etiam ô Domina, quæ ſpeculum es ſine ulla macula, cujus omnes ſemitæ pacificæ ſunt & mundæ à peccato, ut tu, quæ, ut vera cinnamomum aromatizans omnium virtutum odorem dediſti, nobis hanc gratiam concedas, ut poſſimus conformes fieri imagini tuæ & puri rectique apparere in oculis Domini filii tui, quatenus, quantùmvis in nobis peccatum à dæmone quæratur, tamen non inveniatur. Fac ô pia Domina! ut pro meritis immaculatæ Conceptionis tuæ baptiſmi fonte in parvulis originale, in nobis adultis omne actuale mortale vi Sacramentalis pœnitentiæ moriatur, ut ſic tandem tecum in æternum regnare valeamus.

Concilium Trid. c. 16. ſeſſ. 6. can. 23.

Rich. in c. 6. Cant.

Seſſ. 5. de decreto orig. peccati.

CONCIO DUODECIMA.

THEMA.

Sicut exaltati ſunt cœli à terra, ita exaltantur viæ meæ à viis veſtris. **Iſaiæ cap. 55.**

ARGUMENTUM.

Immaculata Mariæ Virginis Conceptio ſub diverſis aliis metaphoris prolixiùs examinatur & confirmatur.

Elianus l. de variis Hiſt.

CElebertimus ille Hiſtoriographus Elianus lib. de variis Hiſtoriis, pulcherrimam quamdam de certa filia Ægyptiaca nomine Rhodope commemorat, quæ tanta pollebat faciei ac vultus venuſtate, ut omnes totius Ægypti puellas longo intervallo ſuperaret. Hæc juxta aquas fluminis Nili ſuper adjacentia prata lintea ſua expandens, ut radiorum ſolarium beneficio albeſcerent, calceamenta ſua, ne fortè aliquibus ſordibus fœdarentur, pedibus exuit. Cumque jam linteis aquâ aſpergendis eſſet intenta, intuita eſt aquilam magnam deſcendentem de ſuprema aëris regione fermè uſque ad terram, quæ ſæpè ſæpiùs expoſita lintea circumvolitans, tandem unum è calceis Rhodopen roſtro ſuo rapuit, & mox acceptâ prædâ, ſeſe rurſus alis ſuis in aërem elevans, celerrimo volatu lætabunda in Memphim avolavit; & illum in ſinum Regis Pſalmerici juſtitiæ tribunali tum præſidentis, cadere permiſit. E cujus aſpectu tanto amore erga illam filiam, quæ hoc calceo uſa erat, inflammatus eſt Pſalmericus, ut illam quocumque terrarum inquiri mandaverit. Tandem magnâ curâ adhibitâ, in civitate Pelo-

ponenſi

ponensi pulcherrima filia Rhodopen, calcei hujus Domina, reperta est, simulque ad Regium thalamum electa.

Ah quam concinnè profana hæc de Rhodope immaculatæ Mariæ Virginis Conceptioni quadrat historia. Etenim Spiritus sanctus desiderans in sponsam suam, & verbi Matrem eligere quamdam Virginem, Mariam præ cæteris dilectam, ad hanc dignitatem, atque ad hæc divina sponsalitia assumpsit; idque, quia omnes viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ. Et sicut cœli super terram exaltati sunt, ita viæ illius elevatæ sunt à viis nostris; quod præfiguratum censet S. Bonaventura in generosa Judith. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus.* Hujus enim Virginis Mariæ, ab æterno in mente divina destinatæ, non ex merito, sed ex pura, & mera gratia, specialis prærogativæ, scilicet gratiæ sanctificantis in primo Conceptionis instanti amans Verbum æterni patris, tamque insolitam ad hanc ingressus ex Adæ stirpe hujus creaturæ pulchritudinem admiratus exclamat: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* Quem locum Symmachus ex Hebræo sic traducit: *Quam pulchri sunt primi gressus tui*, hoc est, quam nitidi in tua, ô Maria! in Annæ Matris utero Conceptione, præ cæteris Adami filiis sunt tui progressus. Sanè jure meritò tibi illud Isaiæ potes appropriare elogium: *Sicut exaltati sunt cœli à terra, &c.* Quod jam, ad firmius stabiliendam immaculatam Dei genitricis Conceptionem, priùs rogato Spiritus sancti per Mariam auxilio, probabo.

Bonav. in Spec. Virg. Iudith c. 16. v. 11.

Cant. c. 7. v. 1.

Sicut exaltati sunt cæli à terra, ita exaltantur viæ meæ à viis vestris.

QUandoquidem nobis de memorata specialiter Mariæ Virgini concessa sine peccato originali conceptæ prærogativa in præsenti sermo sit, assumpserimque pro hujus discursus objecto demonstrare, quàm mirabiliter Dei genitricis viæ exaltatæ sint super cæterorum, ex Adami progenie naturali propagine progenitorum vias, non incongruum duxi de illa sub montis metaphora parumper disserere. Hæc enim quàm optimè illam, quam de excelsa immaculatæ Virginis Conceptionis via, instituimus quæstionem, dilucidat. Mariæ verò montis metaphoram aptissimè convenire, non tantum SS. PP. ut Gregorius, Damascenus, &c. Verùm etiam sacræ apertè attestantur litteræ. De ea loquitur Propheta Isaias: *Erit mons in vertice montium:* Et Abacuc: *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Et Michæas: *Et in novissimis dierum erit præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & sublimis super omnes colles.* In quæ verba Divus Gregorius ait: *An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem verbi æterni pertingeret, meritorum verticem super omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexit?* Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias prædicens ait, *& erit in novissimis diebus præparatus mons &c.* Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit. Et Damascenus idipsum confirmat: *Clarissimus mons Maria Virgo, qui omnem collem, ac montem, id est, Angelorum, ac hominum sublimitatem exsuperat.*

Isai. c. 2. vers. 2. Abacuc c. 3. vers. 3. Mich. c. 4. vers. 1. Greg. in lib. 1. Reg. cap. 1.

Damasc. orat. 1. de Nat.

Hoc jam fundamento supposito, reliquum est, ut ad montes quosdam in sublimitate atque celsitudine cæteros mundi colles superantes ascendamus (omnes enim transcurrere temporis angustia non patitur) & ut illorum proprietates, essentiam, ac naturam succinctè investigemus. Primus ecce omnium sese offert celebris ille mons in Æthiopia situs, cujus meminit Majolus in suis Caniculatibus. Hunc asserit adeò altum esse, ut acutissimorum oculorum aciem ejus vertex fugiat; Maria Virgo profectò persimilis huic monti, ita in altitudinem virtutum, atque sublimitatem perfectionum excrevit, ut perspicacissimi doctissimorum virorum, imò & SS. PP. oculi, eam attingere nequeant. Mons hic, teste eodem, radices arborum per terram diffundi non patitur, sed omne incrementum versus cœlum emittit: sic Maria radices affectionum suarum in animo temporalium divitiarum scilicet, ac mundanarum deliciarum ac voluptatum minimè radicare sinit: imò nullatenus admisit, sed totaliter à mundo abstracta, sola cœlestia cogitabat, totaque Dei filii sui amore æstuans, ipsi soli indissolubiliter adhærebat, ut rectè annotat Divus Hieronymus: *Totam Mariam ita incanduerat divinus amor, ut in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus.*

Majolus in suis canicularibus.

Hier. serm. de Assump.

Deinde adjicit præfatus author, montem hunc undequaque amœnis arboribus consitum, odoriferisque herbis refertum, ac tot, & tantis deliciis affluentem esse, ut cacumen ejus, de regio mandato Æthiopiæ Regis filii educationi locus sit asservatus. Quem Elianus Æthiopes communi consen-

consensu ad hoc aptissimum esse judicatum; quia ille nullius prorsus venenosi animalis patitur accessum. Quod si gentiles in respectum sui Regis pro filii Regii enutritione locum constituerint ab omni veneno immunem: quis umquam cogitabit Patrem æternum pro filii unigeniti sui, ad tot menses contubernio, atque habitaculo, & pro tanto tempore educationis illius adjuvamine elegisse penetralia Mariæ Virginis, quandoque pestifero originalis peccati veneno infecta? hoc à veritate prorsus esse alienum clarissimè patet ex illo Davidis 45. *Sanctificavit tabernaculum suum altissimus.* Quis enim dicit sapientem architectum sibi domum, quam omni planè errore liberam ædificare potest, vitiatam studio erigere? pulcherrimam domum hanc Mariam supremus cæli, & terræ architectus potentissimus, simul atque sapientissimus sibi construxit, ut ipsamet Virgo per Ecclesiasticum testatur. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo,* & David Psalm. 86. *Ipse fundavit eam altissimus.* Iraque indubiè concludendum est, Deum matrem suam ab omni peccati macula efformasse immunem.

Ps.45.v.5.
Eccl.c.24. vers.21.
Ps.86.v.5.

Numquã annotastis, auditores id, quod contigit in Christi Domini nostri morte? *Monumenta,* inquit Matthæus, *aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant surrexerunt.* Sanctos hos fuisse Patriarchas, Isaac, Jacob & Joseph, imò & protoplastem Adamum autumant quam plurimi Sacræ Scripturæ Interpretes, qui quasi ex debita ergo suum creatorem, & Salvatorem reverentia, Christi Domini mortui corpori proprium tumulum, ut tam pretiosum thesaurum in eo susciperent, officiosè obtulerunt. Sed peto cur Christus horum sanctorum patrum desiderio noluerit satisfacere? Et cur corpus suum in alicujus Patriarchæ sepulchro inhumari non permiserit? sed ad hoc Josephi ab Aromathia tumulum elegerit? Ratio hujus mihi videtur satis evidens: quia antea omnia Patriarcharum sepulchra incineritorum cadaverum fætore fuerant infecta, indignum fore judicabat Dominus, quod illud sanctissimum corpus, quod adhuc divinitati remanebat hypostaticè unitum, in loco, per tridui spatium, minimâ spurcitiâ & immunditiâ quandoque polluto, requiesceret. Hinc signanter Spiritus sanctus per Evangelistam Matthæum Dominici sepulchri exprimit nitorem & puritatem, *& posuit corpus Christi,* scilicet Joseph, *in monumento novo, quod exciderat in petra;* indicans per hoc, Christi tumulum ab omni immunditia atque fætore planè fuisse immunem. Et ne quispiam forsitan objiceret, simul posse consistere monumentum esse novum, & tamen cujusdam cadaveris in eo sepulti fætido odore coinquinatum, S. Lucas ait: *Et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.*

Matth.c.27.v.52.
Matth.c.27.v.60.
Luc.c.23. vers.53.

Ex hoc modò sic argumentor; si divinam majestatem dedecuerit, ut mortuum Christi corpus essentiæ quidem divinæ per unionem hypostaticam realiter copulatum, sed animâ privatum, in monumento minimo fætore, ac immunditia umquam infecto, tantillo tempore recumberet, & ad hoc inhumandum eligi debuerit monumentum novum, mundum, purum, & in quo nondum quisquam positus fuerat; credemusnè nos verbum divinum vivæ humanitati mirabili nexu conjunctum, in matris suæ utero, tamquam in domicilio, pestifero originalis peccati fætore perfuso, & quandoque ab ipsomet diabolo possesso, novem mensibus delituisse? Certè saltem in meam mentem tam impia incidere non potest cogitatio: Maria enim, ut de ea vaticinatus est Propheta David Psal. 67. *Præparatus est mons Dei mons pinguis, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem,* scilicet per inhabitantem Spiritus sancti gratiam justificantem. Et sanè Maria est mons Domini, quia adinstar altissimi Æthiopiæ montis, qui nulli venenoso animali locum nidificandi concedit, sed illud suavi quadam arborum, atque odoriferarum herbarum fragrantiâ procul depellit; pestiferam illam bestiam, dæmonem inquam, ad sanctissimum animæ suæ nidum minimè admisit, verùm longè à se abegit. Et ideò hic mons Maria dignissimus à Sanctissima Trinitate æstimatus est, in quo summi Regis filius Christus Dominus enutriretur.

Psal.67. vers.16.

Hoc argumentum quam plurimùm mihi videntur stabilire nuptiæ Regiæ in monte Bracciane factæ & celebratæ inter Alexandrum Magnum & sponsam Roseanam. Alexander enim suavi Aromaticarum arborum odore attractus, & varia tum florum, tum herbarum, quibus mons iste erat refertus, fragrantiâ delectatus, nuptialem cænam (quæ pro matrimoniali apud gentiles contractu reputabatur) in illo celebrare voluit, ut refert famosus Historicus Strabo. *Fuit ibi,* inquit, *splendidè Regio more epulatus, ductâ in uxorem Rosianâ Osiartis filia;* non dissimili modo supremus ille Alexander Patris æterni unicus filius mirifico virtutum odore ad excelsum hunc montem, Mariam Virginem allectus, in ejus Sacro-sancto

Strabo l. 11. de variis rebus.

utero

utero divinas inter naturam humanam & divinam nuptias mediante unione hypostatica toti mundo utilissimas celebravit. Quod & ipsa sponsa Maria confitetur dicens: *Nardus mea dedit odorem suavitatis.* Quis itaque sibi persuadebit nardi hujus odorem à sacratissimo hoc monte peccati originalis fœtorem procul non depulisse? Fœtor enim & odor optimus simul consistere nequeunt.

Cant.

Modò mons Olympus occurrit, de quo Solinus dicit, eum nullâ tempestate, quantumcumque violenta, nullo ventorum vehementi flatu concuti. Hinc plurimi antiqui scriptores sustinent, supremum Deorum Jovem idololatris suis demandasse, ut in vertice hujus montis aram cultui suo dedicatam exstruerent. Quo innuere volebat, Deum quam maximè decere quietis locum, qui à nullo interturbaretur. Maria Virgo mons est Olympus ab omni tempestate concupiscentiæ, & pravarum inclinationum liberrimus, illa mons est, qui numquam urentem peccati originalis flatum sentivit, quia ut de Olympo canit Poëta Lucianus lib. 2. *Nubes excedit Olympus:* Sic etiam Maria nubes, per quas Angelicos spiritus acutè intelligit Rupertus: juxtà illud Isaiæ: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Longo intervallo superat & ipsi quoque rectè ethymologia τὸ Olympi congruit, quod Interpretatur *totus fulgens.* Ut ex præcedentibus discursibus facilè colligi potest. Imò, ut fabulantur Poëtæ, mons Olympi tam propter eximiam illius celsitudinem, quàm admirabilem pulchritudinem, cælum Deorum habebatur, juxtà illud Poëtæ:

Rup. l. 1. de justitia Dei c. 10. Isai. c. 60. vers. 8.

Venit Olympum ubi sedes inconcussa Deorum
Dicitur esse &c.

Maria rursus Olympus, sedes & cælum est supremi veri Dei Verbi æterni, ut ex dicendis latiùs patebit. Sed, nec tantum Verbi, verum totius nobile Sanctissimæ Trinitatis triclinium; quia in hac puella tres divinæ personæ speciali ratione requieverunt. Pater donans illi unigenitum filium, Verbum in ejus Sacro sancto utero carnem assumens, Spiritus sanctus eam Virginem manentem fæcundans. Potest itaque jure meritò gloriari Maria, *sicut exaltati sunt cæli à terra, ita exaltantur viæ meæ à viis vestris.*

Celebris quoque mons est apud SS. PP. Sinai, plurimis prærogativis à Deo cohonestatus; quarum duas tantum, cæteris omissis ne nimis prolixus sim, unico verbo attingam, scilicet magni montem hunc fuisse æstimatum, quia in eo Israëlitici populi duci Moysi Deus ipse apparuit, ut ait Josephus, & quasi compatiens afflictioni populi sui, & durissimæ Pharaonis servituti, genti electæ in illo pristinam libertatem promisit. Sanè Maria aptissimè nuncupari potest mons Sinai; Verbum enim è cælesti throno & Patris sinu in excelsum hunc montem Mariam descendens, & ex purissimo illius sanguine carnem humanam induens, reipsâ totum genus humanum è tyrannica diaboli captivitate eripuit. Sed, quod modò ad præsens institutum attinet; estque de monte Sinai consideratione dignum, est, quod mons hic adeò à divina majestate censeretur sanctificatus, ut expresè filiis Israel in eum ascensum, illiusque & tactum, imò ad ejus approximationem sub pœna mortis vetuerit Exodi cap. 19. *Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis enim qui tetigerit montem, morte morietur.* Quod si tantam reverentiam, & respectum Deus olim monti Sinai exhibuerit, quia in illo coram plebe sub nube apparere voluerit; quem quæso honorem & venerationem non detulit genitrici suæ Mariæ, per quam carne humana vestitus palam mundo visibilis exponi debebat? Quisve negabit ad cunctos totius inferni malignos spiritus verbum æternum exclamasse, sanctificationi genitricis suæ intentum; *cavete ne ascendatis montem hunc Mariam,* illiusque animam lethali originalis noxæ veneno inficiatis: ipsa enim est mons Dei electus ex millibus, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

Josephus.

Exod. c. 19. vers. 12.

De monte quodam nomine Monacho narrat Olaus, eum esse omnium miserorum asylum, tantæque altitudinis, ut in mari navigantibus rectissimum de longè ostentet iter. *Eum natura,* inquit, *excelsum fecit, ut à navigantibus & in tempestatis tempore periclitantibus conspiciatur.* Huic quoque sicut & monti Libano ea attribuitur virtus & efficacia, quòd muscas, cæteraque animalcula ex putridi materia provenientia, à se depellat. Talis est profectò Maria mons tutum omnium afflictorum asylum, certæ securitatis locus ad quem omnibus, quantumcumque etiam sceleratis, patet accessus, simul ac solatium. *Nihil austerum,* inquit S. Bernard. *in Virgine, nil terribile, tota suavis est, omnibus misericordiæ sinum aperit.* Hinc Diva Virgo à Propheta Abacuc austro assimilatur: *Deus ab austro veniet.* De quo vento tractans S. Hie-

Olaus l. 2. c. 5.

Bern. ser. super Apoc.

Abacuc c. 3. vers. 3.

Hieron. S. Hieronym. ait, *auster est pincerna pluviarum: quando enim perflat, pluviam mittit, tellurem humectat, herbas nutrit, arbores fovet, & totam terræ planitiem virore decorat.* Procul dubio Maria auster, & omnis gratiæ pincerna est, ut infrà dicemus; totum mundum cælesti misericordiæ suæ rore aspergens, & recreans. Sed quod ei quoque hæc prædictorum montium quadret proprietas, scilicet quod ex putredine oriunda animalcula fuget, non minus constat; ego enim audacter assero Sacro-sanctum hunc montem, non tantum pestiferum peccati originalis venenum non infecisse: verùm etiam nec ulla alia peccata, quæ per vilia illa animalcula, neque etiam minima venialia, quæ per muscas intelliguntur, ei inhabitasse. Sicut enim exaltati sunt cæli à terra, ita exaltatæ sunt viæ Mariæ à viis aliorum hominum.

De hoc speciali præ cæteris collato beneficio immensas Salvatori suo referens gratias ait Sapiens: *Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te*
Eccl. 51. v. 15. *Deum Salvatorem meum*, & rationem subnectit,
vers. 4. *quoniam adjutor factus es mihi , & liberasti me à*
vers. 5. *rugientibus præparatis ad escam, & de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me.* Et ad hujus Virginis immaculatam Conceptionem alludens Spiritus sanctus per Davidem ait: *Ædificavit sicut unicornium*
Psal. 77. vers. 69. *sanctificium suum*, non abs re enim, & absque magno mysterio Christum Dominum nostrum unicorni comparat. Etenim animal hoc à natura hanc sibi inditam habet proprietatem, ut docent naturalistæ, quod nullum aliud animal ad nidum suum admittat: sic Verbum Patris ad electum sibi nidum, id est Mariæ Matris suæ uterum, in quo igne & calore charitatis fovêre & excludere debebat Ecclesiam, numquam à dæmone per peccatum originale possideri permisit. Et sicut illud ea virtute præditum est, quod cornu suo contingens fontem lethali veneno infectum, omnem veneficam qualitatem ex aqua extrahat: ita & Christus Dominus cornu omnipotentiæ suæ culpam originalem, instar virus, fontem humanæ prosapiæ inficientem, per merita pretiosi sanguinis sui abstergit. At id longè mirabilius & perfectius Mariæ genitrici suæ, quàm cæteris hominibus præstitit; hos enim veneno peccati hujus intoxicatos, spirituali regenerationis lavacro sanat; illam verò, ne eo umquam inficeretur, potenter præservavit, juxtà illud Davidicum: *Prævenisti eam in*
Psalm. 20. vers. 4. *benedictionibus dulcedinis.* Nec hoc Mariæ collatum beneficium quemquam in stuporem trahere debet: illud enim quam maximè tantam matrem decebat. Unde S. Bernardus ait: *Factor hominum,*
Bern. hom. 2. super missus. *ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit eligere, imo condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram. Quis enim non perhorrescat dicere, decuisse matrem originali maculâ fuisse inquinatam, aut Deo placitum iri matrem sumere, quondam peccati turpitudine fœdatam?* Et serm. 2. de Assumpt. hoc idem confirmat dicens: *Absit, ut quidquam inquinamenti*
Serm. 2. de Assumpt. *domus hæc habuisse dicatur. Ut ea quoque scopâ Lazari quæreretur.*

Suprà, Mariam Virginem avi Alcyoni, vel ut alii malunt Alcedoni, perquam appositè comparavimus: nunc autem, nec incongruè, ad firmius stabiliendam præsentem de immaculata hujus Virginis Conceptione veritatem, eam Alcyonis nido assimilabimus. Hunc ab ave illa in figura circulari & rotunda exstrui scribit Elianus, *leviter*
Elianus in lib. 1. de Hist. animal. *in figuram*, inquit, *rotundam nidum exstruit*, hæc sanè figura undequaque clausa, virginali Mariæ Virginis claustro, in quo nidificavit Spiritus sanctus, verbumque fovit incarnatum, aptè quadrat: figura enim circularis teste Virgilio, *in epigrammate de bono viro* apud veteres semper munditiæ extitit symbolum, cujus rationem reddebant, quia illa angulis caret, in quibus sordes facile delitescere solent. Insuper figura circularis (si perfectè sphærica sit, hâc gaudet proprietate, quod in idem punctum, à quo incipit, desinat & finiat. Ex quo magnum detegitur, inter Mariam Virginem & alios homines, etiam in sanctitate maximè eminentes discrimen: etenim in illis non idem principium & finis, quia non incipiunt ab eo, in quo finiunt, in gratiam enim desinunt, & tamen in primo instanti suæ conceptionis à peccato originali incipiunt; juxta illud Da-
Psal. 70. vers. 7. vidis: *In peccatis concepit me mater mea.* At Maria nidus perfectè circularis, adinstar Alcyonis incepit in gratia, & in gratia finivit, ita ut propriè idem punctum mystici hujus circuli principium sit, ejusque finis. Rursus hoc dictum confirmat alia, quam hic Elianus de hoc nido adfert proprietas; *neque per ipsum nidum*, inquit, *quidquam ex mari, (quamvis maximè illi vicinus ab ave hac exstruatur) influere potest , illud enim speciale habet nidus hujus avis, quod inter medios aquarum gurgites, neque unica salsi maris gutta in eum subintret.* Talis est Diva Virgo: hunc enim matris suæ nidum cum Deus inter amaras hujus sæculi fluentes aquas, & com-

mune

muni propagationis modo ex Adami semine construxisset, eo artificio illum perfecit, ut neque originalis culpæ amaritudo; imò nec unica levissima peccati venialis guttula in eum cecidetit. *Per ipsam sanctificationem*, inquit S. Antoninus, *ita fuit confirmata in gratia, & charitate, quod posteà peccare non potuerit etiam venialiter.*

S. Antoninus 4.p.t. 15.ca.44. §.9.

Deinde idem author loco citato de Alcyonis nido pulcherrimam aliam addit proprietatem, quæ Mariæ Virginis immaculatam Conceptionem mirificè commendat. *Os nidi*, inquit, *non planè conspicuum & in ascensum directum solam illam avem recipere potest.* Sanè hunc nidum, Mariæ Virginale scilicet claustrum nullus umquam ingressus est, nisi divina unica illa avis Alcyon vergessus est, bum Incarnatum juxtà Ezech. vaticinium: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Qui Scripturæ locus, quamvis dilucidè intemeratam Mariæ Virginis demonstret Virginitatem, non minus tamen immaculatam ejusdem Conceptionem; ex eo enim legitima hæc sequitur consequentia: ergo diabolus hunc nidum numquam possedit, nec ei umquam ad sanctissimam portam animæ Mariæ aditus est permissus. Quoniam ut ait Psalmista: *Confortavit seras portarum tuarum.* Quod & clarè iterum ex aliis, quæ statim de nido Alcyonis Elianus addit, stabilitur. Ait enim hunc tanta pollère fortitudine, ut neque ferro à quopiam possit demoliri: *Vt nec ferro*, inquit, *dissecetur*: sic nec contrà Sacro-sanctum Christi nidum Mariam quidquam valuit diabolus, nec illum umquam impio originalis noxæ ferro destruere potuit.

Ezech. ca. 44. v. 2.

Psal. 147. vers. 13.

Totam præfatam de immaculata Virginis Conceptione veritatem pulcherrimè comprobat Job cap. 3. ipse enim mirabiliter hic diem ortus sui execratur dicens: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est: conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.* Et vers. 7. ait: *Sit nox illa solitaria, nec laude digna.* Non ignoro hanc Jobi nativitatis suæ detestationem quosdam non dico hæreticos, sed hujus sæculi depravatos catholicos calumniari, illumque accusare de impatientiæ crimine, non obstante infallibili de ipsius sanctitate Spiritus sancti testimonio: *in omnibus his non peccavit Iob labiis suis, neque stultum quid contrà Deum locutus est*, Super præfata verba Angelicus Doctor D. Thomas sese reflectens, Prophetam ait peccatum originale, in quo conceptus, & natus erat, fuisse detestatum: *Maledixit*, inquit, *Iob diei isti propter culpam originalem, quam nascendo contraxit.* Mirum itaque non dicit, cum istius noctis infælicitatem commemorat, *noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec computetur in mensibus.* Sed mihi sanè mirùm videtur cur nocti (insistendo huic interpretationi) maledicat, in qua conceptus est homo, & non fæmina? ne verò quis arbitraretur per τὸ *homo*, utrumque sexum, tam virilem, quam fæmineum comprehendi, textum Græcum consulat, in quo leget loco τὸ *homo*, *in qua natus est masculus.* An forsitan fæminæ originali maculæ quoque non sunt obnoxiæ? de contrario non est qui dubitet, *omnes enim*, inquit Apostolus, *in Adam peccaverunt & egent gloria Dei.* Quare itaque non earum maledicit ortui? Symmachus acutè respondet ad præsens dubium: *Hæc autem mysteria Iobus tamquam Propheta eloquitur.* Verùm de quo mysterio tractat hic Job? Sanè, non nisi de immaculata Mariæ Virginis Conceptione; ac si diceret: pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo; quia numquam homo purus sine hac originali macula, ex naturali Adami progenie descendens, in mundum hunc ingredietur: sed unicam è millibus electam prophetico spiritu intueor fæminam, scilicet Dei genitricem, quæ ab hac macula erit immunis. Deus enim omnipotens eam specialiter præveniet in benedictionibus gratiæ suæ sanctificantis, hinc fæminæ ortui maledicere neutiquam fas est.

Iob cap. 3. v. 3. & 4.

Thom. q. 76. 2. 2.

Iob v. 6.

Epist. ad Rom. c. 3. vers. 23.

Symmach.

Illud mirabiliter & efficaciter confirmant ea, quæ vers. 9. idem Propheta profert verba, *exspectet lucem, & non videat nec ortum surgentis auroræ.* Per lucem autem hic D. Thomas intelligit Christum, sive animam Christi, quæ sub densissima nocte, & horrendis peccati originalis tenebris visa non est. Per auroram verò Mariam Christi genitricem, quæ ex particulari gratia filii sui gavisa est privilegio. Quod quamvis plurimi Thomistæ de Nativitate Virginis D. Thomam dicere sustineant: aliter tamen, & admodum piè sentit Bernard. inquiens: *Exspectet lucem. & non videat, id est Christum, nec ortum surgentis auroræ, id est Virginis gloriosæ in conceptione, quam ille non vidit, qui videt omne sublime diabolus*, quod ut ait Damianus indicat Job, *exspectet & non videat &c.* Maria

D. Tho. 3. p. q. 27.

Bern. de Bustis p. 9. marialis serm. 2.

Damian.

ria ergo verissima aurora, ita in mundum ingressa est, ut illius ortum infernalis hostis non viderit, sed præventus luce divinæ gratiæ in inferni tenebris delituerit.

Imò ex his verbis deducunt SS. PP. diabolum insidiatorem tempore Conceptionis Mariæ Virginis non adfuisse, sed in inferno per divinum decretum detentum fuisse; *exspectet lucem*. Per lucem quoque S. Gregorius intelligit Christum, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, per noctem diabolum, per auroram Mariam; ipse itaque est, qui non vidit, nec lucis Christi, nec auroræ Mariæ surgentis ortum. Nec id adeò mirum, quia dum Spiritus sanctus ex totius Trinitatis commissione Mariæ Virginis Conceptioni invigilabat, omnes malignos spiritus in damnationis suæ locum detrudi curavit, juxtà illud Apoc. *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis*; ubi per infernum & mortem S. P. N. Augustinus intelligit dæmones. Sed hoc supposito pro vero, rogo, cur citius ad barathrum proprium eorum habitaculum ire compulsi non sunt? ratio hujus quàm optimè elucet ex initio cap. 21. *Et vidi cælum novum, & terram novam*, id est, Mariam Virginem verbi divini cælum, & novam terram, nulli prorsus maledictioni obnoxiam, & tunc missi sunt in stagnum ignis. Sed quo fine? Ut non videant nec ortum surgentis auroræ, id est, hujus Virginis Conceptionis initium.

S. Gregor. — *Apoc. c. 20 vers. 14.* — *S. August.* — *c. 21. v. 1.*

Hæc eadem veritas nonnihil sub metaphora sumptuosi ac magnifici illius Salomonis templi potest comprobari? quandoquidem Maria non tantum ipsius Verbi, sed totius Sanctissimæ Trinitatis electum sit templum. E cujus proprietatibus & prærogativis immaculatam Mariæ Virginis Conceptionem, quàm brevissimè lubet eruere. In pretioso hoc Salomonis templo tantâ arte, tantaque industriâ exstructo, adeò sibi complacuit Deus, ut Scriptura dicat, eum illum locum quasi pro centro suo selegisse 2. Paralip. *Elegi enim & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Sanè Salomonis Templum est Maria: in illa enim Verbum, tamquam in centro requievit; ideòque & quasi invitum à sacratissimo illius utero fuisse avulsum assero, ut testatur David in persona illius dicens: *Extraxisti me de ventre Matris meæ.* Hoc templum tantum adamavit Spiritus sanctus, ut illud elegerit & sanctificaverit; in eoque permanserit cunctis diebus per gratiam sanctificantem, scilicet à primo conceptionis instanti usque ad ultimum terminum vitæ. De hoc insuper narrat Josephus, Salomonem tantam hujus templi extructionis curam gessisse, ut pro ejus structura totius universi peritissimi conquisiti sint artifices, ne quidquam pulchritudinis ac decoris ei deesset: & ne forsitan per architectorum imperitiam defectus aliquis irreperet. Maria templum est Sanctissimæ Trinitatis, non hujus, id est communis ut dixi creationis, non ab artifice creato, qui falli, & fallere potest, sed ab increato productum, cujus sapientia est infinita. Dicemusnè ergo, quod isti templo aliquid pulchritudinis, & venustatis defuerit in illo primo instanti, quo è opificis sui manibus prodiit? ausine erimus affirmare aliquem enormem defectum in Mariæ animam irrepsisse? Absit. Hoc enim indignum est vel cogitare.

2. Paral. 7. — *Psalm. 21. vers. 19.* — *Josephus de antiq.*

Salomonem pro fundamento hujus templi unionem pretiosissimum jecisse asserunt Hebræi, ut tam pretiosum fundamentum tam præclaro ac sumptuoso corresponderet ædificio: Quis ergo dicet, sapientissimum illum Salomonem Deum, pro fundamento sanctissimi filii unigeniti templi fundamentalem, ac pretiosum gratiæ sanctificantis lapidem in primo conceptionis instanti, ut initium vitæ fini foret conforme, non jecisse: *quis umquam de architecto audivit*, inquit S. Cyprianus, *quod sibi ipsi templum construxerit, & in eo habitare prohibitus sit propter inimicum?*

S. Cyprian.

De infestissimo Israëlitarum hoste, Rege Assyriorum narrat Scriptura, quod, dum ille omni vi, & impetu expugnare tentaret Jerusalem, pulcherrimamque hanc civitatem à Deo electam funditus diruere minaretur: Deus ipse tutelam illius in se contrà potentem inimicum assumpserit. Ut patet ex his verbis Reg. 4. *Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.* Haud aliter Deus Mariam Virginem electam urbem suam, verbis iniquissimi Assyriorum Regis, dæmonis inquam, prosternandam potenter protexit; hic enim malignam illam sagittam è inquinatæ stirpis Adami arcu, id est, infecta carne (peccatum originale dico) in hanc urbem Dei, in animam inquam Mariæ, immittere numquam valuit. Strenuus enim nimium iste aderat propugnator Pater æternus, gloriæ invigilans propriæ: *Propter se*, & etiam filii studens dignitati: *Propter David*, id est propter Christum, indignum scilicet judicans, quod tanti patris, tantique

4. Reg. c. 19. v. 32.

filii

filii electa sponsa, & genitrix exitiali alicujus noxæ sagitta transfigeretur. Unde ad hanc mysticam civitatem alludens Propheta Ezechiel ait: *Nomen civitatis ex illa die.* Verùm cur ex illa die civitas? civitas non adeò facile vi, & impetu, sed stratagemate, vel astu (ut bello assueti apprimè norunt) intercipitur: idque ob varia ejus propugnacula, ac munitiones: è contrà verò pagus iisdem carens. Maria civitas est ex illa die, id est, ab æterno in divina idæa electa, & prædestinata Dei genitrix, undique contrà diaboli insultum præmunita, sed quomodo? *Dominus ibidem* ait Ezech. & hoc sufficit, si enim ibi Dominus, ubi diabolus? impossibile namque est, ut eodem tempore in anima aliqua commoretur Deus, & diabolus, ut rectè probat doctissimus Abulensis in cap. 2. Matth. ex mirabili portento, quod contigit in Ægypto: scilicet, quòd divâ Virgine intrante cum infantulo Jesu Hermopolim in templum quoddam idolorum, in quo erant 365. Idola, omnia corruerint. Quòd si ergo Deus urbem hanc Mariam à primo instanti vitæ, seu conceptionis possederit, juxta ipsiusmet Angeli testimonium, *Dominus tecum*, secundum suprà allegatam interpretationem clarissimè sequitur, ergo eam numquam possedit diabolus; Deus enim in manu forti, & brachio extento ipsi ad hanc civitatem introitum vigilans præsidiarius impedivit. Unde Maria verè potest dici, *urbs fortitudinis*, de qua Isaias: *Salvator ponetur in ea murus & ante murale.*

Ezech. ca. 48. v. 35.

Abul in c. 2. Matth.

Isai. c. 26. vers. 1.

Stupendum sanè est, attamen verum, quod de Alexandro Magno antiqui referunt Historici, scilicet, quòd is, cum famosissimam illam civitatem Leontopolim vellet exstruere, cernens copiam calcis ad fundamenta jacienda non sufficienter suppetere, candidissimam, ac electissimam ex aula sua imperiali farinam evehi mandavit, ut ex ea calcem nobilissimam conficerent opifices, quæ lapidi fundamentali deserviret, judicans materiam puriorem fundamento maximè convenire. Ex hoc Alexandri facto augurati fuerunt aruspices, eam futuram contrà quoscumque hostes inexpugnabilem, simulque omnibus terrenis fructibus fertilissimam. Sic magnus ille Alexander Deus omnipotens ædificans mirificam hanc civitatem, calcem, ex farina purissima gratiæ sanctificantis confectam, ab instanti conceptionis illius, quæ Mariæ est fundamentum & initium, adhibuit, ut diabolo penitus foret inexpugnabilis, simul & fæcundissima, id est, ut Deum & hominem, cibum cælestem, quo pascuntur Angeli & homines, in lucem produceret.

Ingeniosam satis & appositè materiæ præsenti quadrantem non incongruum erit enarrare antiquorum Poëtarum fabulam. Fingunt hi Deos in pleno omnium consistorio seriò de protectione arborum deliberasse. In quo unanimi consensu determinatum est, ut quilibet sibi quamdam eligeret, cujus specialem & sedulam curam gereret. Quo facto, Jupiter quercum, Apollo laurum, Neptunus pinum, Venus myrthum, Juno juniperum &c. elegit; quarum arborum isti Dii protectores ita erant zelosi, ut, si quispiam illis minimum damnum intulisset, eos graviter offenderet. Arbor sanè nobilissima est Maria, à tota SS. Trinitate ab æterno electa, *ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret:* Ut in ea cresceret fructus, non maledictus, ut ille fuit, qui mortem ac ruinam mundo intulit universo, sed benedictus scilicet Christus Jesus Salvator noster: ut antiquam ruinam, & cunctorum salutem repararet. Quis itaque inficiabitur, & negabit verum Deum animatæ ac vivæ arboris Mariæ fuisse zelosum custodem, ac fortem protectorem? vana enim hæc erat Deorum cura: sancta attamen, & constans supremi Dei hujus fructiferæ arboris semper fuit sollicitudo, quâ eam tam mirificè excoluit: & in tantùm exaltavit, ut ex ea saluberrimos nobis decerpere fructus indies liceat.

Prov. c. 8. vers. 23.

Refert eruditus scriptor Raulinus authoritate Plinii id corroborans, apud Indos reperiri quemdam perniciosum serpentem nomine *attusum* præ cæteris maximè venenosum. Hic arbores, & præcipuè suavissimo odore fragrantes, ac dulcissimos fructus proferentes, ex innato propriæ naturæ instinctu, tanto odio prosequitur, ut radices earum virulento suo halitu inficiat, & sic flores, atque fructus ejus penitus perdat, infectâ enim radice, ex consequenti omnes illarum rami ab ea infectum humorem, & veneficum succum attrahentes, facilè exsiccantur. Addit tamen hic author, istius loci agricolas ad notabile damnum, quod inde recipiunt præcavendum, efficacissimum adinvenisse remedium; scilicet confectionem quamdam ex theriaca, qua arboris germina inungunt, cujus virtute à contractione è radice exitialis humoris præservantur.

Raulinus serm de Concept.

Haud dissimiliter infestissimus antiquus ille serpens diabolus speciosissimam illam naturæ humanæ arborem, quam ad imaginem & similitudinem

nem suam creaverat Deus, dulcissimum justitiæ originalis odorem exhalantem, ac excellentibus, atque eximiis omnium virtutum, tum theologicarum, tum moralium fructibus onustam, dirâ odii, atque invidiæ rabie prosequens juxtà illud Sa-
Sap. c. 2. vers. 24. pientis: *Invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum:* radicem ejus, id est, Adamum primum totius humani generis parentem pestifero peccati veneno infecit, ac proinde & ramis, scilicet posteris, ex illius stirpe oriundis perniciosissimè nocuit. Et sic arbor illa maximè fructifera Adam subitò exaruit, deperditaque primæva suâ gloriâ charitate, gratiâ sanctificante, cunctisque donis cælestibus orbata, dæmoni subjecta est; cui obnoxii & omnes ex hac arbore germinantes rami, scilicet Adæ filii nascuntur. Ne tamen tam exitiali ac pestifero malignus spiritus peccati originalis veneno electum illud germen, Beatam Mariam genitricem suam inficeret, eam probatissimâ sanctificantis gratiæ theriacâ, ex prævisis sanguinis, & acerbæ passionis suæ meritis confecta, in primo conceptionis illius instanti inunxit, & ita non à debito contrahendi originalem culpam, sed ab actuali ejus contractione potenter præservavit:
Psalm. 20 vers. 4. Juxta illud: *Prævenisti eam in benedictionibus dulcedinis.* Quia *sicut exaltati sunt cæli à terra, ita exaltantur viæ Mariæ à viis nostris.*

Hanc piam, de Mariæ Virginis immaculata Conceptione, opinionem, quam ego omninò veram firmissimè credo: quamvis jam fusè satis, imò fortasse ad lectoris nauseam latè confirmarim; pro coronide tamen, unum dumtaxat, idque irrefragabile, in Mariæ gratiam ac gloriam, perplacet adferre argumentum, quod in ipsiusmet Christi verbis, qui de se ait, *ego sum veritas*, fundamentum habere reperio. Matth. cap. 11. Christus Dominus desiderans paucis, sed nervosis verbis perfectiones, virtutes, ac eximiam Sancti Joannis Baptistæ sanctitatem exprimere, totique mundo manifestare; in hanc prorupit brevem panegyricam oratio-
Matth. c. 11. v. 11. nem: *Inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptistâ.* Quæ tam præclara de præcursore Domini sententia, non solummodo de masculis, verùm etiam de sanctis fœminis intelligenda est, ut clarissimè ex bibliis Flandricis colligitur. Secundùm enim hoc idioma τὸ *natos* utrumque sexum in se comprehendit. Nec enim credi aut dici potest, fortè aliquam sanctam, Joanne Baptistâ in sanctitate ac perfectione fuisse eminentiorem.

Hoc supposito, prædicta divini hujus Joannis panegyristæ verba maturè perscrutemur. Ex his enim videtur clarissimè posse erui, Joannem Baptistam, non tantùm omnes sanctos, & sanctas, in sanctitate longè antecelluisse, sed etiam, ipsam sanctissimam Dei genitricem Mariam, in perfectionis eminentia superasse. Quoniam ab hac generali sententia tantummodò Christus Dominus excipi videtur: idque per τὸ *mulierum*, utpotè, qui solus ex Virgine natus est. Quod & disertè attestatur S. Hieronymus dicens: *His præfertur hominibus, qui de mulieribus nati sunt, & de concubitu viri, & non ei, qui natus est ex Virgine & spiritu:* atqui Maria Virgo nata est de muliere, & de viri concubitu, ergo Maria Virgo ab hac sententia non excluditur, ergo minor est in sanctitate Joanne Baptista, quod expressè est contra fidem. Quomodò itaque veritas verborum Christi stare potest cum præeminentia Matris. Hieron. in Matth. hunc locum.

Hæc objectio difficilior est, quàm quis forsitan primo intuitu arbitretur; nec tam facilè hujus nodus dissolvetur, nisi Christum Dominum præfatis verbis, non tam Joannis Baptistæ laudes, & sanctitatem decantasse, quam Mariæ genitricis suæ immaculatam Conceptionem expressisse, asseramus. Pro quo operæ pretium est annotare inusitatum Christi loquendi modum; quis enim sanæ mentis grammaticus, de cujusdam hominis ortu disserens, umquam usus est termino, *surrexit:* bona enim latinitas exigebat, ut diceret: *Non est natus, non est ortus, non venit in mundum, non est editus in lucem, non est productus major Joanne Baptista.* Quare igitur congruâ rectâque loquendi normâ relictâ, τὸ *surrexit* usurpat. Hoc indubiè suo nequaquam caret mysterio. Ad hoc respondeo cum Petro Cellensi: si Christus dixisset inter natos mulierum non est natus major Joanne Baptista, Maria Mater Dei, ab hac generali sententia nullatenus fuisset excepta; potuissetque quis dicere Joannem Baptistam divâ Virgine extitisse majorem; consultè itaque utitur τὸ *surrexit*, quia per hoc vocabulum præcisè ipsa excipitur, & immaculata ejus Conceptio mirificè comprobatur. Vocabulum enim *surgere* lapsum præsupponit. Ex quo sic argumentor; si Maria in peccatum originale cecidisset, sicut Joannes Baptista, qui in adventu Virginis, verbum Incarnatum in utero portantis, sexto mense in Elisabeth Matris penetralibus fuit sanctificatus, summo cum fundamento posset inferri, Joannem Baptistam Mariâ esse majorem, quod si, ut debet, negandum est;

con-

confiteri ingenuè cogimur Christum Dominum suam Matrem, quam constat Joanne Baptista esse longè eminentiorem, non constituisse in numero eorum, qui ceciderunt, & per consequens, qui surrexerunt: sicque eam per τὸ *surrexit* exemisse. Argumentum meum apprime confirmat citatus Author, his verbis: *Inter natos mulierum, &c. hoc dici non potest, nisi de eo qui prius cecidit, ac postea surgit, ac si diceret, inter eos qui in originali peccato concepti sunt, non surrexit major Ioanne Baptista; Christus autem in peccato non cecidit: ergo ipso Ioannes Major non est. Cur igitur beatissima Virgo major quoque sit Ioanne, ipsam in peccatum originale non cecidisse necessarium consequens est. Quod si non concederetur, sequeretur planè, Ioannem Baptistam majorem eâ extitisse, quod omninò falsum est, ex Evangelio & Salvatoris nostri sententia: ergo ipsam ab originali peccato fuisse conceptam necessariò concluditur.*

Abb. Cellensis.

Argumentum hoc ego magni facio, illudque curioso Lectori relinquo ponderandum. Ob hoc ergo, aliasque tum in præsenti tum in præcedentibus duobus discursibus adductas rationes, asseveranter sustineo divam Virginem, ne per unum quidem instans maledictioni fuisse subjectam, sed ab omni prorsus peccati noxa productam esse immunem. Quia ut rectè ait S. Bonaventura: *Congruebat advocata generis humani, ut nullum haberet peccatum: congruebat, ut Virgo ita vinceret diabolum, ut nec ei succumberet ad modicum. Congruum enim fuit, ut sic esset immaculata mente, sicut intemeratâ carne.* Quod si tamen quidam in inveterata sua opinione obstinati persistant, adhucque linceis oculis pertinaciter originalem maculam in Maria Dei Genitrice inquirant: iis respondeo, ut olim celeberrimus pictor Nicomachus cuidam istius artis ignaro respondit. Is visa artificiosissime depictâ à peritissimo artifice Apelle Helenæ Reginæ Trojæ imagine, exclamabat: *Nihil deest imagini.* Quo audito, ille ignarus dixit, scilicet: *Macula ei inest.* Ad hoc Nicomachus: *Sume tibi oculos, & Dea tibi videbitur & sic sine macula.* Deus mirabilis artifex depinxit Matrem suam Mariam adeò pulchram, ut de ea verissime possit dici, nihil deest imagini. Aliqui tamen, an quia ignari, an verò quia sententiâ oppositâ à juventute sunt imbuti, nescio, maculam in ea inquirunt: at ego cum Nicomacho pro pulcherrima hac pictura Maria ab illo supremo opifice Apelle Deo delineata, dico: *Sumite vobis oculos & Dea videbitur, & sic sine macula.*

Bonav. in 3. dist. 3. 1. part. art. 1. quæst. 2.

Addoque & illud Davidis: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Quia: *Sicut exaltati sunt cæli à terra: ita exaltantur viæ Mariæ à viis nostris.*

Plerisque aliis fateor, non tantùm evidentibus congruentiis, verùm etiam efficacibus rationibus tum ex sacra Scriptura, tum ex SS.PP. depromptis, tactam de immaculata Virginis Conceptione veritatem apprime confirmare possem, sed si prædictæ in tribus discursibus jam allegatæ, ad alienos ab illa animos deflectendos, non suffecerint, nec alias suffecturas autumans iis supersedeo: & me ad te converto ô piissima Domina, tibi libellum supplicem oblaturus, cujus tenorem permitte ô Maria, ut ex pulcherrima quadam historiola, exponam.

De Gundeberga Insubriæ Regina, istius regni referunt annales: quod ipsa post mortem Agilulfi patris & Theodolindæ matris, unica regni hæres relicta, atque jam ad Regium thronum evecta, illud legitimo conjugi suo Tatoni Ætruriæ Duci cesserit. In aula regia morabatur impius ac sceleratus quidam Aulicus nomine Adalulphus, natione Palatinus, qui Reginæ pulchritudine vehementer commotus, illiusque amore incensus regium thalamum violare præsumpsit. Verùm cum bis, torvè à castissima Gundeberga infamem passus fuisset repulsam, illius vindictam mente concepit, irâque plenus, simul & dolore adulterii innocentem apud Tatonem maritum accusavit: ab eoque nimium crudeli in Amelli arce tetro carceri includitur. Post triennium rogatu & instantiâ Clotarii Franciæ Regis Gundebergæ affinis, Carellus quidam aulicus, pro Regina singulari cum Adalulpho certamine ferro causam peroraturus mittitur. Quo tandem confitente execrandum crimen ac Gundebergæ denuntiante innocentiam, ipsa libertati, marito, honorique restituitur. Quo facto, ob notabile hoc Carelli beneficium, Gundeberga in grati animi mnemosynon à Rege expostulavit quatenus Carellus honoris, famæque suæ defensor, secum in Aula Regia commorari posset, quod sine mora obtinuit.

O clementissima Virgo Maria! utcumque pro viribus meis pro tuo contra hostes tuos sanctissimæ animæ tuæ infamem originalis culpæ maculam inurere tentantes, ad instar alterius Carelli pro Gundebergæ honore pertinax perstiti defensor. Hoc unicum tantùm rogo in tantilli laboris mei mercedem, ô benignissima! quæ minimum

etiam

etiam maximo recompensare soles, ut mihi totique præsenti populo quem immaculatam tuam firmissimè credo venerari conceptionem, sis altera Gundeberga, rogesque ab æterno Rege filio tuo Christo, ut omnes tecum in æternum in cœlesti aula commorari valeamus. Amen.

CONCIO XIII.

THEMA.

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Eccles. cap. 24.

ARGUMENTUM.

Tractatur de admirabili Verbi Divini erga Mariam Virginem amore, simulque de immenso ex eo generi humano promanante emolumento.

Regius Propheta David arcto amoris vinculo erga pulcherrimam Abigail defuncti Nabal uxorem irretitus, sentiens indies ardoris flammas excrescere, & cor suum tam ferventi igne quasi torreri, ut tanto calori medelam ferret, mentemque penitùs inquietam ac turbatam sedaret, pueros suos ad illam legatos destinavit, ut eam sibi in legitimam uxorem adsciscerent, ut patet ex 1. Reg. cap. 25. quo nuntio accepto, Abigail mox sese in terram prosternens humiliter Davidis petitioni annuit dicens: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei.* (1. Reg. c. 25. v. 41.)

Cælestis ac regius ille David Deus noster, Verbum inquam æterni Patris, amore vehementi erga nobilissimam simul & pulcherrimam puellam Virginem Mariam incensus, de congruo, optimoque hanc dilectam sibi Abigail desponsandam sedulò excogitat modo, tandemque crescentibus hujus ignis flammis è sinu æterni Patris ad uterum Mariæ descendere desiderans, affectuosè clamat ad Patrem: *Ecce ego mitte me,* quia amore langueo. (Isaia c. 6. v. 8.) Pater æternus, ut tanto filii unigeniti sui amoris æstui succurreret, ejusque satisfaceret desiderio, cælestem paranymphum legatum mittit Angelum Gabrielem, *missus est Angelus Gabriel ad Mariam,* ut ab ea in divina hæc sponsalitia exigeret consensum. (Luc. c. 1. v. 26.) *Deus,* inquit Guil. Paris. *misit Gabrielem ad Beatam Virginem ut ei mysterium Incarnationis, & Redemptionis panderet, atque ejus consensum flagitaret. Nolebat enim omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa, sicut sumpserat de dormiente, & non dante Adam, unde formavit Evam, sed ad futuræ Matris excellentiam, non tantùm ex ipsa carnem, sed etiam ab ipsa consentiente sumere volebat: & ideò propter beatæ Virginis assensum dulcissimum dicitur cap. 4. Cant. favus distillans labia ejus.* (Guil. Paris. in cap. 4. Cant.)

Hâc commissione à Domino suo acceptâ, Gabriel ad Mariam ubi pervenit, legationis suæ causam exponit, illam salutans his verbis: *Ave gratiâ plena.* (Vers. 28.) At Mariæ animus tanto cælestis legati splendore atque inopinatâ hâc salutatione summo stupore concutitur, *turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio;* (Vers. 29.) sed mox resumpto spiritu mihi videtur hoc modo replicare; ô nobilissime spiritus! erras erras, ad me non mitteris, ego enim gratiâ plena non sum. Alia certissimè longè nobilior, excellentior atque eminentior tibi in sponsam Dei tui & verbi Matrem inquirenda est Virgo. Persistit tamen Angelus, & instat: ô cœlestis Domina! in te est tota gratiæ plenitudo, tu gratia in abstracto meritò nuncupari potes: tu illa electa es ex millibus ab infinita sapientia ad mirabile Incarnationis mysterium adimplendum. Ad hoc rursus Virgo: quis

me

me tam sublimis dignitatis, tam excelsæ fortunæ, ut Sponsa & Mater Verbi efficiar, reddit certiorem? Ipsamet SSS. Trinitas, respondet Angelus, *Spiritus Sanctus*, ecce tertia in SSS. Trinitate persona, *superveniet in te, & virtus*, ecce Pater, *Altissimi*, ecce Verbum, *obumbrabit tibi*. Hoc intellecto, Maria profundissimâ humilitate sese inclinans, divino annuit amori, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et ecce sponsalitia subitò inita sunt, ac stupendum hoc connubium in sacratissimo Mariæ Virginis utero persolutum est, mediante inexplicabili hypostaticæ unionis nexu, *& Verbum caro factum est*; amorique unigeniti Patris filii plenariè est satisfactum: *Qui creavit me, requievit* (scilicet qui antea quasi inquietus, ut ita dicam, in cælis degebat) *in tabernaculo meo.*

O admirabile Sacramentum! ô mysterium absconditum à sæculo! Verbum, purissimus spiritus incarnatur, immortalis fit mortalis, infinitus finitus, Creator creatura, Deus homo: & quis hoc fecit? Ah amor infinitus ipsius Dei erga Virginem Mariam. Hujus suavi cantu & mellifluâ voce è cælis attractus est cælestis ille sponsus. O mirifica amoris vis! ô Verbum æternum! ô incomprehensibilis sapientia Patris! si cæcitas olim apud Gentiles amoris carnalis habebatur hieroglyphicum, ideoque Cupido Deus amoris obvelatis oculis depingebatur, unde & tritum apud omnes invaluit adagium, amor cæcus est, quod & protestatur Propertius, *Scilicet insano nemo in amore videt.* Et Ovidius, *Quid deceat, non videt ullus amans.* Si hoc inquam ipsi carnali adscripserint amori, audacter dicere non vereor: Domine, amor tuus spiritualis maximè cæcus videtur. *Amor*, inquit S.P.N. Augustinus, *majestati oculos clausit*, & si ab eo, sicut à quodam Atheniensi juvene ex divite & Cræso facto paupere & Iro petitum fuit, unde ad tantam redactus foret penuriam, qui respondit, *hæc amor fecit*; petam quoque, unde ita sese abjecerit & exinaniverit, *ut formam servi accipiens*, ut ait Apostolus, *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Respondebit cum illo, quia amo scilicet Mariam; nardus enim ejus tantam dedit odoris suavitatem, ut amore illius inescatus, visus sit utcumque saltem quoad externam apparentiam divina exuisse, & humana verè ac realiter assumpsisse. Id totum ergo amor fecit, & hoc unum sufficit. Hoc mentis suæ oculis attentè contemplans S. Bernardus,

Propert. elegia 2.

S. P. N. Augustin.

Philip. 2.7

in mellifluâ hæc prorumpit verba: *O amoris vis! ita ne summus omnium imus factus est omnium? Quis hoc fecit? amor affectu potens, quid violentius? Triumphat de Deo amor.* De hoc mirabili Verbi erga Virginem amore tractaturus in campum venio, salutatâ tamen priùs & rogatâ hâc Virgine pro Spiritus S. gratiâ. *Ave.*

Bernard.

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

CUm de immenso Verbi divini erga sponsam, & matrem suam Mariam Virginem incomprehensibili amore paulisper disserere conarer, tantâ ejus magnitudine oppressus obmutui; sed vocem mox restituit recens antiqua Poëtarum de amoris efficacia recordatio. Narrat S.P.N. Augustinus, & Ovidius, Jovem supremum omnium Deum pulcherrimæ & formosissimæ puellæ Danaæ amore captum fuisse. Hanc, dum pater ejus Acrisius Agrivorum Rex fortissimæ turri inclusisset, eò quòd à divino oraculo didicisset, se à proprio nepote necandum, cùm arripere & violenter tollere non posset Jupiter, propriâ ut fingitur staturâ gaudens, sese in rorem aureum commutavit, & sic puellâ potitus est, atque ex ea procreavit magnum illum Persium, qui Gorgonem interfecit, cujus aspectu homines in lapides & bestias convertebantur. Hanc fabulam lepido describit epigrammate ad auri vim alludens Paulus Silentiarius:

August. l. 1. confess. cap. 16. Ovidius l. 4. metam.

Aureus in cæcas penetravit deniquè rimas,
Et Danaës duros Iuppiter in thalamos.
Fabula sic inquit me judice: ferrea claustra
Aurum perrumpit, duraq; vincula domat.
Aurum omnes vestes infregit, & arguit artem
Clavis, & inflexit torva supercilia.
Sic Danaa devicta fuit; non ullus amator
Aurum cui fuerit, supplicet id Veneri.

Hæc fabula proposito nostro quàm optimè quadrat. Jupiter enim, qui significat juxta Ægyptios *Pater juvans*, expressissima Verbi divini est figura. Illud enim amore, non pulchræ puellæ Danaæ, ut fabulosus ille Jupiter, sed formosissimæ Virginis Mariæ captum, tamquam ros in ejus sacrosancta viscera descendit, ut prædixerat Propheta Osæas: *Ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium.* Ex hoc descensu Mariâ purissimum

Osea 14 6.

suum sanguinem subministrante, ac Spiritu sancto cooperante, exortus est strenuus ille Dux Persius Christus Dominus noster, qui non Gorgonem, sed omnes tenebrarum potestates compescuit & fugavit. Hic non homines in lapides convertit, sed ex lapidibus, id est, de obstinatis peccatoribus summâ suâ potentiâ, ac virtute filios Abrahæ produxit, & pœnitentes effecit. Amorem hunc Christi S.P.N. Augustinus considerans exclamat: *Quàm ineffabilis pietas Redemptoris hominem portavit ad cælum, & Deum dimisit ad terram.*

Aug. ser. Pent.

Rursus de Jove fabulantur Poëtæ, eum sese in Bovem transformasse, illiusque pelle indutum, è cælis amore Europæ allectum, in terram descendisse, ut testatur S. Hieronymus his verbis: *Iupiter Rex terrenus, qui & cælorum Rex dictus est, post Europam mugire coactus est. Ecce, quem bonitas super cælos extulit, fœmina bruto comparavit.* Sic & supremus ille Jupiter Deus noster inter bovem & asinum vagiit in præsepio, jumentis comparatus ut homo, usque similis factus, in externa apparentia dilectæ Europæ, Mariæ inquam amore inescatus, immensitatis, majestatis, immortalitatis, atque aliorum potentiæ, sapientiæ, ac infinitatis attributorum quasi oblitus, factus est vermis: *Ego vermis, & non homo,* & virginali claustro inclusus ille, quem nullus comprehendere valebat locus finitus, ac comprehensibilis, utpote, qui duobus Mariæ claudebatur uteri terminis, redditus est. Unde illi rectè appropriari possunt jam dicta S. Hieronymi verba: *Ecce, quem bonitas super cælos extulit, fœmina bruto comparavit.* At quis hoc totum effecit? profectò non nisi vehemens Verbi amor, triumphat enim de Deo amor Mariæ.

Et sanè quis non summoperè obstupescet, dum tantam unius Dei intuetur exinanitionem & abjectionem? Etenim ille, qui totius universi est Dominus & creator, peregrini habitu indutus, ad homines languidos & debiles confortandos in terram descendit. *Ægrotabant*, inquit Basilius, *hominum animæ, dum magnus ille Medicus peregrinabundus advenit, in virgineo emicans thalamo, & tenebrosæ noctis tempore, ut autumant quamplurimi SS. PP. in virginali Mariæ utero cælestia hæc contrahit sponsalia, humanamque induit carnem, & propriæ majestatis oblitus, sine ulla pompa ac magnificentia ad sponsam suam delabitur.* Sed cur quæso ô Domine, divino circumcinctus fulgore, & divina & regia cum majestate Mariam non accedis? Quis unquam sponsum vili & abjecto habitu indutum, ad nobilissimam sponsam ingredientem vidit? Hoc sanè rursus amor fecit. Quod amorosa quadam Poëtarum fabula explicabo. Fingunt hi, quòd pulcherrima quædam puella nomine Semele amore Jovis incensa, quadam vice rogaverat, ut ipse ad se non in vili, ut hactenus fecerat, figura assumpta, sed cum divino splendore, & suprema majestate, ardenti suo fulmine armatus, è cælo descenderet; sed hoc cùm Jupiter illi sæpe sæpiùs denegasset, tandem precibus ejus devictus concessit. Ast hæc tanto istius Dei splendori impotens resistere, mox obcæcata, ac ejus fulmine incinerata, temeritatem suam morte subitaneâ expiavit. Deus noster amore Virginis Mariæ flagrans, eam in sponsam & matrem sibi accipere statuens, probe cognoscens illam, utpote puram creaturam, neutiquam splendidissimos Divinitatis, & Regiæ Majestatis radios posse sustinere, ne in minimo sua pateretur amata, maluit propriæ suæ dignitati omnem splendorem, omnem majestatem ac gloriam detrahere, ac vili hominis carne obfuscate. Quid ni ergo modò exclamem cum magno illo Lycurgo: *O amor, quàm potens es, qui omnem obfuscas majestatem.* Audite quàm apposite ad hoc dicat S. Zenon: *Tempore maturo Divinitatis dignitate deposi à è cælo egressus, sacrario templi virginalis hospes pudicus illabitur.* Sed ad quid? Certe non nisi, ut in Maria electo tabernaculo quiesceret: hinc David clamat: *Surge in requiem tuam,* id est, Mariam, inquit S. Crysippus, *surge Domine in requiem tuam, tua enim requies est Virgo, & uterus tua requies.*

Basil. Zeul.

Lycurgus.

Zenon.

Psal. 131.

Unde de Deo nostro tam vehementer amante, concinne & apposite certum quoddam emblema ab ingenioso quodam sene nomine Ottone compositum, appropriari potest. Ille enim in schola Amoris & Veneris, in qua artis amandi regulæ & methodus juvenibus explicabantur, tempore quodam, venerabili vultu, jam provectæ & grandævæ ætatis comparens, ab aliis juvenculis amatoribus, crinium albedinem, & capitis calvitiem detestantibus, explosus & irrisus est vulgari hoc adagio, *turpis amor senum*; quo improperio patienter tolerato, Otto sequenti die rursus in publicum prodiit, tabulam in manu portans, in qua artificiose depictus erat Cupido, qui virgam piscatoriam tenens, è fluvio Jovem hamo amoris captum,

captum,

captum, extrahebat eum dicto : *Ab amore nec Deus immunis.* Quo viso, cuncti obmutuerunt. Sic Deus noster æternus & incomprehensibilis ab amore immunis, sed sicut Jupiter hamo amoris erga Europam, à Cupidine attractus est, ita & Verbum æternum dulci amoris esca erga Mariam inescatum, ab ea captum est, & violenter quasi aureis amoris catenulis alligatum, ad virginale claustrum deductum. Unde dicit S Bernard *Quid tam violentum? Quid non tam violentum? Amor est. Quæ est ista vis tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam.*

Bernard. serm. 64. in Cant.

Antequam proprietates amoris aggrediar, easque quàm concinnè Christo Domino Mariæ sponso, & filio quadrare ostendam, scrupulum forte alicui impressum, quomodo ex Christi amore erga Mariam illius excellentiam atque dignitatem elicere queam, tollere necesse duxi, & ex Angelico Doctore Divo Thoma mensuram amoris divini, justam bonitatis objecti amati fore trutinam, demonstrare. Ipse enim inter hominum amorem & Dei hanc constituit differentiam, quòd ille in objecto amato bonitatem præsupponat, saltem ut apprehensam; hìc verò illam in objecto causet. Verba ejus sunt hæc: *Electio & dilectio aliter ordinantur in nobis, & in Deo, eò quòd in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistente incitamur ad diligendum; in Deo autem è converso: nam voluntas ejus, quâ vult bonum alicui, diligendo est causa, quòd illud bonum ab eo præ aliis habeatur.* Ex hac Divi Thomæ doctrina subsumo, atqui incomprehensibilis & impenetrabilis Christi erga dilectam Genitricem suam Mariam est amor, ut testatur S. Anselmus : *Nullus hominum, vel Angelorum penetrare potest immensitatem divini amoris erga Virginem* : ergo Christus causa est, quòd divinum hoc objectum tantopere ab eo adamatum, impenetrabilem, ac immensam dignitatem, infinitamque quodammodò excellentiam possideat. Vim hujus consequentiæ quam legitimam arbitror, videtur cognoscere disertis verbis de Maria loquens Damascenus : *Tota Spiritus Sancti thalamus, & gratiarum pelagus, tota pulchra, tota Deo propinqua. O miraculum maximum.*

Thom. p. 1. q. 23.

Ansel. de excell. D. Virg.

Damasc. orat. 5. de Virg.

Hoc supposito ad amorem venio. Plut. amori pro prima proprietate adscribit zelotypiam, dicens: *Non est verus amator, qui caret zelotypiâ,* quod Plutarchi dictum ex variis comprobari potest historiis: etenim doctissimus Scriptor Pausanias de Polisona refert, quòd ea zelotypiæ simul, & amoris ardore succensa, videns maritum suum Philomemum pulcherrimam totius Græciæ puellam Helenam adamare, eum trucidare non erubuerit; *unde factum est,* inquit, *ut, quem hostes in bello vincere non poterant, zelus unius fœminæ superaret.* Laodicæa quoque Antiochi Cyriæ Regis uxor, eadem furiosi amoris flamma percita, tantum effecit, ut mariti amata nomine Beranice unà cum filio, quem ex ea Rex procreaverat, crudeliter interfecta sit. Nec ea solummodò in fœminis locum obtinet : sed & maximè in viris. Uxor enim Lycii Thæbarum Regis propter levem quamdam de ejus incontinentia suspicionem tauri collo alligata, cui admotus erat fasciculus paleæ accensus, in frusta decerpta est. Cùm itaque Dei amor erga Mariam Matrem, & sponsam sit perfectissimus, neutiquam caret zelotypiâ, imò essem ausus asserere, Christum Mariæ quàm maximè extitisse zelotypum.

Plut.

Ad hoc demonstrandum, operæ pretium est mirabilem Prophetæ Davidis de Deo Creatore & hominis productore loquendi modum enucleare, *qui finxit*, inquit, *sigillatim corda eorum.* Etenim hìc duo annotanda occurrunt, scilicet cur dicat, *sigillatim*, idest, specialiter, & cur non de aliorum corporis humani membrorum, sed de cordis dumtaxat formatione mentionem faciat. An forsan Deus alia membra non finxit ? Pro jam motæ difficultatis enodatione recurramus semel ad cap. 1. Gen. ubi de totius universi tractatur creatione. Mirandum enim est, quòd, cùm omnipotens ille opifex omnes alias creaturas, scilicet cælum & terram, astra & elementa, volucres, & omnia animantia terrestria, uno verbo *Fiat* produxerit, ad hominem verò plasmandum quasi consilium iniens dixerit : *Faciamus hominem,* ubi utitur numero plurali. Sed cur? Scio quosdam sacræ Scripturæ Interpretes non vulgares, sentire Deum, ad supereminentem præ cæteris creaturis hominis nobilitatem denotandam, quasi à tribus SSS. Trinitatis personis in ejus creatione expostulasse auxilium, scilicet, ut Pater suam potentiam, Filius sapientiam, atque Spiritus Sanctus bonitatem suam adhiberet, à qua opinione non multum abhorret doctissimus Tertullianus, qui firmissimè tenet, tum Deum non communi omnium hominum creationi, sed particulari,

Ps. 32. 15.

Gen. 1. 26.

scilicet nobilissimæ istius super cunctas creaturas Mariæ Virginis matris suæ intentum fuisse, & ut congruè tantæ pulchritudinis imaginis formationi invigilaretur, quasi omnia, ut ita dicam, divina attributa convocasse, *faciamus Mariam, &c. Cogita*, inquit Tertullianus, *totum Maria Deum occupatum, ac deditum.* Et hæc pia sententia mirabiliter Mariæ dignitatem commendat.

Tertull.

Verùm quàm plurimi Rabini, inter quos doctissimus Barcæphas, sustinent, ea Dei verba ad Angelos, quos ante homines creatos esse, certissimè constat, fuisse directa: tuncque eum Angelis corporis humani efformandi curam, & potentiam demandasse, nobilioribus autem hierarchiis, nobiliores producendi partes mandatum injunxisse; quod quandoquidem absque simultaneo Dei concursu, sine quo nulla, nec perfectissima quidem creatura, etiam possibilis aliquid producere potest (ut communiter sentiunt Philosophi) tò *faciamus* usurpabat, ut sic sese quoque omnium creatorem fore testetur. Addunt tamen hi, Deum specialiter cordis efformationem sibi reservasse, nec ullo modo voluisse, ut Angeli ejus productioni manum amoverent; non, quòd iis potentia illud producendi deficeret, oculi enim nobilissimi juxta omnes Medicos totius corporis membri est organizatio, & cætera membra etiam cor longè superat, sed quia Deus cordis solus expressè desiderat esse author & creator. Hinc rectè ait, inquiunt, Propheta David: *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Verùm cur Deo tanta dè corde hominis cura & sollicitudo? Sanè id vehemens amor effecit, qui tantam zelotypiam erga cor humanum, quod pro quietis loco & tabernaculo elegit (ipsomet teste, *Fili, præbe mihi cor tuum*) in Christo causavit, ut illud totum possidere absolutè velit; ideoque & sibi expressè totum offerri præcipit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nam ut inquit Aristoteles *amor non est nisi ad unum.* Ne itaque homo fortè cor suum divideret, partem Deo Incarnato, tamquam Redemptori, partem Angelo, tamquam Creatori tribuens, cor ejus sigillatim effinxit, ut sic, qui ejus futurus erat Redemptor, illius quoque existeret Creator.

Prov. 23. v. 26.

Ex hoc deduco, si tanti humanum cor Dei nostri amantis valuerit zelotypia, quia in illo tamquam in tabernaculo quiescere exoptat: ah, quàm zelotypus non fuit Christus Dominus Mariæ genitricis suæ, quam in æternum requietis sedem præ millibus selegit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo?* Sanè quàm maximè sigillatim hujus cor finxit, eique ab initio & primo instanti conceptionis signaculum gratiæ sanctificantis impressit, juxta ipsiusmet sponsæ de sponso amante testimonium: *Ordinavit in me charitatem,* alii legunt: *Posuit super me signaculum*: rursus alii: *Singularizavit me.* Et secundùm hujus verbi ethymologiam rectè, quia ita singulariter Mariæ matris fuit zelotypus amator, ut ejus cordi soli, & nullius alterius Sancti, quantumque in perfectione eximii, à primo conceptionis instanti indelebile prorsus sanctificantis gratiæ signaculum divinâ suâ virtute inseruerit, ne diabolus illud ad momentum quidem, per originalem culpam possideret, ut in præcedentibus discursibus fusè ostendimus.

Cant. 2. 4.

Nec id cuipiam mirum apparere debet; si enim, ut autumant quamplurimi Theologi, caro Christi è purissimo Mariæ cordis sanguine (ut sic perfectissimè Christus & Maria cor unum esset, & anima una) sit formata; quis non credet amantem tantopere zelotypum ab illa longè infernalem insidiatorem abegisse: cùm & eam pro suo amoris centro & quietis solio elegerit *solium gloriæ*, ait Hieronymus, *altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ.* Quem locum divinè ad litteram explicans de Maria Virgine doctissimus Galatinus, ait: *Per solium gloriæ gloriosam Virginem Mariam matrem Messiæ intelligi arbitror, quæ cùm sit in cælesti gloria super omnes Choros Angelicos exaltata, rectè dicitur solium altitudinis, id est, sedes & thronus Dei altissimi, cui insidet suprema Majestas. Dicitur verò solium gloriæ, quia sicut sedes ornata, ac regio more parata, sedentis magnificentiam indicat, ita Deus in beata Virgine ostensurus erat gloriam suam & claritatem; ipse enim Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Additur solium gloriæ à principio, id est, ab initio immaculatæ Conceptionis, quæ fuit sine ulla labe peccati.*

Hieron.

Galatinus l. 7. de arcanis Catholicæ veritatis.

Alias quasdam Aristoteles ad essentiam veri & perfecti amoris adhuc requirit conditiones. Prima & amoris fundamentum est: *Vult objectum amatum esse*, & præsentiam amati desiderat quàm intimam, & maximè perfectam. Verbum æternum utpote immensum Mariæ Virgini per essentiam, & ut omnipotens per potentiam, & ut sanctificator per operationem, scilicet per

gratiam

gratiam sanctificantem præsens erat, verùm nec hâc trinâ amatæ sponsæ suæ præsentiâ contentum, ut nobiliorem adipisceretur, mirabile ac prorsus inauditum stratagema adinveuit, seseque hominem in sacrosancto Mariæ utero efficere statuit: ut ita in amata carnaliter viveret, eique verè realiter intimè approximaret. Quod, ut tandem compleretur, sicque ardentibus amoris sui flammis satisfieret, ipsemet incessanter pro ejus ortu exclamavit: *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni.* O bone Deus; cur tu, qui nullâ prorsus indiges creatura adeò Mariæ expostulas in mundum adventum? Quid obsecro te inquietum reddit? Quis te immobilem efficit? Ah quid respondere potest, nisi ut Amnon Joab petenti: *Cur ita attenuaris Macie fili Regis, amo Thamar sororem meam.* Amo Mariam sponsam meam, in ejus castis visceribus commorari, ibique placidam quietem ardenter exopto. Sic & exponit citatum Scripturæ locum Rupertus in persona Mariæ, dicens: *Tamquam præsenti loquebatur mihi, meque jubebat surgere & properare, id est nasci & hospitium ventris me citò præparare.* Ad quod quoque alludens Methodius ait: *Tu Deo, alioquin nullius indigo carnem, quam non habebat dedisti: quid hoc illustrius, quidque sublimius?* Cui concinit & S. Zenon dicens: *O charitas quàm potens es! tu Deum in hominem commutare potuisti, tu virginali carcere novem mensibus relegasti.*

Cant. c. 1. v. 10. — *2. Reg. c. 13. v. 4.* — *Rupertus.* — *S. Method.*

Ex hoc ex nunc clarissimè incipit elucere immensum, quod à Dei in Mariam amore, humano generi promanat beneficium, nimirum verbi ipsius Divini Incarnatio, à qua communis omnium, non tantùm hominum, sed etiam cœlestium spirituum (qui ut docent Scholastici omnem gratiam & gloriam ex prævisis Christi per Incarnationem & Passionem meritis receperunt) salus dependet, ut divinè confirmat B. Dam. his verbis: *Nisi Deus humanam suscepisset formam, numquam homo ad cœlestem pertingeret gloriam. Nisi Deus humiliaretur infra se, nequaquam homo exaltaretur supra se. Nisi paulò minùs ab Angelis minoratus esset Deus homo, numquam æqualis Angelis fieret purus homo.*

Dam. ser. 1. de Spiritu sancto.

Refert ex veteri & vulgari traditione doctissimus Bannes, quòd, cùm olim insigne quoddam templum plurimorum divitum sumptibus erectum esset, eodem die, quo dedicationis festum celebrabatur, in ejus frontispicio in loco eminentiori hæc aureis litteris exarata inscriptio apparuerit, *Sophia me fecit.* Cujus rei novitate multi perculsi, diligenter inquisierunt, quænam foret hæc Sophia? Tandem pauperculam fore quamdam mulierculam compererunt, quæ rogata, quid pretiosi & sumptuosi ipsa ad templi ædificium contulisset, respondit sese bobus defatigatis & famelicis, onera ad templi fabricam necessaria apportantibus, fæni fasciculos porrexisse, ne viribus deficerent. Ah si Sophiæ ob tantillùm insumpti laboris tam mirabiliter à cæli gloria ædificatricis templi adscripta sit; nonne nos potiori jure Mariæ Virgini titulum ædificatricis pretiosi istius Templi corporis Christi Domini nostri attribuemus? De quo ipsemet Joannes 2. ait: *Solvite templum hoc &c. hoc autem dicebat de templo corporis sui.* Ad quod ipsa proprium sanguinem insumpsit, ac illud Virgineo lacte pavit & enutriit. Imò, imò Sophia nostra Maria Christum verè effecit, ut testatur Paulus: *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Nec id Christus ipsemet diffitebitur, de illo enim dicit Evangelista Matth. *De qua natus est Iesus.* Et hoc celeberrimum ergà genus humanum beneficium certissimè ex vehemente Dei in Mariam Virginem amore mundo fuisse concessum, attestatur S. Thomas à Villa Nova: *Hæc Virgo Beata nobis Deum protulit, & hominem: hæc eum sua pulchritudine & decore è cælis allexit: amore illius captus est, & humanitatis nostræ nexibus irretitus.* Hoc amorosum mysterium attentè considerans S. Chrysologus ad Virginem clamat: *O verè benedicta! quæ fuit major calo, fortior terra, orbe latior, nam Deus, quem mundus non capit, sola capit, & portavit eum, qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem.*

Bannes 2. 2. q. 24. art. 6. d. 5. concl. 6. — *Ioan. c. 2. v. 19.* — *Ad Gal. c. C. vers. 4.* — *Matth. c. 1. v. 16.* — *S. Tho. à Villa Nova conc. 1. de Nativ. Christi.* — *Chrysolog. serm. 143.*

S. Isichius in laudes Marianas excurrens mirificum, sed maximè stupendum Virgini Dei genitrici adscribit elogium. *Maria est complementum Sanctissimæ,* inquit, *Trinitatis.* Hoc enim directè Catholicæ veritati videtur repugnare. Etenim cùm Theologi unanimiter doceant, quod Deus sit *summum bonum, summo & infinito modo bonum,* quomodò Maria aliquod bonum illi superaddere potest, unde complementum SS. Trinitatis dici queat? Hanc difficultatem dissolvit, & Isichium optimè de Maria sensisse, asserit D. Tho. explicans naturam & essentiam boni. *Bonum est* inquit, *sui diffusivum & communicabile.* Sicque *infinitum bonum infinito modo sui diffusivum &*

communicabile est. Hoc modò ait D. Thom. bonum divinum ſeſe communicat *ad intrà,* Pater producendo Verbum, & ſimul cum verbo ſpirando Spiritum ſanctum. Reſtabat tamen mirabilis adhuc modus bonum hoc *ad extrà* etiam communicandi, infinitè ſcilicet per unionem hypoſtaticam, humanam naturam cum divina copulando, ad quod complendum non tantùm verbum, ſed & tota SS. Trinitas ſummopere anhelabat. *Quid ſanè,* inquit Angelicus Doctor, *ſapientiùs, quàm quòd ad complementum univerſi, fuerit conjunctio primi & ultimi? Scilicet Verbi Divini, quod eſt omnium principium, & humanæ creaturæ, quæ in operibus ſex dierum fuit ultima omnium creaturarum.* Et ut deſideratum hoc myſterium, ac admirabilis Verbi divini incarnatio conſumaretur, prorſus neceſſarius erat nobiliſſimæ iſtius creaturæ Mariæ virginis adventus. Nulla enim alia ad tantam Dei maternitatis dignitatem reperiebatur idonea. Maria itaque intrà caſtiſſima ſua viſcera Verbum humanâ carne indutum ſuſcipiens, quoad deſiderium veriſſimè totius SS. Trinitatis extitit complementum. Unde benè ait S. Bernardus: *Tota SS. Trinitas uniformi, & concordi voluntate hanc inæſtimabilem Virginem oſtendit eſſe ſponſam incommunicabilis charitatis.* Poteſt inſuper ſecundùm D. Thomam Maria rectè dici complementum SS. Trinitatis propter magnam affinitatem, quam habuit cum SS. Trinitate, fuit enim filia Patris, mater Filii, & ſponſa & habitaculum Spiritus ſancti, ac totius SS. Trinitatis nobile triclinium.

Bern. hom. 9. ſuper miſſus.

Et ſi quis fortè inſtaret ſolum Verbum tantùm incarnatum eſſe, reſpondeo, cùm omnia opera SS. Trinitatis *ad extrà* (ſecundùm omnes Theologos) *ſint indiviſa,* tribuſque perſonis omnimodè communia, quamvis Verbum ſeſe incarnando ſolum terminativè humanam naturam ſibi aſſumpſerit, ſcilicet illam divinâ ſuâ ſubſiſtentiâ ſuſtentando; attamen duæ aliæ perſonæ deſiderium maximum habuerunt ad hanc mirabilem unionem hypoſtaticam concurrendi, *efficienter ſaltem,* ut Scholaſtici loquuntur, *& per concomitantiam.* Quod in hoc myſterio abſcondito à ſæculo perfectiſſimè adimpletum eſt, in quo mirabiliter tota SS. Trinitas laboravit, ut ait D. Tho. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & ideò concipies ſine corruptione, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, & ideo portabis ſine labore, ideoque & quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur filius Dei, & ideo paries ſine dolore.*

Ut autem adhuc manifeſtius eximius Dei ergà Mariam amor appareat, advertendum eſt, quàm intenſo ſeſe incarnandi, ac è cæleſti throno in arctum ſanctiſſimè virginis uterum illabendi æſtuarit deſiderio. Quod ex modo quo divina hæc ſponſalitia contracta ſunt, dilucidè percipere quilibet poterit. Ad conſenſum Mariæ ſponſæ ad hoc myſterium plane neceſſarium impetrandum, paranymphus Gabriel ad eam deſtinatur legatus, quam ipſe humiliter ſalutans his verbis alloquitur, *Ave gratia plena Dominus tecum.* Quæ dum mature perpendo, mihi videtur primâ fronte hic Angelum turpiter erraſſe. Etenim ſi, ut fides docet Catholica, verbum æternum clauſtrum virginale non intraverit, niſi poſt verba prolata formalem Mariæ conſenſum exprimentia, *ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Conſequens eſt, Dominum in Angelico adventu non fuiſſe cum Maria. Nec etiam dici poteſt, Angelum voluiſſe indicare, Deum Virgini per eſſentiam, præſentiam, & potentiam Virgini inextitiſſe, nullam enim tùm particularem illi laudem adſcripſiſſet, cùm tali modo omni plane creaturæ etiam inanimatæ inſit. Neque hic reſponderi quoque poteſt, quòd Dominus Mariæ per gratiam ſanctificantem adfuerit, quandoquidem & hoc modo pluribus aliis inexiſtat.

Hanc difficultatem familiari exemplo, parvaque Hiſtoriola pauliſper dilucidabo. Alexander Magnus certo quodam tempore Epheſtionem maximum amicum ſuum, ad negotia quædam magni momenti cum alio principe pertractanda, legatum miſit, qui velociter iter aggreſſus, Alexandri mandato ſine ulla mora obtemperavit. Horum expeditioni maxime inhians Alexander, exitumque ardenter deſiderans, ex mora tædio affectus; ſeſe itineri accinxit, & captâ compendiore viâ, Epheſtionem prævenit, primuſque cum altero de negotiis ſuis peregit. Quo viſo, Epheſtio petiit, ô potentiſſime Monarcha! *Cur Dominus famulum præcurrit.* Cui Alexander, *Epheſtionis fides & prudentia Alexandros ſpectatores habere debet.* Haud aliter ſupremus ille Alexander, Verbum Divinum Angelum legatum demittit, ad ſibi in ſponſam adſciſcendam Mariam, ſed nimio amore æſtuans, quaſi tædio ob tam deſiderati connubii dilationem pertæſus, impatiens moræ, Angelum præcurrit, ſicque legatus Dominum cum Maria invenit. Sic hoc explicat

os au-

Chrysost. os aureum Chrysostomus: *Dominus tecum, jam enim erat cum Virgine, qui ad Virginem mittebat Angelum, & præcessit nuntium suum Dominus.* Quod si tantæ festinationis ab illo exigeretur ratio; responderet, ut alter Alexander Magnus, quia puritas, humilitas, & tam promptus Mariæ in Dei voluntatem consensus, Verbum ipsum spectatorem debebant. Et ideò quam optimè Angelus Virgini dicere poterat inquit Bernardus gratiâ plena, O Dominus tecum, *quid mirum, si gratia plena erat, cum qua Dominus erat, sed hoc potius mirandum, quomodo qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est cum Virgine, itane velocior fuit Angelo Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras.* Bern. hom. 3. super missus.

Quanta autem cum velocitate, percepto Mariæ consensu, Sacro-sanctum illius uterum ingressus fuerit, satis clarè insinuat Propheta Regius dicens: *Exultavit ut gigas, ad currendam viam, à summo cælo egressio ejus.* Psalm. 18. v. 7. Ecce dum virginale Mariæ claustrum intrare festinat, gigantæis progreditur passibus: verùm, ut benè annotat S. Bern. dum a chara sua amata debet corporaliter avelli, ac è visceribus Mariæ, tam optato quietis suæ loco exire compellitur, lento planè, & testudinis gradu procedit, *tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Vers. 6. Audi Bernardum: *Exiens cælo tamquam gigas exultat, de utero vero egrediens Virginis, tamquam sponsus egreditur, ut agnoscas, quantùm sit Virginis uterus cælo ipso præstantior.* Bern. in hac verba. Cui & disertè concinit Damianus: *Locum voluptatis uterum Beatæ Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes divitias deliciarum Dominus.* Dam. ser. de Annũt. Et infrà: *Non est locus voluptatis, nisi uterus Beatæ Virginis, ex hoc egreditur humanitate, quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit, & de Virgine virgam, de libro autem generationis lineam faciens, divinitatis hamum invenit, quem carne operuit Virginali, ut draco magnus electus ad carnem, ferrum divini numinis subsentiret.*

Hoc ardens, quo divinum verbum exæstuabat desiderium, in virginali Mariæ claustro sese incarnando, & in illo, tamquam in cælesti throno immorandi, satis apertè juxtà Bernardum rursus indicat sponsa Maria ad sponsum suum Christum clamitans, *fuge dilecte mi, fuge, assimilare capreæ hinnuloque cervorum.* Cant. c. 8. v. 14. Non enim rogitat hic sponsa, ut retrocedat dilectus, sed ut dilectam accedere festinet: *Fuge dilecte ait sponsa, non rogans,* inquit, *ut retrocederet, sed orans, ut accederet, non ut in cælum fugeret, sed ut in terram confugeret, ut in utero Mariæ Virginis in tuto tandem valeat requiescere.*

Qui verò magnitudinem hujus desiderii expiscari desiderat, ac exactius enucleare exoptat, quo Verbum Mariani uteri deliciis allectum, flagravit, ad in hoc Sacro sancto claustro dulcem requiem percipiendam, hoc unicum pro exacta amoris Christi ergà hanc Virginem mensura annotet: illum scilicet præter naturam, & plusquàm necesse fuerit, in utero Mariæ remansisse. Docent enim communiter medici, quadraginta dies in debita fætus in materno corpore materiæ organizatione, antequàm anima rationalis infundatur, consumi. Hoc & docet S.P.N. Augustinus, atque id apertissimè insinuat Propheta Job: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti.* Augu. 83. q. q. 53. Iob c. 10. v. 10. Et progressu temporis, ossium & nervorum inducuntur dispositiones, quarum ultimâ positâ, summus creator Deus isti materiæ ad receptionem rationalis formæ debitè præparatæ, eam infundit, ut idem testatur: *Pelle & carne vestisti me, ossibus & nervis compegisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Vers. 11. Unde hi legitimam eruunt ex hac doctrina consequentiam, ergò infantes visceribus maternis egrediuntur ante octavum mensem completum post peractam Conceptionem.

Non sic sanè contigit in admirabili Domini nostri conceptione, in illo instanti, quo Maria Virgo consensum præbuit, dicens: *Ecce ancillæ Domini fiat mihi secundum verbum tuum,* continuò Verbum caro factum est, & unigenitus Patris filius è cælesti thalamo in sacratissimum Mariæ Virginis uterum descendit, & in eodem plane momento Christi Corpus infinitâ Spiritus sancti virtute perfectissimè ad animæ infusionem fuit organizatum, ac proximè dispositum, quod disertis verbis declarant Damascenus & Basilius: *Non ita,* inquit Damascenus, *ut paulatim, tacitisque incrementis figura corporis absolveretur, sed uno, eodemque momento perficeretur.* Damasce. Basilius: *Hinc deprehendere licet, quod non secundum modum carnis constitutio Domini fuit: conceptum namque illic est perfectum, non per intervalla paulatim formatum, ut planè Angeli verba declarant: non enim dicit, quod in ea conceptum est, sed quod in ea natum est, de Spiritu* Basil. hom 25. de natura Christi.

sancto

sancto est. Tamen certissimè constat Christum Dominum in intemerato genitricis suæ corpore novem integris mensibus delituisse. Unde deduco hanc consequentiam, ergò longiore tempore animatum Christi Corpus matris suæ penetralibus, quàm cæterorum infantum animata corpora, inclusum permansit. Quod & præter naturam erat, nec necesse. Omninò enim celerius materiæ organizatio celeri Christi nativitati debuisset correspondêre. *Profectò* inquit Abbas Ludolphus, *tanta organizationis festinatio, & nativitatis mora non suo caret mysterio.* Sed quodnam illud petit? Respondet: per hanc nascendi retardationem eximium Christi ergà Mariam Virginem amorem apertissimè declarari, Verbum enim in sacrosanctis matris visceribus deliciis affluens, ultrà debitum tempus expresè voluit commorari, ne à dilecta sua, contrà amoris regulas spontaneè videretur separari. Percipite Ludolphi verba: *Si per dies quadraginta efformato fœtu, statim spiritus infunditur, cur Christus, qui in Spiritu sancto in instanti est perfectus homo, tamen per integrum novem mensium spatium in thalamo uteri virginalis mansit.* Et rationem addit appositam: *Vt hinc cœlestes & terrestres spiritus intelligerent, quanto gaudio, quantâque cordis lætitia ibi maneret.* Imò audeo progredi ego, & asserere, suffultus magni doctoris Ambrosii irrefragabili authoritate, Christum adeò Mariani uteri quietem adamasse, ut invitus ex illo prodierit, in quo sanè in æternum requievisset, ab eoque nunquam avulsus fuisset, nisi mundi redemptio id exegisset, atque Patris mandatum obstitisset. Unde quasi de violentia sibi illata conquerens per Davidem ad Patrem clamat, *tu es qui extraxisti me de ventre matris meæ.*

Psalm. 21. vers. 19. *S.Ambros.*

Quod annotans Ambrosius, ait: *Sic Mariæ pulchritudine tenebatur Christus, sic illius irretiebatur amore, ut nisi sibi inferret vim, ab ea exire nequiret.* Amans enim juxtà amoris regulas desiderat præsentiam objecti amati, ideòque, dum eo fruitur (saltem in quantùm possibile est in hoc mundo) quietus & tranquillus est & non nisi violenter sese ab illo patitur avelli. Christus Dominus in Mariæ dilectæ suæ sponsæ Sacro sancto utero, tamquam in beatitudinis loco perfectissimè requievit, quia in illa verè essentiali gavisus est beatitudine, in quocumque actu illa consistat, sive in visione intellectiva, sive in amore ex ea promanante, aut in utroque copulatim. Sic docet Angelicus Doctor, duplicem Christo attribuens beatitudinem. *Dicendum est,* inquit, *quod ex ipsa unione homo ille est beatus beatitudine increata, sicut ex unione Deus, sed præter beatitudinem increatam, oportuit in natura humana Christi esse quamdam beatitudinem creatam.* Hâc autem frui incepisse Christum Dominum in instanti suæ conceptionis in utero Virgineo expresè dicit Eusebius explicans illud Psal. 21. *In te projectus sum ex utero Matris meæ,* ubi introducit illum ad patrem loquentem, *ex tunc te Deum meum clarè videbam,* cui concinit Richardus, *quod nos exspectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione.*

Eusebius lib. 10. *Psalm. 21. vers. 11.* *Richard.*

Non obstante tamen hoc, tam demens, majestatis suæ quasi oblitus, fuit Christus amans ut ipse, sese jam è Mariæ utero exstractum cernens, cunctas sinceri amoris regulas strictissimè observare volens, rursus amatæ suæ matri realiter, carnaliter, substantialiter secundum humanam & divinam naturam (quod constans amor exigit) inhabitaret, modum admirabilem, quamvis divinæ dignitati appareret indignus, adinvenit, ac sacramentaliter sub speciebus panis & vini corpus suum vivum, & sanguinem Deitati realiter unitum, vi verborum consecrationis constituere decrevit, & propter amatæ Mariæ tantum, quo laborabat indissolubiliter cohabitandi desiderium, venerabile hoc Sacramentum instituit: quod signum amoris profectò tale est, ut ipsi concinnè possit applicari Caroli Quinti dictum Herculeis columnis inscriptum *non plus ultrà*, hocque modo intentum suum, ut videbimus, est assequutus.

Ut autem hoc divinus amator Christus ad effectum produceret, omnes omninò divinorum attributorum exeruit vires, sapientiæ scilicet, potentiæ, & amoris seu bonitatis, quæ mirabiliter in hoc omnium mysteriorum mysterio maximo collaborarunt Proverb. cap. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, miscuit vinum, & posuit mensam.* Ipsius enim erat commodiorem hoc Sacramentum instituendi adinvenire modum, quo melior reperiri non poterat, quàm sub speciebus panis & vini ob varias rationes, quas hic subticeo, quia præsenti proposito non quadrant. Nec suo sanè defuit omnipotentia officio. Nonne enim mirabilis omnipotentiæ affectus est multum in parvo, imò & in minimo concludere? Fateor omnipotentiam suam Deus multùm manifestavit creando multa in parvo,

Prov. cap. 9. v. 1.

parvo, *creavit cælum & terram &c.* Magis tamen, quando in parvo inclusit seipsum, quem cæli capere non poterant, angusto scilicet virginali suo claustro, *& verbum caro factum est.* Maximè verò, quando suam Divinitatem, humanitati hypostatico vinculo conjunctam, cunctis fidelibus liberaliter obtulit in Venerabili Eucharistia; unde de hoc, quod Sacramentum Sacramentorum appellatur à Dionysio, potest dici, *verbum abbreviatum fecit Dominus.* Deinde, si unico verbo *Fiat* ex nihilo creatus sit mundus universus: in hoc mysterio quoque verbis substantia panis realiter transsubstantiatur in verum Christi Domini corpus, permanentibus absque ullo subjecto accidentibus. Et si de prima creatione dicitur, *ipse dixit, & facta sunt,* de hoc sanctissimo Sacramento idem dici potest, ipse dixit, *Hoc est corpus meum*, & factum est. Deinde in homine sanctitatem causare divinæ planè est potentiæ; de hoc Sacramento autem ait Propheta Zacharias: *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* (Zach. 9. 1.) Tandem quis sanæ mentis negabit, non effectum esse divinæ omnipotentiæ Deum ipsum & hominem, anteà mutabilem, passibilem, & mortalem, sub speciebus sacramentalibus immutabilem, impassibilem, immortalem, & totum in toto, & totum in qualibet etiam minutissima parte circumscriptivè collocare?

Fateor ob præallegatas rationes, divinam sapientiam & potentiam strenuè in tam profundo atque arcano mysterio laborasse, sed nisi amor volendo sese, ad illud ad effectum deducendum, determinasset, neutiquam homo cælesti hoc pane vesci potuisset. Quis enim unquam absque summo stupore excogitare valet, quòd ab homine vili, & abjecta creatura Deus ipse immortalis, & totius universi creator manducetur, & in eum quasi transmutetur? *Non tu,* inquit S. P. N. Augustinus, (S. August.) *me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Quis quæso in tantùm sublimem illum Deum humiliavit ac exinanivit? Ah reverà non nisi vehemens erga Mariam amor, *Triumphat,* inquit Bernardus, (Bernard.) *de Deo amor.* Cui concinit S. Chrysostomus: (Chrysost.) *In hujus Sacramenti institutione Christus nil amisit, quod vehementem amantem deceret.*

Amor petit ab amante, ut amato donetur (si in amantis sit potestate) bonum amoris intensioni æquale, atque correspondens, neque ullatenus quiescit, donec illud obtineat. Amor Christi Domini nostri incomprehensibilis & infinitus est erga dilectam suam Genitricem, cui ut satisfaceret, non tantùm sese infinito, & incomprehensibili modo ad extra, mediante unione hypostaticâ, communicavit, & in sacrosancto Virginis utero carnem humanam assumpsit: sed etiam, quia ille amor æternus erat, æternam cum Maria Virgine efflagitabat communicationem. Verùm quid faceret miser amans, jam à vulva dilectæ Genitricis suæ avulsus, ut amori huic satisfaceret? Ecce stupendum amor stratagema adinvenit, ut Verbum æternum sacramentaliter sub speciebus panis & vini in venerabili Eucharistia verè & realiter cum humana & divina natura in Mariæ corpore in æternum quiesceret. Cui ardenti filii sui desiderio, ut Maria, tamquam vera amans correspponderet, annotat S. Antoninus, illam indies sacrâ Synaxi fuisse refectam. (S. Antonin to. 7. Bibl. PP.) *Ad divina,* inquit, *mysteria quotidie accedebat, & filii corpus, quod prius in utero gestaverat, sic visceribus inserebat.*

Verùm cùm zelosus amans Christus per Mariæ Virginis gloriosam in cælum Assumptionem, & hoc impeditum iri animadverteret, amor novo & admirabili usus est stratagemate, modumque rursus comperit, ut in Maria Deus & homo realiter in cælis quiesceret. Verùm quem? Attendite. Narrat S. Brigitta in suis revelationibus, quomodo Maria Virgo ex hoc mundo decesserit, & ad superos assumpta fuerit, ut ab ipsamet hac de re sese testatur esse edoctam. Sic enim illam est alloquuta Maria: *Scias Brigitta, quòd ego, sumpto filii corpore, subitò exspiravi, & paucò post tempore in cælum assumpta fui, & Angelicis sociata Choris, postquam filii corpus virginali & puro ore desumpsi.* A quo verò Maria sacrosanctam Eucharistiam receperit, dubitant SS. PP. putant aliqui, Joannem fuisse Evangelistam, alii autem veriùs autumant ipsum Christum Dominum dilectæ Genitrici suæ corpus & sanguinem administrasse. Maximè enim decebat, ut ipsa, quæ Christo purissimum corpus & sacratissimum sanguinem suppeditarat, ex ejus divinis manibus vicissim Angelicum hunc cibum sumeret: ita sentit doctissimus Gerson, qui Christum matrem suam sic alloquutum fuisse dicit: *Accipe hoc chara mea, quod mox complebitur tibi in regno meo unà cum Patre meo.*

Ex hac doctrina (quam ut piam & veracem admitto ac veneror,) deduco hanc legitimam conclusio-

clusionem, ergò Christus Dominus modò sacramentaliter secundùm divinitatem, & humanitatem in cælis Mariæ Virgini inhabitat, atque in æternùm inhabitabit. Certissima hujus deductio clarissimè constabit ex hoc, quem efformo, syllogismo. Tam diu (ut omnes constanter docent Theologi) manet realiter in Eucharistia sumente verum Corpus & Sanguis Christi, ac incorruptæ perseverant species sacramentales; subsumo, atqui sacramentales species, sub quibus in puncto mortis Maria Virgo sanctissimum corpus & sanguinem filii sui sumpsit, in ea perseverant incorruptæ, ergò & verum corpus, & sanguis ejus realiter manet in Maria. Major est recepta ab omnibus Scholasticis doctrina. Minor autem facilè probatur; illæ species sacramentales vini, & panis ob temporis insufficientiam, & statim subsecutam mortem, nullatenus in Maria Virgine adhuc vivente alteratæ sunt, & sic nec corruptæ. Vix enim filii corpus ore purissimo deglutierat, subitò, ut testatur S. Brigitta exspiravit. Nec illæ etiam post mortem desierunt; cùm enim Sacrosanctum Mariæ Virginis corpus nulli obnoxium fuerit corruptioni, corrumpi non potuerunt. Mariæ enim corpus minimæ corruptioni subjectum fuisse, indignum arbitratur S. P. N. Augustinus credere, sic enim ait: *Numquid non pertinet ad dignitatem Domini Matris suæ servare honorem qui legem solvere non venerat, sed adimplere? Etenim sicut honorem Matris præcipit, ita & inhonorationem damnat. Qui in vita præ cæteris illam gratiâ conceptus sui honoravit; pium est credere, salvatione etiam in morte speciali gratia honorasse. Poterat enim à putredine, & à pulvere alienam facere, qui ex ea nascens, potuit eam Virginem relinquere; putredo enim, & pulvis opprobrium est humanæ conditionis: à quo opprobrio cum Iesus sit alienus* (ut David ait: *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*) *natura Mariæ excipitur, quam de ea, suscepisse probatur; caro enim Iesu est caro Mariæ.* Ergo species sacramentales post mortem Virginis non sunt corruptæ, & per consequens remanent. Concludo itaque legitimè & finaliter, ergo & verum reale corpus & sanguis Christi in purissima hac Virgine in cælo triumphante existit, & hoc modo zelosus hic amator in amara sua sponsa Maria in æternum requiescet, sicque abundè & affluenter constanti ac æterno ejus amori est satisfactum.

Aug. (margin)

Pulcherrimam hujus conceptus, quem forsitan exoticum & paradoxum quàm plurimi reputabunt, habemus in sacra Scriptura figuram Exodi cap. 16. ubi Deus mandat Prophetæ Moysi, ut ex cælesti Manna, quod in nutrimentum Israelitarum in deserto misericorditer pluerat, in perpetuam tanti beneficii memoriam ac recordationem asservaret: *Sume vas unum, inquit, & mitte ibi man, & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras.* Sed cur quæso Dominus Mannæ cælestis conservationem tam præcisè præcipit? Respondeo, quia cibus ille cælestis in terra promissionis deficere debebat, ex eo voluit in vase reponi, ut ad illam transportari posset, ne ejus memoria umquam deleretur. Manna est expressa figura venerabilis Eucharistiæ, cibi divini nobis in vastissimo hujus mundi deserto itinerantibus cælitus dati, omnes enim peregrinamur à Domino. At in terra promissionis, id est in cælo, Angelica hæc esca deficiet, Idcircò Christus in æternam inexplicabilis ac stupendi prorsus beneficii memoriam, nobis ex amore unius Virginis Mariæ misericorditer concessi, voluit ut in Sacro-sancto genitricis suæ vase Sacro-sanctum suum corpus & purissimus sanguis sacramentaliter in æternùm conservaretur. Ad quod alludere videtur sancta Ecclesia dum hujus dignitatem decantat: *Vas spirituale, vas honorabile, vas insigne devotionis.* Et S. Epiphanius clariùs hoc indicat dicens: *Ave Maria gratia plena vas gloriæ spiritualis, ave gratia plena Maria quæ es urna aurea continens Manna cæleste.* Ergo in hoc benedicto vase in æternam infiniti filii ergà matrem amoris memoriam, corpus & sanguis Christi realiter in sempiternùm quiescet.

Exod. c. 16. v. 33. (margin)

S. Epiph. (margin)

O stupendum verbi æterni ergà hanc Virginem amorem! magni sanè ab antiquitate æstimatus fuit celebris illius Reginæ Artemisiæ ergà dilectum virum suum Mausolum amor, quia ipsa, postquàm undequaque disertissimos oratores convocari jussisset, ut eloquentiâ sua cuncta hæroica defuncti mariti facta ediscerent, & Mausolæum tanti artificii & sumptus in ejus honorem exstrui curasset, ut inter septem mundi miracula connumerari meruerit, mandavit ossa ejus corporis in pulverem redigi, quem vino commixtum ebibit, ut cum illo in substantiam suam converso, viveret. Sed cedat hic amor Artemisiæ Christi Domini ergà Virginem amori, cùm enim ille cerneret sese cum amata ampliùs vivere non posse, ei se bibendum & manducandum, non in pul-

in pulverem redactum, sed veram & substantia lem carnem & sanguinem obtulit, idque adhuc in extremo vitæ puncto, ut æternaliter cum dilecta sua moraretur.

Promisi me ostensurum quantùm emolumenti, quantumq; utilitatis ex hoc vehementi Christi Domini ergà Mariam Matrem suâ amore mundo exundet, quod & parumper præstiti, dum ex eo nobis Incarnationis effluxisse ostendi beneficium, primum humani generis redemptionis indubiè fundamentum. Sed longo intervallo illud antecellit venerabilis Eucharistiæ Sacramenti institutio. Quod, ut clarè pateat, operæ pretium est aliquantulùm hoc beneficium perscutari. Fateor maximè elevata est humana natura per Divini Verbi Incarnationis Sacramentum: quid enim excellentiùs, quidve sublimius, quam quod hæc unita divinæ naturæ verbi subsistat hypostasi? Ex hoc namque infinita humanitatis relucet exaltatio, nimirum, quòd illa à Verbo Divino assumpta, eique hypostaticè conjuncta, eádem prorsus adoratione, latriæ scilicet cultu, quo Deus, adoretur. Verumtamen ausim dicere, multò nobilius, atque perfectius naturam humanam in venerabilis Eucharistiæ, quàm in Verbi Incarnationis arcano, fuisse elatam. In Incarnatione enim quantùmcumque nobilitetur, tamen illa divinâ naturâ semper manet inferior, hæc enim est domina, humana autem serva & ancilla, at verò, licet natura divina absolutè & simpliciter in se considerata (ut fides Catholica docet) semper humana sit altior, atque sublimior; in hoc Sacro sancto tamen Eucharistiæ Sacramento, eò usque extollitur & elevatur caro, ut ibidem sit prior, quàm ipsa divinitas: & priori quadam adest ratione, & primo loco caro Christi, quæ est caro Mariæ, (sicque ipsa ab amante Christo in hoc, tamquam in non plus ultrà admirabiliter sublimatur) quia caro Christi Domini nostri ex vi Sacramenti, sub sacramentalibus speciebus ponitur, divinitas verò per concomitantiam, sicque carnem quasi pedissequa, cùm tamen absolutè sit Domina, honorat, sese illi infallibiliter associans.

Quòd, ut magis dilucide percipiatur, annotanda est Concilii Tridentini, & omnium Theologorum doctrina, qui unanimiter juxta Catholicam docent veritatem, in Eucharistiæ Sacramento quædam poni ex vi consecrationis, quædam verò per concomitantiam Primariè scilicet & præcipuè sub speciebus panis corpus Christi Domini constituitur, per concomitantiam autem, quia illud corpus nunc sanguini, animæ rationali, & divinitati realiter est conjunctum, hæc omnia adveniunt, & sunt sub speciebus panis, corpus, sanguis anima, & divinitas; verùm corpus, ex vi verborum, cætera per concomitantiam. Sed, si in triduo mortis Christi aliquis Apostolorum illius corpus sub speciebus panis consecrasset, fuisset corpus sine sanguine, & anima, quia tunc, nec anima, nec sanguis corpori erat unitus; tamen semper utrobique adfuisset divinitas, quia illa corpori conjuncta inseparabiliter permansit, juxtà vulgare Scholasticorum axioma, quod verbum semel assumpsit, nunquam dimisit. Et idem prorsus dicendum est de Christi sanguinis, sub speciebus vini, consecratione, vi cujus tantummodò sanguis ponitur, cætera verò per concomitantiam: ergo quantumvis anima rationalis in se considerata carne dignior sit, atque nobilior, tamen in ordine adhoc Sacramentum caro potior est & sublimior, & sic mediante illo, carnem suam, quam è purissimo amatæ suæ genetricis & sponsæ Mariæ sanguine acceperat, adeò Christus voluit honorare, ut esset tali modo anima superior, eaque illam comitaretur, ut Dominam pedissequa.

Simile planè quid contingit ipsimet divinitati, quæ licet in se cunctis superior sit, & simpliciter considerata infinitè omni creaturâ existat præstantior, in hoc tamen Sacro-sancto ac venerabili Sacramento carne est posterior, quam concomitatur. Caro enim primariò & præcipuè, ex vi verborum, huc advenit, divinitas verò per concomitantiam tantùm. Unde si divina natura modò humanam dimitteret, neutiquam illa sub speciebus Sacramentalibus poneretur. Ad quod fortè alludens Apostolus dixit: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* *Ad Philip. ca. 2. v. 7.* Cùm igitur Christus Dominus (ut suprà tetigimus) in aurea Mariæ Virginis corporis urna voluerit sacramentaliter sub speciebus panis corpus suum, in æternùm ergà illam amoris mnemosynon reponi, divinitatem suam, humanitati à Maria Assumptæ, tamquam Dominæ, quasi statuit pedissequam, ut sic sempiternùm aliquo modo posset veraciter dici, *& erat subditus illis.* *Luc. cap. 2 vers. 15.* Unde ad hoc admirabile Sacramentum attendens S. P. N. Augustinus obstupefactus ait: *Augustin.* *Reliqua Sacramenta, quæ in Ecclesia tenentur, stupenda sunt, & veneranda, sed istud tuum, Domine, præcellit universum.*

O amor quàm potens es! ô charitas quàm inextinguibilis est tuus ardor! delirasne, ô piissimè Christe, ut olim Caremanes, apud quos mos vigebat, quòd, in sinceri amoris testimonium, sanguinem è venis extrahi curarent, illumque amico offerrent bibendum? aut ut Medi, & Lidii, qui in pectore venam aperiebant, ut ex ea fluentem sanguinem amato potandum præberent? Hæc olim vana & superstitiosa apud veteres mundani amoris exstitêre indicia; verùm sanè non delirat benignus Christus, qui divino ergà Mariam Matrem ardentissimo accensus amore, stupendum illius (ut par esse æterna judicabat Sapientia) voluit reddere testimonium (ideòque non è venis tantùm, sed è toto corpore (ut ex amara illius liquet passione) pro Mariæ Virginis, totiusque humani generis redemptione, etiam usque ad ultimam guttulam, quia ex latere ejus exivit sanguis & aqua, liberaliter effudit, imò insuper etiam ipsi in venerabili Eucharistiæ Sacramento obtulit bibendum.

Sed numquid jam satis Christe? Nondum vehementes amoris tui flammæ extinctæ sunt? Nondum satisfactum est amori? Ah respondet cũ S. Chrysostomo: *Quod sufficiebat redemptioni, non satis erat amori.* Et rectè sanè, si enim Timantes energiam amoris in schola Atheniensium explicans, docuerit dona amantium debere esse non communia, sed totaliter singularia, cum & hoc totum nobis dederit propter illam: ut verus amans eam ultra vulgare & commune extollens, auream urnam, aut vas Moysaicum, in quo cæleste illud Manna proprii corporis sui, & sanguinis (quod ei peculiare ac speciale est) in singulare amoris signum constituit, ut suprà dictum est.

Chrysost. hom. 126.

Æternum hoc profectò, ô Maria! & particulare donum, quod per te nobis temporaliter fateor esse commune, mirabilem tuam denotat dignitatem, ac stupendam deprædicat excellentiam. Permitte mihi tamen obsecro, ô pissima Domina, ut de sublimitate, & præstantia cœlestis & divini doni, atque de infinito illius pretio mihi liceat succinctè differere & parumper à laudibus tuis deflectere, mox ex dictis meis illas resumpturo.

Quòd omnia totius universi terrena, atque cælestia dona hoc donum & munus, scilicet corpus, & sanguis Christi longè antecellat, satis clarè patet ex Genesi cap. 28. ubi refertur, quod Dominus Deus in fidelis famuli sui Patriarchæ Jacob servitii remunerationem, ei omnes promiserit mundi thesauros, & quasi in totum universum absolutum dominium. *Terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo, eritque semen tuum, quasi pulvis terræ.* Nec hoc adhuc satis est, *respicit*, inquit *omnes partes terræ, dilataberis ad orientem, & occidentem, & septemtrionem, & meridiem benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ.* Jacob expergefactus, miratus tam liberalem sibi à benigno Domino factam esse promissionem, in hæc verba prorupit: *Verè Dominus est in loco isto.* Verùm, quod hic notatu dignissimum est, quòd tot temporalium bonorum repletus, adhuc de vitæ nutrimento anxius dicat: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum &c. erit mihi Dominus in Deum.* De hoc sanè responso quàm plurimum admiratus, cogor ad te exclamare, ô Patriarcha! omnes tibi patent, ex Dei infallibili promissione mundi plagæ, divinoq; oraculo terrenis divitiis affluenter ditaris, & adhuc necessitatem times, ut panem rogites, *si dederit mihi Dominus panem ad vescendum?* An forte Deus tibi tot addicit regiones adeò steriles, ut earum nulla frumenti segetes productura sit?

Gen. c. 28. v. 13. — *Vers. 14.* — *Vers. 16.* — *V. 20. & 21.*

Doctissimus Rupertus ut sincerum Patriarchæ Jacob animum, ac absconditum in præfata responsione contentum mysterium manifestet, revocat nos ad cap. 27. Gen. ubi describitur planctus, & ejulatus primogeniti illius filii Esau. Ipse enim cernens sibi à Jacob Isaac patris præreptam esse fraudulenter benedictionem, totus desolatus, profusis lachrymis ad patrem exclamat: *Numquid unam tantùm habes benedictionem pater?* Respondet Isaac Esau: *Frumento, & vino stabilivi eum, & tibi post hæc fili mi ultra quid faciam?* Quo audito, Esau, cùm, ut inquit Scriptura, ejulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum: *In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper, erit benedictio tua.* Ecce hîc expressè Isaac primogenito Esau dat terræ, & cæli, bonorumque quàm plurimorum benedictionem, quomodò itaque dicere potuit, *& tibi post hæc fili mi ultra quid faciam?* An forsitan prima, quam Jacob impertitus est benedictio, quæ in frumenti & vini consistit abundantia, illam fratris Esau antecellit? Hæc omnia, inquit S. Paschasius, non litteraliter, sed mysticè sunt intelligenda. *Hoc est*, inquit, *apertè dicere, firmavi eum pane corporis Christi, vino sanguinis, tibique autem filio ultra quid faciam?* Hic enim appositæ sunt

Gen. c. 27. v. 37. — *Paschasius de corpore & sanguine.*

sunt omnes divinæ magnificentiæ, ac benevolentiæ, à summo Hercule columnæ non plus ultra, ac in hoc Sacramento omne planè bonum possibile & conceptibile delitescit.

Hujus mysticæ & spiritualis benedictionis patris sui Isaac adhuc memor Jacob, temporalem benedictionem, terrenaque mundi quasi contempsit, & spiritualem dumtaxat, scilicet panis ad vescendum, id est, sacrosanctum Christi Domini corpus sub sacramentalibus speciebus requiescens, prophetico exoptavit spiritu, & ideo cum emphasi protestatus est: *Si dederit mihi Dominus ad vescendum, tunc erit mihi Dominus in Deum.* Ac si diceret: quid mihi cum orientali & occidentali, septemtrionali atque meridionali terra, quid mihi proderunt inanes divitiæ, & omnium rerum copia, quæ tantùm corpori meo deserviunt, si anima mea fame pereat, careatque cælesti illo Angelorum cibo, quo aliquando pascentur felices posteri. Hæc omnia fluxa sunt, & reputanda ut stercora, sed si dederit mihi Dominus sese ipsum incarnatum bibendum, & edendum, erit mihi Dominus in Deum. Sic erudité explicat doctissimus Rupertus: *Panem subinde postulans, haud dubium, quin divino afflatus spiritu, Christum ipsum in Sacramento Altaris expetebat, de quo dixit, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Hoc prorsus admirabile mysterium, hoc inauditum divinæ benignitatis beneficium prophetico Osæas providens spiritu, præ nimio stupore quasi in extasim raptus clamat: *Et pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in novissimo dierum.* (*Osea 3. 5.*) Verùm quodnam illud tam excellens, tamque magnificum bonum, quod universum mundum in admirationem rapere valet? Respondet ad hoc Propheta Zacharias: (*Zach. 9. 17*) *Quid enim bonum ejus est & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum.* Quod S. P. N. Augustinus explicans ait: *Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet, quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensæ hujus pertinet.* Hoc enim corporis & sanguinis Christi Domini nostri præstantissimum beneficium summoperè admirabitur posteritas; (*Aug. l. 19. de civ. Dei cap. 28.*) *Stupebunt super dono*, ait S. P. N. Augustinus, *quo reficientur fideles in novissimo dierum*, scilicet post adventum in hunc mundum veri Messiæ Christi. Ac si diceret, omnes pavebunt, & obstupescent, dum ipsammet divinam substantiam homini vilissimæ creaturæ in spiritualem escam sub speciebus panis & vini fore concessam, fidei oculis intuebuntur. Quod sanè mysterium tantum in se comprehendit beneficium, ut illud unicum cætera omnia longo intervallo superare asserat S. P. N. Augustinus: *Dicere audeo*, inquit, *quòd Deus, cùm sit omnipotens, plus dare non potuit, cùm sit sapientissimus, plus dare nescivit, cùm sit ditissimus, plus dare non habuit.* (*Aug. lib. 18. de SSS. Trinit. Idem tr. 86 in Hip.*) Ecce quàm disertè ac divinè Augustinus attestetur, Christum Dominum, ut ardentissimo in Mariam matrem suam amori satisfaceret, omnes prorsus omnium attributorum vires exeruisse.

Et illud tam magnificum in nos beneficium Propheta David appellat multiplicationem divinæ misericordiæ, dum dicit: *Multiplicasti misericordiam tuam Deus*: (*Ps. 35. 8.*) vel, ut legit textus Hebraicus, *extendisti misericordiam tuam Deus*, sicut & ipsamet Veritas attestatur, *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*, Ad quod doctissimus Theodoretus ait, *ut vitam habeant in Incarnatione, abundantiùs habeant in Eucharistia.* (*Theodor.*) Et sanè quanto cum fundamento dici queat in hoc augustissimo Sacramento, *extendisti Deus misericordiam tuam*, in Incarnatione nimirum demonstratam, ad oculum clarè patêre videtur. *Extendisti* primò, ô benigne Deus, *misericordiam tuam* quoad subjectum, quia in Incarnatione unica sola humanitas divinæ naturæ hypostaticè fuit unita, in venerabili verò Eucharistia omnes dignè illam sumentes specialiter uniuntur Divinitati per gratiam sacramentalem. Quòd clarè insinuat Cyprianus his verbis: *Sacramento invisibili divina sese infundit essentia, ut ad veritatem sincerior pateret accessus, & usque ad societatem germanissimam ejus hac unitus perveniret.* (*Cypr. tra. de hoc Sacramento.*) Secundò *extendisti misericordiam tuam*, in agente, Incarnationem enim sola Sanctissima Trinitas, Mariâ Virgine humanitatem subministrante, operata est: hoc autem admirabile Eucharistiæ Sacramentum omnes omninò legitimi Sacerdotes etiam quàm maximè indigni, & summi peccatores, conficiunt. Tertiò *extendisti misericordiam tuam* in facilitate, quia hîc non requiruntur legationes Angelicæ, nullus expetitur consensus, nullæ prorsus desiderantur dispositiones, sed paucis verbis, suppositâ necessariâ consecrandi materiâ, & ministri intentione perficitur. *Extendisti* quartò *misericordiam tuam* quoad locum, etenim per Incarnationem ad certum locum, & ad designatam

tam determinatur humanitas personam, verùm venerabilis Eucharistia non dumtaxat concessa est uni loco, uni populo, uni civitati, sed ubique, & in diversis plane locis totaliter integra reperitur. Tandem *extendisti misericordiam tuam* quoad tempus, etenim Incarnatio semel facta, nunquam fuit reiterata; at hoc sacrosanctum Sacramentum indies in Altari à Sacerdote renovatur, & usque in finem mundi conficietur, juxta il-
Matt. 28. v. 20. lud Christi dictum: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, à cujus promissionis adimpletione, nec tot millenis indignè hoc sacratissimo Sacramento fruentium sceleribus, nec innumeris illud pollutis manibus contrectantium irreverentiis, nec tot impiorum Sacerdotum sacrilegiis revocari unquam poterit. Unde Vatablus loco *extendisti misericordiam tuam*, legit *complevisti misericordiam tuam*, id est, hoc Sacramentum columnas in Ecclesia benignitatis & beneficentiæ divinæ collocat Herculeas, *Non plus ultra*. Quod & de Christo illud in ultima cœna instituente loquens, satis aperte innuit Evangelista Joannes: *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos*,
Rup. in c. 13. Ioan. 13. 1. id est, *ad extremum*, ait Rupertus, *id est, dilectionem erga eos eò usque perfecit, ultra quod non potest augeri.*

Potest itaque ad hominem clamare benignissimus Deus noster, sicut olim Patriarcha Isaac ad filium suum Esau, *Pane & vino stabilivi te, & tibi post hæc fili mi ultra quid faciam?* Ecce, omnimode completa est mea misericordia, & divina bonitas, ditissimus quidem sum, plus tamen dare non habeo, quàm meipsum. Quod ponderans
Cypr. loc. citato. Luc. 14. 17 S. Cyprianus in hæc verba Lucæ: *Parata sunt omnia*, ait, *quomodo omnia, si tantùm unum ferculum exhibetur?* Et respondet, *quia Deus hîc nobis datur, & Deus omnia est.* Potest quoque & homo tam cælesti saginatus animæ alimento, ad Deum vociferari ad instar Miphiboseth Saulis filii ad Davidem, regalibus mensæ illius cibis refe-
2. Reg. 19. v. 8. ctus: *Posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ, quid ergo habeo justæ querelæ, aut possum ultra vociferari ad Regem?* Quidquid enim boni, quidquid magnifici humanæ naturæ concedi potest, in hoc solo sacrosancti Corporis cibo, ac pretioso Christi sanguinis potu, quàm perfectissimè continetur.

Soph 1. 7. Hinc exclamat Propheta Sophonias: *Silete à facie Domini, quia preparavit Dominus hostiam.* Quibus verbis alludere videtur ad planctum, gemitum, & lachrymas Psalmistæ, Psalm. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum* Psal. 41. 4.
dicitur mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? Ac si diceret, Gentiles & infideles me continuò contumeliis afficiunt, & visibiles & plurimos Deos suos demonstrantes, ad me clamant, ecce, ô David, Dii nostri, dic tu nobis, *Ubi est Deus tuus?*

Verùm benignissimus Deus desiderantium oculorum Deum intuendi lachrymas absterfurus, non tantùm in carne humana comparuit infantulus in præsepio, ut dici tunc temporis verissimè posset, *Ecce Deus meus*, sed sollicitus quoque de futuro, sese sacramentatum nobis in venerabili Eucharistia exhibuit, ut petenti, *ubi est Deus tuus?* quàm promptissimè respondeatur, ibi in Hostia consecrata sub speciebus panis & vini est *Deus meus*. Desiste itaque, ô David, à lachrymis, jam enim tandem aliquando exoptatum illud advenit tempus, quo quilibet veraciter dicere potest, ibi est *Deus meus*. Hoc expresse vaticinatus fuit Propheta Isaias: *Auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui au-* Isa. 25. 8.
feret ab universa terra. Quasi diceret, Deus id efficiet, ut cunctanti, ubi est Deus tuus, possis ô homo eum indigitare, *& dicet in illa die, ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, & salvabit nos.* Bene itaque ait Sophonias: *Silete à facie Domini, quia preparavit Deus hostiam.*

Propheta David describens omnia in hominem collata beneficia, concernentia Messiæ adventum, ait: *Et erit firmamentum in terra in* Psal. 91. 16
summis montium, ubi vertit S. Hieronymus: *Erit memorabile triticum.* Aut alii, ut Vatablus: *Erit placentula tritici in capitibus Sacerdotum*; id est, veniet aliquando fœlicissimum illud ævum, quod videre desiderârunt multi hujus mundi Reges, & non viderunt, quo apparebit mirabile triticum, scilicet Verbum Incarnatum sacramentalibus obtectum speciebus, quod Sacerdos supra capitis sui verticem attollendo populo fideli publicè ostentabit. Quibus dictis, Deo mille David apprecatur benedictiones, ingentesque, in quantum potest, tam mirifico benefactori refert gratias: *Sit nomen ejus benedictum in sæcula, ante* Vers. 17.
Solem permanet nomen ejus. Et immediatè pòst universum populum ad tanti beneficii recognitionem, & ad gratitudinem adhortatur: *Omnes* Vers. 18.
gentes magnificabunt eum. Sed hîc non sistit,

verùm

verùm rursus ad Benefactoris laudes regreditur, sese nihil pro tanto favore dixisse reputans:
Vers. 19. *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.* Nec adhuc contentus, sæpe sæpius divina reiterat encomia: *Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, & replebitur majestate ejus omnis terra.* Et tandem Psalmum finiens exclamat: *Defecerunt laudes David filii Iesse*, Hebræus legit, *Defecerunt preces David*, ac si diceret, non est, quòd ultra aliquid gratiæ, aliquid beneficii petam, hoc mirabile Sacramentum compendium est omnium bonorum. *Silete*, itaque, ut admonet Sophonias.

Audivistis, ô Auditores, mirabilem Dei nostri erga Genitricem suam amorem, intellexistis quoque credo, numquam satis æstimandum ex eo cunctis Christi-fidelibus proveniens emolumentum, ex quo scilicet, tamquam ex scaturiente fonte, non tantùm Incarnationis, sed & venerabilis Eucharistiæ Sacramenti ad nos promanavit beneficium. Quod dum attentâ mente considero, Mariamque totius hujus boni auctricem contemplor, cogor ipsi illa Divi Pauli de Christo
Rom. 8. 32. dicta appropriare verba: *Quomodo cum ea non nobis etiam omnia donavit.* Quod cùm ita sit, nonne meritò ô Christiani inter nos, de Mariæ Virgini gratias agendi modo, cum Tobia juniore possumus consultare, *Per ipsam omnibus bonis*
Tob. 12. 3. *repleti sumus, quid ergo poterimus ad hoc illi dignum dare?* Sed heu, quid quæso miser homuncio pro tanto Christi & Mariæ offeret amore? Plinius ait: *Vinci in amore turpissimum est.* Et Sidonius: *Mutuo amore certandum est. Quia cùm in cæteris rebus turpe, tum fœdissimum perquam est, in dilectione superari.* Ama itaque ô homo Christum, ama illius matrem Mariam, & hoc sufficit: amor enim non nisi amore recompensari potest.

Hunc ergo nostrum ex intimo corde unigenito tuo Christo, & tibi, ô piissima Virgo, vovemus amorem, simulque libellum supplicem humiliter offerimus, & memorem reddimus dicti Regis Pharaonis ad Patriarcham Joseph, quo ei, in frumenti, pro penuriæ tempore asservati præmium, plenariam in totum Ægypti regnum donavit potestatem, ac jurisdictionem. *Terra Ægypti in conspectu tuo est*, (de patre ejus Jacob & Gen. 47. 6.
fratribus in Ægyptum confugientibus loquitur) *in optimo loco fac eos habitare.* Tibi supplicamus, ô benigna Virgo, ut devotorum tuorum recorderis. Ad te enim certissimè clamat Pater æternus, ô Maria, tu frumentum Electorum, Verbum Incarnatum, Unigenitum meum in ardenti uteri tui fornace igne Spiritus Sancti, tu illud mundo famelico præ hujus penuria pereunti produxisti, tu adhuc modò illa urna aurea es, illud vas admirabile, in quo repositum Verbum sub speciebus panis in æternum permanebit, & qui creavit te, non tantùm requievit, sed & requiescet in tabernaculo tuo. Cælum in conspectu tuo est, fac devotos tuos in optimo loco habitare, æternæ scilicet beatitudinis: tu enim ô Domina, omnia potes, cùm enim amoris adhuc altera sit conditio, juxta Aristotelem, ut amans operetur bonum ad alium, ut objectum amatum, omnia Christus summus amans ad tuum nutum ex amore exequitur, ut in sequenti jamjam Concione ostendam.



CONCIO

CONCIO XIV.

THEMA.

Voluntas Domini in manibus ejus dirigetur.
Isa. cap. 35.

ARGUMENTUM.

Tam eximius est Christi Domini erga Matrem suam Mariam amor, ut omnia dona cælestia, ac beneficia non nisi per manus illius elargiatur.

NArrant Bordonius & Sabellicus duo celeberrimi de admirabilibus Italiæ Scriptores, apud Simonem Majolum, Venetiis juxta maris portum altissimam turrim miro artificio, ac stupendâ industriâ erectam fuisse, cujus tectum purissimo auro cernebatur coopertum. In illius verò apice Angelus omni vento versatilis, ex auro quoque confectus visebatur, qui mare remeantibus, non portum Venetiarum duntaxat, verùm etiam favorabilem, eò, pro temporis diversitate appellandi ventum procul ostentabat. Nec mirum, quia tantus splendor auri de die, radiis Solis super illum reflexis, eminebat, ut intuentium oculos quasi obfuscaret. De nocte verò suâ luce densissimas tenebras depellebat. *Summus apex*, inquiunt, *adeo sublimis erat, ut fulgore auri, quo illitus erat, ad ducenta stadia ex alto navigantibus, velut saluberrimum occurreret sydus, sedentemque in summo vertice Angelum habebat versatilem.* Hanc asserunt turrim minimè, nec in artificio, nec in latitudine, nec in altitudine, nec in pretio cedere debuisse turri Faro, inter septem mundi miracula computatæ, & sumptibus immensis Ptolomæi Philadelphi, arte verò famosi Sostrati architecti ædificatæ.

Sed, quid aliud quæso est anima nostra, nisi mera navis, inter turbulentas ac furiosas tempestuosi hujus mundi maris fluctuans procellas? *Marc. 6. v. 47.* Marci cap. 6. *Erat navis in medio maris.* Et Prov. *Prov. 31. v. 14.* cap. 3. *Facta est sicut navis institoris de longè portans panem suum.* Imò profectò navis est anima nostra, habens pro nauta Christum, pro puppe Evangelium, pro anchora fidem, pro malo Sacramenta, pro velo gratiam, pro vento Spiritum Sanctum, pro portu paradisum. *Non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus,* *Hebr. 13. v. 14.* ait Apostolus. Sed heu! non desunt in vastissimo hoc mundi oceano syrtes tentationum, rupes libidinum, charybdes concupiscentiæ, undæ tempestuosæ inordinati appetitus, & vehementes venti superbiæ, quæ omnia huic navi hostiliter insidiantur, & æternam minantur ruinam. Sed, quis naviculam hanc ad æternæ salutis portum deducet? Ah, non nisi Maria, illa enim est altissima turris, quæ eximio luminis divinæ gratiæ suæ fulgore nobis miseris peccatoribus in hoc mundo naufragantibus opitulatur, rectamque cæli semitam deviantibus demonstrat. Ob quod ipsa quoque Stella maris appellatur. *Tale est officium stellæ nostræ Mariæ*, inquit S. Bonaventura, *quæ navigantes per mare mundi in navi innocentiæ, & pœnitentiæ dirigit ad littus cælestis patriæ.* *S. Bonav. in specul. Virg.* Ipsa est turris illa Venetiana, cui insidet Angelus testamenti, & pacis Christus Dominus noster, omninò versatilis, & ad omnem ventum, ac flatum hujus Dominæ patrocinio, atque intercessionis, ad misericordiam mobilis. Nec mirum: veri enim amantis est, inquit Aristoteles, *amato omnia concedere.* Amans Mariæ est Christus, ergo ipsi omnia concedit. Sed nec hoc tantùm, verùm ita, ut quod à nobis

nobis ab ipso petitur, per ejus interventum velit contribui, quod apertè testatur sanctus Bernardus dicens: *Deus nihil nos habere voluit, quod*
S. Bern. *per manus Mariæ non transiret.* Fretus itaque tanti sancti irrefragabili authoritate hoc propheticum tibi, O Maria Virgo! decantatum encomium, *Voluntas Domini in manibus tuis dirigetur* adscribam, cujus, ut ego modò possim aliqualem experiri effectum, obnixè per te rogo Spiritus sancti auxiliũ, ut aliquantulùm queam ostendere, quàm propriè tibi illud conveniat.

Voluntas Domini in manibus ejus dirigetur.

PRopheta Moyses enucleatè, & ad amussim descriptâ totius mundi machinæ & protoplasti Adami, quem Deus absolutum paradisi terrestris constituerat Dominum, creatione, non sine profundo mysterio, signanter annotavit præstantissimum hoc opus è potentissima supremi artificis manu nondum ad plenitudinem suæ perfectionis (quamvis nobili rationali creaturâ Adamo scilicet adornatum) productum fuisse: verùm pro ultimo complemento necessariam ab ipsa increata sapientia, in ejus & maximè quidem ipsius hominis incrementum, fulcimentum mulierem esse judicatam Gen. cap. 2. *Non est bonum homi-*
Gen. c. 2. v. 18. *nem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Quem locum, licet litteraliter de Eva Adami adjutorio unanimi consensu intelligant, quàmplurimi mysticè eum de Christo & Maria interpretantur asserentes, quod sicut status naturæ hominis non erat sine fœmina perfectus, sic nec status gratiæ sine Maria: non ideò tantùm, quia ipsa gratiam nobis, mediante sanguinis filii sui effusione, quem ipsi subministravit, fuerit quasi promerita, sed quia filius matrem suam infiniti omnium suorum meritorum thesauri constituit Dominam, & omnium cœlestium donorum, ex vehementi ergà
Dionysius. eam amore, dispensatricem juxtà Dionysium: *In manibus ejus sunt omnes thesauri miserationum Dei;* sicque censetur Maria in æternæ fidelium salutis
Bern. super missus. cooperatione perfectissima coadjutrix. Audite de hoc mellifluum Doctorem. *Sufficere poterat Christus, siquidem & omnis sufficientia nostra ex eo est.* Sed nobis non erat bonum, hominem esse solum, & miseris peccatoribus necessaria prorsùs erat piissima illa mulier Virgo Maria, quæ duritiem sævientis in scelera eorum Dei, benignè deliniret, &

gratiarum privilegia in nos abundanter effunderet, ita ut & ipsa sibi juremeritò illud Christi posset appropriare: *Omnia mihi tradita sunt à patre* Matt. c. 11
meo. Vereque & pater æternus, in amoris tesseram v. 27.
filii sui genitrici Mariæ potest adscribere, *filia tu semper mecum es,* scilicet in Conceptione, in Nativitate, & in toto vitæ tuæ discursu. Et idcircò
Omnia mea tua sunt. Tu Domina es, & plenaria Luc. c. 15.
divinarum gratiarum administratrix, tu tuis pro v. 31.
libitu eas effunde ac elargire.

Nec hoc unquam diffitebitur pius de tanta matre filius, verùm ipsemet illud idem clarissimè, in ejus prorumpens encomia, protestatur Cant. cap. 4. *Emissiones tuæ paradisus pomorum punico-* Cant. c. 4.
rum, cum pomorum fructibus, id est, inquit Ruper- v. 13.
tus: O Maria omnimodè admirabiles sunt gratiæ ac benignitatis tuæ profusiones, omne bonum in nos per te penitùs redundat, steriles arescerent in miserrima hac vita animæ nostræ, nisi tu, ô Virgo benigna suavi ac cœlesti clementiæ tuæ imbre illas continuò aspergeres, atque fæcundares. *Quidquid enim gratiarum,* ait, *quidquid virtutum, quid-* Rupert. in
quid operationum cælestium mundus accepit, emissio- hunc lo-
nes tuæ sunt, & ubi prius erant spinæ, & vepres, & cum.
universitas nequitiarum, ibi sunt cyprus cum nardo, crocus & cinnamomum, & balsamum cum aloe, id est, septem Spiritus sancti dona cœlestia, Ac si diceret, omnia, ô dilecta sponsa, à te proveniunt odorifera virtutum aromata, omnis animæ nostræ decor à te resplendet, voluntas enim Domini in manibus tuis absolutè dirigitur, unde in persona Christi ad te clamat, ô Virgo, Propheta Regius:
Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate Psal. 72.
tua deduxisti me. v. 14.

Dum hanc eximiam Mariæ Virginis Dei genitricis prorogativam attentiùs contemplor, mihi videtur cœlestem sponsum Christum Dominum, amatam suam sponsam eo modo honorasse, sicut magnum Alexandrum dilectum suum amicum Ephestionem encomiasse referunt veteres Historiæ. De hoc narrat celeberrimus scriptor Quintus Curtius, quod potentissimus ille Rex Persarum Darius plurimis sanguinolentis præliis quantoties superatus, tandem ab Alexandro vivus captivus, unà cum uxore, & filiis in illius potestatem devenerit. Hic ultimâ hâc percussus clade, Alexandrũ veniam & vitam humiliter rogaturus adire statuit, cumque jam victoris regium ingrederetur tentorium, quisnam inter tot Principes, ac bellorum Duces Alexander foret, conspicatus, oculos

diligenter in Ephestionem conjecit, cujus regali forsitan Majestate, aut secundùm alios (ut suprà tetigi) nimia illorum faciei similitudine deceptus fuit. Hic retrogrediens, neutiquam ausus sibi regiam dignitatem arrogare, Alexandrum ibi adstantem modestè indigitavit: cumque Darius percepto errore, illius commissam culpam diluere tentaret, ei blandè Alexander arridens, respondit: *Non errasti, ô Dari, quia Ephestio est unus Alexander, & Alexander unus Ephestio.* Quibus verbis Darius, animo resumpto, pro vita instare perrexit, cui Alexander, ut quantâ apud Imperatorem unus Ephestio polleret potestate, palam ostenderet, altâ voce dixit: *Rectè Ephestionem rogasti, nam tu hostis meus es: ego judex tuus sum, in manibus Ephestionis salus tua & mors, nam divisum Imperium possidet alter ego:* ac si diceret, ô Dari, arbitrabaris fortè te inaniter ante Ephestionis pedes fuisse provolutum, sed protestor, prudenter & rectè egisti, ego enim tantum amicum, justi mei in te contumacem furoris moderatorem constitui, ego uni Ephestioni vitæ & mortis tuæ decretum in manus tradidi. Eum roga, illi supplicare, quidquid ipse de te statuerit, ego regiâ authoritate sine cunctatione confirmo.

Haud aliter inquam, cum amata sua sponsa egit filius ipsius Christus, ille enim (ut latiùs suprà ostensum est) judicii severum sibi retinuit imperium, Matri verò Mariæ absolutum in divinam misericordiam tradidit dominium, illamque suæ voluntatis in cœlestibus donis elargiendis deputavit directricem. Ac proinde videor eum ad te exclamantem audire, ô peccator, tu lascive, tot carnalibus immerse peccatis, tu vindicative, cujus manus proximi sanguine plenæ sunt, tu invide, qui in fratrum tuorum prosperitate doles, & adversitate gaudes, tu blaspheme, qui insulso ore Deum ipsum temerariè fuisti execratus, toties me tot, tantisque intollerabilibus sceleribus ad iracundiam concitasti, & modò manus tuas ad me pro venia ac indulgentia deprecatorias extendis? attende, attende ô peccator, ipsæ adhuc manus tuæ fædo sanguine consperssæ in conspectu meo comparent, id est, peccatis obnoxiæ sunt: quapropter eas quantocyus retrahe. An nescis meum esse judicare secundùm allegata & probata? & me debere retribuere unicuique secundùm opera ejus? justitia apud me residet, hujus dominium mihi retinui; quod si ergò misericordiam inquiras, ah accurre, ô homo scelerate, adinstar alterius Darii ad Ephestionem, ad dilectam dico genitricem meam Mariam, illam deprecare, quia ipsa misericordiæ absoluta est Domina, omnis gratiæ & veniæ dispensatrix, & in manibus ejus vita & mors tua: ut ipsamet gloriatur, *qui invenerit me, invenerit vitam.* Prov. c. 4. v. 35.
Quidquid de te statuerit, ô peccator, ego in justissimo sanctissimæ Trinitatis tribunali ratum ac firmum habeo; quia ut rectè ait Isaias: *Voluntas Domini in manibus ejus dirigetur.*

Pro hujus doctrinæ ac conceptus majori confirmatione ac clariori dilucidatione, notatu dignū est, cur Evangelista Lucas admirabile Divini Verbi Incarnationis describens mysterium *cap.* 1. tam accuratè nomen sponsæ exprimat, *nomen Virginis Maria.* Luc. c. 1. Quod tamen tam alto suppresserat silentio legatus ad Mariam Angelus Gabriel, dumtaxat dicens; *Ave gratiâ plena.* Hoc enim neutiquàm suo, dicendum est, caruisse mysterio. Non ignoro pro Evangelistæ accurata Mariani nominis manifestatione, secundùm SS. PP. interpretationem non incongruam posse allegari rationem, scilicet, quod ipse apprimè cognoscens admirabilem hujus nominis *Maria* efficaciam, mirificumque ex ejus pronuntiatione nobis continuò redundans emolumentum, voluerit id modò patefacere, ut incessanter illud in ore nostro in omni necessitate haberemus. De hoc enim ait S. Bonaventura: *O celeberrimum nomen Maria! quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam devotè nominari non potest, sine nominantis utilitate. Testatur hoc tuus Bernardus, dicens: O magna! ô pia! ô multùm laudabilis Maria! tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te.* S. Bonav. in spec. Virg. c. 8. Cui concinit Idiota: *Dedit tibi Maria, tota SS. Trinitas nomen, ut in nomine tuo genu flectatur. Hoc nomen super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, ungit agonistas, jugum diaboli excutit. Tantæ virtutis est & excellentiæ, ut cœlum rideat, terra lætetur. Angeli congaudeant ad illius pronuntiationem.* Idiota l. 3. bibl. PP. c. 5. Hanc opinionem quamvis cum reverentia libenter acceptem, & fortè à meo non adeò longè aberret conceptu; attamen, quia nomen illud ab Angelo subticetur, ad nostrum institutum propositam difficultatem ex antiqua Romanorum lege enodabo.

Celeberrimus author Plutarchus testatur, Romanos quodam publico edicto sub pœna capitis vetuisse, ne quis umquàm Deum, cujuscumque urbis Romano Imperio subjectæ tutelarem nominaret, Plut. lib. Probl.

naret,

naret. Contra quod præceptum, cùm temerariè deliquisset Valerius Soranus, miserè interiit, ut referunt Historici. Rationem autem, ob quam tantâ diligentiâ studebant Dei tutelaris nomen occultare, assignant Plinius & Macrobius. Mos vigebat, *Plinius & Macrobius.* inquiunt apud Romanos, quod hi, cùm civitatem aliquam obsidebant, sedulò nomen Dei illius tutelaris indagarent, quo cognito, in castris aras sumptuosas exstruebant, ac in iis Deo isti solemnia sacrificia offerebant, illumque summâ quâ poterant veneratione adorabant; hâc cæremoniâ stultè credebant eum ad castra sua allicere, sicque tutelam obsessæ urbis avertere: quâ persistente, omnem civitatem prorsus fore inexpugnabilem constanter asserebant; & idcircò Romani nomen tutelaris Dei urbium suarum strictissimè jubebant subticeri, ne simili stratagemate umquàm civitas ab hoste expugnaretur.

Hæc Romanorum superstitio, quamvis maximè irridenda, non nihil præsentem dilucidat quæstionem. Inexpugnabile erat cœlum per primi nostri parentis Adami lapsum mirabiliter munitum & arctissimè clausum: ille fortissimus Hercules, qui illud vi expugnaret, nusquam reperiebatur, nec enim Adam ejusque posteri armis naturæ legis, nec Araham circumcisionis, nec Moyses legis scriptæ illud intercipere potuerant, nec modus cœli januas pandendi supererat. Nomen enim Deæ cœli tutelaris ignorabatur; at benignus & misericors Deus nobis per Evangelistam illud patefacit, ut ejus cultu & veneratione cœlum strenuè expugnare valeamus, *Nomen Virginis Mariæ*, Angelus verò illud nomen occultat, quia nondum hæc Virgo Mater Dei, dum eam salutabat, effecta erat, apprimè enim noverat cœlestis paranymphus, solam Dei genitricem Deam cœlorum fore tutelarem, cujus operâ & cultu supernæ januæ reserari debebant; Joannes autem jam Verbi Incarnationem describens, liberè matris Dei cœlestis regni Deæ tutelaris nomen exprimit: ac si ad nos clamaret, ô homo, cœlestem paradisum intercipere desideras, cole, invoca, venerare Mariam. Hæc enim est suprema cœli Regina Hæc est, quæ ejus portas tibi aperiet. Quod & apertè attestatur Sancta Ecclesia, quæ de Maria illud celebre decantat elogium, *fælix cœli porta.* Unde Deæ nostræ tutelari Mariæ optimè appropriare possumus illud Davidicum: *Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam.* *Psal. 117. v. 20.* Eja ergò ô Christiani, insistite Romanorum vestigiis, zelum eorum hostem suum devincendi, attentâ mente recolite. Offerte Mariæ Virgini cœli patronæ & Dominæ, solemnia devotionis sacrificia, non falsè, ut olim Romani, sed veraciter credentes, vos mediante illius cultu & nominis invocatione, infernalem hostem, ac universas tenebrarum potestates potenter debellaturos, cœlumque ipsum operâ, atque adjutorio hujus Deæ tutelaris viriliter expugnaturos. Attendite ad S. Bernardi salutare consilium, *Maria non recedat à corde, non recedat ab ore.* *S. Bern.*

SS. PP. & S. Scripturæ Interpretes curiosè indagant, cur Christus Dominus spiritum ultimum suum emisisse dicatur, inclinato capite? Ut solus inter omnes Evangelistas tam signanter annotat Joannes. Ad quod quæsitum varii varias adferunt subtiles rationes. Scilicet, ut hoc signo eximium suum etiam ergà crucifixores, ac blasphemos cruci adstantes Judæos manifestaret amorem. Moris enim erat apud antiquos, ut amicus super amici exspirantis faciem recumbens, ab eo ultimum halitum exciperet, Christus itaque hoc amicitiæ, utporè clavibus cruci affixus, & per consequens impeditus, testimonium ipsis præbere non valens, saltem faciens quod in se est, benedictum suum caput inclinat, ut sese ostendat paratissimum esse, toti mundo cunctisque indifferenter hominibus spiritum suum communicare. Sic sentit Tertullianus. *Tertull.* Alii verò dicunt, ut sic Longino, tristi huic spectaculo præsenti, pretiosissimum aquæ & sanguinis, id est, baptismi & venerabilis Eucharistiæ thesaurum, in latere suo delitescentem monstraret, & ad illud aperiendum invitaret, ut factum est, teste Joanne: *Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* *Ioanne c. 19. v. 34.* Ita S. Epiphanius.

Sed his aliisque piis SS.PP. interpretationibus omissis, ad institutum meum magis mihi arridet doctissimi Hugonis de hoc sententia, qui asserit Christum Dominum sacrosanctam genitricem *Hugo.* suam Mariam, perennem omnis misericordiæ & pietatis fontem, ac gratiarum atque indulgentiarum liberalem dispensatricem hoc nutu designasse, atque ei in manus à SS. Trinitate supremum in misericordiam traditum esse dominium, judicasse. Clamarat enim piissimus Jesus, toto corpore dirè dilaniatus, & crucis trabi affixus, pro rabidis illis canibus, crudelissimis Judæis, simul ac pro universis totius mundi peccatoribus, rogans veniam & misericordiam à Patre æterno: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* *Lucæ c. 23 v. 34.* Verùm ob tam enor-

enormia scelera, atque abominandas impietates
obturatas reperiens divinæ misericordiæ aures, de
tanto patris rigore conquestus, in has querelas
Matth.c. erupit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliqui-*
27.v.46. *sti me?* Sentiensque sibi imminere ultimum vi-
tæ terminum, tùm mundo unicum misericordiæ
refugium benedicti capitis inclinationis signo o-
stendit. Ac si diceret, ô homo! audivisti me
clamantem ad patrem pro venia & delictorum
tuorum remissione, *Pater dimitte illis,* nec tamen
precibus meis paternum furorem totaliter delini-
vi. Ecce decedo ex hac vita rediturus ad patrem,
ab eoque severi judicis officium accepturus; tui
tamen memor, Matrem meam Mariam pietatis &
benignitatis abyssum tibi relinquo, illamque in-
clinato capite indigito, ac tacitè ad te clamo: ad
eam, tanquàm ad tutissimum asylum, fiducialiter
accurre, ad hanc confuge. Audi jam præfati Do-
ctoris verba: *inclinato capite tradidit spiritum ex*
Hugo. *parte matris, quasi diceretet, per ipsam veniam pe-*
tite, ipsa est oraculum misericordiæ. Deus itaque
regnum suum & imperium, quod ex misericor-
dia & justitia constare perspicuum est, juxtà illud
Davidicum, *misericordiam & judicium cantabo tibi*
Ps. 100. *Domine,* divisit, sibi ac filio justitiā reservans, quem
v. 1. judicem universorum, mundiq; correctorem con-
stituit, teste Joanne: *Arguet mundum de peccato,*
Joan.c.16. *& de justitia, & de judicio.* Alteram verò partem,
v.8. scililicet misericordiam, Reginæ cœlorum geni-
trici suæ liberaliter concessit. Unde non immeritò
de ea dici potest, *constituit illam Dominam domus*
Psal. 104, *suæ, & Principem omnis possessionis suæ.*
v. 21. Ad hoc propositum divinè quadrat curiosa
Gregorii Nicodemiensis Episcopi de Mariæ Vir-
ginis in templo Jerosolymitano repræsentatione
annotatio, cujus gloriam & magnificentiam sem-
per maximam perstitisse asserit, & probat ex ipsius-
met veritatis testimonio. 2 enim Paral. dicitur,
2. Paral. *elegi locum istum mihi in domum sacrificii.* In hoc
c.7.v.12. loco, si quis à via sua pessima ad me reversus, pro
delictorum suorum venia deprecatus fuerit, eum
quàm promptissimè exaudiam, illiusque misere-
bor: *Ego exaudiam de cœlo, & propitius ero pec-*
Vers. 14. *catis eorum* Et iterùm: *Oculi quoque mei erunt*
v. 15. *aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui*
v. 16. *in loco isto oraverit. Elegi enim, & sanctificavi*
locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiter-
num. Deinde in hoc Dei templo divina oracula
Josephus audiebantur, ut narrat Josephus, quæ omnia ta-
de antiq. men, inquit Gregorius, tunc temporis, dum be-
nedicta hæc puella à matre sua Anna in templo
præsentata est, quasi evanuerunt, atque divina
oracula omninò obticuerunt: ita ut deinceps am-
plius non sint exaudita, omnisque gloria, & ma-
jestas Dei, quæ tempore Salomonis templum im-
pleverat, visa est tenerrimæ huic puellulæ Mariæ
affulgere. Sed quæ quæso tam stupendi eventus
ratio? Quodnam inauditi hujus portenti myste-
rium? Audite quid de hoc sentiat præfatus author:
Postquam introductum fuit ejus spatium, quod est Greg. Nic.
vel cœlis ipsis latiùs (de Maria Virgine loquitur)
signum eorum dissolutionis, quæ in templo fieri con-
sueverunt, eam statim viderunt gloriam quâdam
suâ sponte ad eam currere, & se etiam indies priva-
ri animadverterunt oraculo. Prodigium sanè hoc
mirabile fuisse fateor, sed Mariæ Virginis exi-
miæ majestatis, potestatis, ac celsitudinis clarissi-
mum prognosticum; etenim Deus, divina ora-
cula suspendendo, nil aliud innuere voluit,
quam Mariam illam esse, cui omnis templi gloriâ,
ac prærogativa absolutè debetur, ipsique talem
concessam fore in cœlo & in terra potestatem, ut
miserias & angustias nostras sublevare, nosque
è peccatis nostris mundare possit. Et sic hoc por-
tento arbitratur Gregorius, Sacrosanctam Virgi-
nem à Deo declaratum fuisse oraculum divinæ
misericordiæ, *quia voluntas Domini in manibus e-*
jus dirigitur.

Non abs re est hic & illud annotare, quod Spi-
ritus sanctus sposam suam Mariam austro compa- Abacuc
ret, ut patet ex 3.cap. Abacuc, *Deus ab Austro ve-* c.3. v.3.
niet. Quod quamvis aliqui autument ideò fieri,
quia Auster in Hæbraico textu idem est, quod
theman, quod significat dexteram, per quod
concinnè sacræ Scripturæ Interpretes purissi-
mam Mariæ Virginis intelligunt innocentiam,
quæ etiam ab instanti suæ Conceptionis semper
fuit à dextris ipsius Dei, inter oves & justos annu-
merata, numquàm verò à sinistris, id est inter pec-
catores collocata. Divus tamen Hieronymus no-
stro argumento accommodatiorem, ut commen-
tator insinuat Robisius, rationem eruit ex hujus
venti effectu, dicens: *Auster est pincerna pluvia-*
rum. Et rectè, etenim, cùm hic dominatur, catara-
ctæ cœli aperiuntur, arida terra fæcundatur, plan-
tæ enutriuntur, arbores frondent, ac tandem pra-
ta undequaque mirabiliter virescunt. Cœlestis au-
ster verissimè est Maria, quæ nobis, tamquàm a-
bundatissima supernorum donorum pincerna, mi-
ro modo succurrit; è cœlo enim suavem gratiæ
suæ

suæ effundit pluviam, quâ, ad fertiles bonorum operum fructus producendos, anima nostra suaviter irrigatur, ac fæcundatur. Si itaque stulta gentilitas, ut referunt varii antiquitatum indagatores austro fructus terræ (ut ejusdem tutelari ac fæcundatori) offerebat: audacter assero & nos mystico nostro austro Mariæ, tamquam omnis gratiæ ac indulgentiæ elargitrici, in gratiarum actionem solemne in æternum debere offerre sacrificium.

Apoc. c. 4. v. 10. Hoc nos satis apertè viginti quatuor isti seniores videntur docere, de quibus narratur Apoc. cap. 4. quod ipsi, coram toto cælestium civium cætu, ad sedentem in throno processerint, & coronas suas aureas, quibus redemiti erant, capiti suo detraxerint, easque ante thronum humiliter deposuerint. *Et cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores, & mittebant coronas suas ante thronum.* Quòd in hac magna istorum seniorum animi submissione, aliquid lateat mysterii, aliquo modo colligere prudens lector poterit ex iis, quæ de hac coronarum oblatione supra diximus concione 6. ubi per sedentem in throno Christum, & per thronum ex Divo Bernardo interpretati sumus Mariam. Sed denuò quamplurimùm admiror, cur hi seniores, non sedenti in throno, scilicet Christo, sed ipsi throno Virgini Mariæ coronas suas obtulerint? Memini ibidem ad hoc antiquæ Romanorum triumphantium consuetudinis, qui civitatem Romanam gloriosè intrantes, veloci gradu ad Capitolium procedebant, Jovique supremo Deo, coronas suas triumphales consecrabant, inque illius sinu reponebant. Hinc Statius lib. 4. ait: *nondum gremio indica laurus est*, & Ovidius loquens de triumpho Germanici, ait: *Statius l. 4.*

Ovid. l. 4. tristium.

Indè petens arcem & delubra faventia votis.
Et dabitur meritò laurea vitta Iovi.

Hujus ceremonialis cultus & venerationis duas suprà adduxi rationes. Tertiam modò, ad præsens propositum congruam, ex Valerio Maximo proferam. Sustinens Romanos hâc vanâ & superstitiosâ religiosè olim intendisse indicare, neminem hostis sui fore victorem, nisi ope, & adjutorio summi Jovis, ideòque nullum umquam posse triumphare, nisi palàm hoc ab illo acceptum munus protestaretur; proindèque cuncti belli Duces triumphali pompâ Romam ingressi, ad Capitolium properabant, ibique in grati animi tesseram, coronas summo Jovi dedicabant cum insigni epigraphe, *nil sine Iove*: hoc modo ingenuè confitentes, sese per illius favorem, & speciale præsidium de Reipublicæ hostibus victoriam reportasse. Quem cultum si negligerent, firmiter credebant, sese Jovis, ob tantam ingratitudinem indignati, ope destituendos, & in prædam hostibus destinandos: ut contigisse olim refert Julius obsequens Cæsari Antonio. Hic enim, devicto in campo Pistoæ Catilina, ramos laureos sibi assumpsit, ac hostium portis, quos aris Jovis debebat, appendit: sed summo suo damno, paulò enim pòst ab hostibus turpiter devictus est. Hinc Quintus Flaminius, ut narrat Plutarchus, non tantùm coronam, sed & scutum suum, devicta jam Græciâ Delphis obtulit cum hac inscriptione:

Tyndaridæ Reges Lacedemonis ô Iove Creti
Veloces lati qui domuistis equos.
Hoc summum Græcis vos, libertate reductâ
Æneidos donum jussit habere Titus.

Haud aliter profectò egerunt, hi viginti quatuor in cælesti capitolio seniores, & omnes Sancti, qui Mariæ Virgini omnem omninò, quam de carne, mundo, & dæmone, in continua hujus vitæ militia victoriam reportarunt, absque fuco & dissimulatione adscripserunt, illique cunctas coronas suas, martyr nimirùm martyrii, Virgines virginitatis, Confessores constantiæ &c. obtulerunt; Protestantes ad instar Romanorum Ducum, simili in Marianæ protectionis laudem epigraphe, *nil sine Maria*, sese, non nisi ipsius ope, atque beneficentiâ crudelissimas infernalium hostium manus, & subdolas technas evasisse. Non, quia adjutorium gratiæ, ad strenuè contrà tenebrarum potestates dimicandum, nobis necessarium, ex meritis Mariæ Virginis redundat, & non ex meritis acerbæ Christi Domini nostri passionis; verùm, quia benignus filius in tantùm dilectam genitricem suam voluit honorare, ut ipsam gratiarum suarum, atque cœlestium donorum constituerit independentem thesaurariam, atque absolutam dispensatricem: idque eo fine, ut omnes Sancti electæ huic matri æternam suam salutem tamquam redemptionis humanæ coadjutrici, etiam deberent.

Unde in Mariæ Virginis reverentiam cuncti prædestinati & illuminati videntur imitati famosissimum illum pictorem Aristotelem, qui rogatus, ut Solem totius universi benefactorem in sua

majestate & debita dignitate depingeret, eum firmamento insistentem, undequaque lucidissimis circumcinctum radiis produxit, circum circà planetas, Lunam, Stellas, omniaque cœli astra Solem adorantia, eique suum lumen offerentia, artificiosissimè delineavit. Cum epigraphe, *nil sine te lucet*; quasi omnia luminosa attestarentur, solem ex se, & propria sua natura lucere, sese verò ab illo lumen suum mutuare. Sic inquam, Sancti Mariæ tamquam mystico omnis sanctitatis soli, omnem suam gloriam, ac perfectionem adscribunt, deponentes ante eum coronas suas; ac si dicerent: O Maria, *nil sine te lucet*. Per te enim *ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, qui omnis gratiæ suæ luminis te destinavit elargitricem, sine cujus adjutorio nemo densissimas inferni tenebras potest evadere, & æterno divinæ essentiæ lumine gaudere, ita aureis his verbis de te confitetur Sanctus Germanus: *Non est ulla satietas tuæ defensionis, non est numerus beneficiorum tuorum, nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, Virgo sanctissima, nemo est, qui liberatur à malis, nisi per te. O purissima, nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, O castissima, nemo est, cujus misereatur gratia, nisi per te O honestissima.* Cui disertè concinit Damianus dicens: *Evocatur cœlestis ille conventus, init Deus consilium, facit Deus sermonem cum Angelis de restauratione eorum, & de redemptione hominum, atque statim de thesauro divinitatis, Mariæ nomen evolvitur, ac per ipsam, & cum ipsa, & in ipsa, totum id faciendum discernitur, ut sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit.*

German.

Hoc Christum ipsummet Dominum, in mirabili quatriduani Lazari resuscitatione, satis apertè demonstrasse, asserit doctissimus Alcuinus. Qui subtiliter annotat, eum noluisse defunctum ad vitam revocasse, nisi Maria præsens foret. Ut patet ex verbis Marthæ, *Magister adest, & vocat te* Quid hìc, inquit, Alcuinus latet mysterii? an forsitan Christus Dominus sine illa mortuum Lazarum resuscitare non potest? Hoc asserere nefas esset. Quare itaque ipse Mariam accersiri curat? & respondet, Lazarus figura erat fœtidi peccatoris, & quia nullus peccator à morte æterna liberati, & per gratiam resuscitari valet, nisi per Mariam, eâ absente, ad minimum Mariæ nomen expostulat filius. *Dixit Marthæ, voca Mariam, ubi Mater aberat, nomen desiderat Mariæ, quia sine Maria non resuscitatur Lazarus, nec reviviscit peccator.* Sic quoque Christi in Lazarum resuscitando moram explicat S. Chrysologus: *Ubi Martha confessa est Christo, mittitur ad Mariam quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita reparari, veniat Maria, veniat materni nominis bajula.*

Joan. c. 11. v. 28.

Chrysol. serm 64.

Doctissimus Tertullianus modum orandi, quem ipsemet Christus instituit Lucæ cap. 11. attentè considerans, curiosè indagat, cur in nomine Patris rogari expresse voluerit: Pater sanctificetur nomen tuum, & non in nomine Verbi, aut Spiritus sancti? Et respondet, *sic ergò vos orabitis, Pater noster, &c. in patre filius invocatur, nec mater quidem præteritur, siquidem in filio & patre mater recognoscitur, de qua constat & patris & filii nomen.* Hâc itaque deprecandi methodo implicitè mandat Christus, ne umquam Deus ipse oretur, nisi factâ aliquali Mariæ Virginis mentione: quia scilicet per illam omnem gratiam, & omne donum cœleste nobis elargiri decrevit. Quod S. Bernardus de illa disertis verbis profitetur: *A tempore, quo Virgo Mater concepit in utero Verbum Dei, quamdam, ut sic dicam, jurisdictionem, & authoritatem obtinuit in omni Spiritus sancti processione temporali; ita quod nulla creatura aliquam obtinuit gratiam vel virtutem, nisi secundùm ipsius piæ matris dispensationem.* Hinc Divus Bernardus devotissimus ejus servus ait: *Nulla gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ.* Et S. Hieronymus in sermone de Assumptione inquit: *In Christo fuit plenitudo gratiæ, tamquam in capite influente, in Maria verò, sicut in collo transfundente.* Et infrà: *Quia talis est Mater filii Dei qui producit Spiritum sanctum, ideò omnia dona, virtutes, & gratiæ ipsius Spiritus sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, & quantum vult, per manus ipsius administrantur.* Congruè itaque huic Virgini appropriatur illud elogium, *voluntas Domini in manibus ejus dirigetur.*

Luc. c. 11. v. 2.

Bernardinus lib. de exaltatione Virg. art. 2 c. 8.

Hier. serm. de Assum.

Apud gentiles olim Deæ Junoni pavo dicatus erat, ejusque simulacro semper depingebatur vicinus. Hujus rationem insinuat Pierius: *Nonnulli confingunt, quod Juno procul dubio opulentiam significat, cauda autem pavonis, utpotè oculis plena, apprimè divitias hujus mundi adumbrat;* ipsæ enim in se omnium oculos rapiunt, ac proinde Junonem, tamquam unicam affluentiæ, ac opum clargitricem, summo cultu adorabant. Quod cæca & stulta gentilitas de Junone confinxit, Catholica Religio rectè de Maria Virgine credit, quæ ideò ipsius

Pierius.

ipsius puerulum Jesum in manibus depingi, ac sculpi curat, omnium cœlestium divitiarum per ennem fontem, ut illam totius gratiæ thesauri dispensatricem fore insinuet.

Ut autem symbolica pavonis similitudo apertiùs innotescat, annotanda est quorumdam lectio, *Cant. c. 5. vers. 14.* qui illud, quod de Christo dicitur; Mariæ quoque Virgini adscribentes, *manus ejus tornatiles aureæ plenæ hiacinthis*, legunt ex hæbraico, *manus ejus cauda pavonis*. Quod perinde est, ac dicerent, in manibus Mariæ repositas esse omnes cœli divitias, eamque illas nobis liberaliter erogare, alludentes ad pavonis caudam, verum opulentiæ symbolum. Unde, sicut Rex Ninus, ut refert Theodorus Siculus; sine consensu, & interventione Siramis, & Cyrus sine Aspasiæ, & Cæsar Augustus sine Liviæ beneplacito nullam gratiam reis impertiebantur, nullumque gratuitum donum elargiebantur: sic & supremus Rex, & Imperator noster Deus nullum nobis concedit beneficium, nullam donat gratiam, nisi per Mariam. Testis hujus rursus est *Bern. ibid.* S. Bernardus, dicens: *Cùm tota natura divina, totum esse, posse, scire, & velle divinum, intrà Virginis uterum extiterit clausum, non timeo, quòd in omnium gratiarum effluxus, quamdam jurisdictionem habuerit hæc Virgo, de cujus utero, quasi de quodam divinitatis Oceano, rivi, & flumina emanant omnium gratiarum.*

Gen. c. 32. v. 26. & 27. Expressam hujus habemus figuram Gen. cap. 32. ubi narratur mysteriosa illa lucta, inter Deum in forma Angeli apparentem, & Patriarcham Jacob, à facie irati fratris Esau fugientis; etenim cùm jam aurora elucescere utcumque inciperet, Dominus ait, *dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Verùm instat Jacob pro cœlesti dono, dicens: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Cui dominus, ergò quod nomen est tibi? Respondit: Iacob, ait ille, nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Quoniam, si contrà Deum fortis fuisti, quantò magis contrà homines prævalebis?* Ac si diceret Dominus, O Jacob! O homo (benedictionem, superna dona, gratiam, misericordiam & benignitatem à me expostulas, dimitte me, id est, desine ad me vociferari, jam enim ascendit splendidissima illa aurora, totans totem divinæ gratiæ Maria Virgo, mea genitrix, illam deprecare, illam invoca, & quidquid petieris indubiè im- *Anselm. de Concept. Virg. c. 12.* petrabis.

Hoc asseveranter de mirabili Mariæ in Deum potestate loquens attestatur S Anselmus.. *Scimus* *S. Bern.* *Beatam Virginem tanti esse meriti & gratiæ apud Deum: ut nihileorum, quæ velit efficere, possit aliquatenùs effectu carere.* Et D. Bernardus idem confirmat dicens: *Non deest Mariæ potestas, quia Mater est omnipotentiæ: nec impetrandi industria, quæ Mater est infinita sapientiæ, nec voluntas, quia Mater est summæ misericordiæ.*

Ingeniosè satis confinxit doctissimus Poeta Claudius, ut Augerianus refert, Deos quondam irâ accensos sese ad bellum præparasse, atque variis armorum generibus, ad quoscumque hostes profligendos apprimè præmunivisse. Mars, omnium in belligerando coriphæus, acutissimum suo lateri ensem accinxit, Neptunus tridens, Vulcanus martellum, Mercurius chaducæum, Hercules clavam, Jupiter verò ignita fulmina assumpsit. Verùm, dum jam cuncti ad strenuè in hostes irruendum pariter essent proclives, & accincti, repentè coram illis venusta Dea Venus secum amorem trahens splendidissimis armis indutum, comparuit: quorum fulgore perterriti Dii, arma è manibus suis cadere permiserunt. Descripsit hoc figmentum eleganter Poeta Augerianus his versibus:

At cum visus amor fuit in fulgentibus armis,
Nec non accensa lampade pulchra Venus:
Privatur Thyrso Bromius, Mars ense, tridente
Neptunus, fulmine dextra Iovis.

Haud aliter accidit Sanctissimæ Trinitatis tribunali: etenim quoties omnes divinæ personæ, justissimâ irâ in mortalium scelera concitatæ, ad vindictam non armantur? Ah quoties Pater æterni supplicii fulmen in te ô, abominande peccator, quatere jam jam non est paratus? Qui illicitis tuis voluptatibus, iniquis contractibus, usuris, odiis, & sacrilegiis unigenitum suum filium, tuumque redemptorem, rursùs crudeliori, illâ, quam à Judæis passus est in cruce, morte afficis? Ah quoties in judicium non exurgit verbum Christus Dominus, justus omnium judex à patre destinatus, & contrà te, ô scelerate munde universas non armat ad vindictam creaturas, qui toties pretiosum, pro te acerbissima suæ passione effusum sanguinem, fœdè conculcas? Quoties proh dolor! justissimè non excandescit Spiritus sanctus, dum tu, ô homo peccator, continua ejus dona, charismata, omnemque prævenientem, excitantem, ac adjuvantem recalcitrando, aspernaris gratiam? Quoties inquam, tota Sanctissima Trinitas in tuum sempiternum, quasi ut ita dicam,

non

non conspirat exitium? At ecce, ubi ad justitiæ hoc rigorosum comparet tribunal, pulcherrima illa Venus Maria, non tantùm amoris Mater, Deus enim charitas est, verùm etiam ipsamet in abstracto charitas, ut Pagninus docet, qui, in loco, *ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam*, legit, *ne suscitetis charitatem*, & Vatablus quoque, *ne suscitetis dilectionem*, fortissima arma amoris patri æterno exhibet, tot materna in unigenitum filium, per totum vitæ decursum demonstrata pietatis officia, repræsentans, filiumque Christum illâ carne, quam ex proprio sanguine ipsi, ex purissimo amore communicavit, & uberum suorum dulcissimo lacte, quo eum tanto tempore enutriit, acriter oppugnat. Ostendit inquam, dilecto suo nato eburneum illum ventrem, numquam satis laudarum, in quo fulmen illud cæli, verbum æternum, quod ignis consumens est, pacificè novem mensibus delituit, Spiritui S. similiter splendididissima amoris objicit arma, utpotè quæ, in tàm admirabile Incarnationis mysterium, ipsius cooperatione, complendum, perfectum præbuit consensum, & expressam suæ propriæ voluntatis, cum ipsius ostendit conformationem. (quod & amori esse proprium declarabo in concione sequenti) Angelo enim annuntianti Virgini, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, ipsa respondit, *ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Unde tunc, cum Maria, adhuc in carne degente, jam Verbi Divini Matre, hoc consensu mediante effectâ, egit Spiritus sanctus, sicut Eliezer, Abrahami servus cum Rebecca. Huic enim sponsaliorum munera non distribuit, nec ejus fratribus, nec matri aliquod donum ex iis, quæ secum asportaverat obtulit, nisi priùs matrimonialem audivisset consensum: *En Rebecca coram te est, tolle eam, & sit uxor Domini tui, sicut locutus est Dominus*. Quo facto, mox toti Rebeccæ familiæ mirificam suam liberalitatem ostendit, omniaque dona accuratè distribuit, *prolatis*, ait Scriptura, *vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus, & matri dona obtulit*. Tùm inquam, dum exclamavit Maria, *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, cælestis ille Eliezer, à tota Sanctissima Trinitate Incarnationis mysterii deputatus executor Spiritus sanctus, non tantum Matri verbi, nec patris filiæ, sed & propriæ sponsæ, in amoris pignus, omnes supernæ aulæ thesauros, omnia dona, omnia privilegia, ac gratias in manus tradidit, ut pro suo libitu, universæ Christianæ Ecclesiæ ea posset absolutè, cui vellet, abundanter effundere. Hoc matrimoniali contractu, ac sponsalitio munere, his amoris armis à Maria efficaciter oppugnata, quid resistet Sanctissima Trinitas? audeo sanè dicere tribus divinis personis omnis ad vindicandum potentia (cum sale loquor) ab hac Virgine eripitur. Etenim è patris æterni manibus ignitum iræ fulmen, innumera ergà filium charitatis demonstrata excutiunt beneficia. Filii excandescentiam sedat pectoris ac materni uteri ostentatio. Denique Spiritum sanctum sponsæ reciprocus in sponsum, ad extraordinariam benevolentiam provocat amor, totumque ut uno verbo concludam, armis vindictæ per Mariam exarmatur cœlum, & infernus. Testis hujus asserti adest Mariæ dilectus S. Bernardus, dicens: *Irascatur dæmon, imperversetur in nos Deus, Maria ab his omnibus intercessione nos liberat & defendit*. Hujus genuinam assignat rationem, *non potest esse repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia*. Optimè itaque Mariæ illud Isaiæ attribuitur encomium, *voluntas Domini in manibus ejus dirigetur*.

Cant. c. 1. vers. 3. — *Gen. c. 24. vers. 51. v. 53.* — *Bern. ser. 3 in Cant.*

Ex his omnibus, quæ in hac concione in Marianas laudes produxi, facillimum erit, intentionem Christi Domini (dum discipulos suos modum securæ, ac quietæ in hoc mundo vitæ transigendæ, divino suo adhibito consilio, his verbis edoceret, *estote prudentes sicut serpentes*) expiscari. In hunc enim locum, quem primo intuitu quilibet reputaret facilem explicatu, sicut plurimos Interpretes, ita & plurimas discrepantes reperio interpretationes. Pro quibus declarandis, non nihil serpentis naturam, ac quasdam ejus inquirere operæ pretium est proprietates. Et in primis, apud veteres authores serpens immortalitatis clarissimum habebatur symbolum. Hujus Hieroglyphici rationem ex fabula quadam hauriunt. Fingunt Poetæ mortales olim à Diis instantibus precibus impetrasse, ut perpetuò juventutis munere gauderent, atque ita numquam imposterùm senio contabescerent; hi verò cùm quasi immortalitatem supremi Jovis benignitate è cœlis accepissent, adeò imperiti fuerunt, *ut eam*, authore Pierio, *asino vectandam commendarint, hunc verò siti confectum, ad fontem quemdam pervenisse, in quo serpens, loci custos, statuam habebat custodiam, cùmque indè bibere tentasset, à serpente prohibitum, neque aliâ conditione bibendi facultatem illi factam, quàm ut id omne, quod vehebat onus, angui mercedis nomine concessisset. Ex eo indè tempore angues senectute singulis annis abjectâ juvenescere, homines verò*

Matth. c. 10. v. 16. — *Pier. l. 14.*

verò senio confectos, emarcescere. Ad quod infortunium alludens Poeta Tibullus canit:

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas.
Cur nos angusta conditione sumus?

Ex hoc inferunt plerique graves authores Christum judicasse, cùm Apostolos suos admonuit prudentiæ his verbis: *Estote prudentes sicut serpentes*, illos non imitari debere stolidum asinum, qui inæstimabilem immortalitatem pro vili aquæ haustu vendidit, ut plerumque, imò & promiscuè apud mundanos contingit, qui pro vilissima re, minima scilicet carnis voluptate, aut pro fluxis hujus mundi divitiis, vel honoribus æternam gloriam spernunt: verùm serpentem, perituris permansura, tempori æternitatem proponentem sequi, hominemque oportere æternæ, ac perennis (ad quam creatus est) satagere beatitudinis, *estote prudentes sicut serpentes.*

Alii illum locum interpretantur hoc modo. Quòd, sicuti serpens, ex naturali suo instinctu, omnia totius corporis sui pro capitis tutela ac defensione (ut naturalistæ asserunt) membra exponit, ita hominem Christianum absolutè decere, non tantùm bona temporalia, & terrena, sed etiam sanguinem & vitam pro militantis Ecclesiæ capite, cujus membrum est, Christo Domino liberè expendere: *Estote prudentes, &c.* rursùs, quidam ex alia serpentis naturæ proprietate fundamentum consilii Christi Domini tectè elicere autumant. Serpens enim singulis annis, ut docet Pierius: *Cutem suam veterem exuit, sicque iterùm juvenescit.* Quod confirmat Tertullianus: *Quâ depositâ*, inquit, *serpens locum mutat, ne cutem videat*, aliamque sibi seligit degendi cavernam veritus nè, antiquo ergà veterem suam pellem amore ex illius intuitu reviviscente, illam reassumeret; & ita denuò odiosâ senectute gravaretur. Hoc nobis spiritualiter imitandum fore, inquiunt, inculcat divina & infinita Sapientia hisce verbis: *Estote prudentes sicut serpentes.* Quasi diceret, ô peccatores, *exspoliate vos veterem hominem cum actibus suis*, id est, deponite fætidam & squallidam pravæ habitudinis cutem, deserite carnalem vestram concupiscentiam, & illicita exuite desideria, *& induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* Sed & in hoc vobis prudentiâ astuti serpentis quàm maximè necessaria est, scilicet, ut illa, quæ peccandi ansam & occasionem subministrant loca, & perversorum consortia, prorsus sicut pestem fugiatis, ac evitetis, ne jam induto novo homine justo, rursùs arreptâ peccandi occasione, veterem hominem cum actibus suis, id est peccatorem, cum iniquitatibus suis induatis. Omnes hæ fateor præfati loci dilucidationes atque interpretationes optimæ sunt, & quàm maximè morales; verùm ad meum propositum incongruæ. Idcircò aliam aptiorem proferam. Pro cujus intellectu.

Tertull. de cultu fœminarum c.2.

Ad Coloss. c.3. v.9.

Ad Philip. c.4. v.24.

Advertenda est astutia, & prudentia venefici istius serpentis diaboli. Ille enim, dum ruinam humani generis meditaretur, ac Adamum ad lapsum pertrahere invidus conaretur, non Adamum, sed fœminam Evam accessit, cultè tamen, ut primâ fronte apparet: quoniam plurimi Theologi & SS. PP. sustinent, si Eva sola peccasset, Adamo in justitia originali manente, peccatum originale in Adæ posteros non fuisse transfusum. Unde videtur, quod serpens rectiùs & prudentiùs immediatè Adamum, & non Evam, ad vetiti ligni esum allexisset. Astutè tamen egit cum muliere, utpotè infirmiore serpens, firmiter credens, sese per illam blanditiis, & suavibus sermonibus gratissimum pomi gustum describentem, virum quoque ad divini mandati prævaricationem producturum, sicque intento suo, scilicet totius generis humani ruinâ & lapsu potiturum; ut de facto contigit, comēdit illa, deditque viro, qui etiam illud deglutivit. De hoc serpente in præsenti loquitur Christus: *Estote prudentes sicut serpentes*; ac si diceret Apostolis suis, omnibusque Christianæ doctrinæ sequacibus (ut quondam ex nimio amore, & honore, quem genitrici suæ Olympiæ deferebat Alexander Magnus, pro quocumque beneficio supplicantibus dixit, *consulite Matrem*, innuens sese eâ inconsultâ, nil favoris & gratiæ umquam elargiri) O dilecti filii mei! si in necessitatibus, & angustiis vos inveniatis, si peccatis & sceleribus onusti, timidi estis divinum Sanctissimæ Trinitatis tribunal pro deprecanda gratia accedere: ad Mariam Matrem misericordiæ recurrite, ut sicut prima mulier totius generis humani deservivit callido serpenti ad lapsum, & damnationem, ita hæc vobis apud æternum patrem propitia sit ad gratiam, & beatitudinem. Ego enim justitiæ, & judicii munus assumpsi, illi traditus est infinitus omnium gratiarum thesaurus, & in manibus ejus voluntas Domini dirigitur. Sic hoc ad nostrum institutum egregiè & appositè explicat Nycephorus: *Multa petuntur à Deo, nec obtinentur, mula petuntur à Maria, & obtinentur, non quia potentior sit, sed quia* Niceph. de laud. Virg.

Deus eam decrevit ſic honorare, ut ſciant homines omnia per ipſam obtineri poſſet à Deo Hoc totum pulchrè quoque confirmat S. Bernardus aureis hiſce verbis, *intuere ô homo conſilium Dei, conſilium pietatis, ille cæleſti rore arcam rigaturus totum vellus priùs infudit, redempturus humanum genus pretium univerſum contulit in Mariam. Quare? Fortè, ut excuſetur Eva per filium, ut querela viri adverſùs fœminam deinceps ſopiretur? piiſſimum ſanè conſilium, ſed & aliud latet, nec totum hoc eſt. Intuemini igitur, quanto devotionis affectu eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria.*

Bern. ſuper Miſſus.

Pulchram hujus habemus figuram Numerorum. c.12. ubi narratur, quod Deus iratus in Aaronis ſororem Mariam, jam leprâ percuſſam, illam à communi populi congregatione exulare mandarit: *Separetur ſeptem diebus extrà caſtra & poſteà revocabitur.* Sed notatu hic digniſſimum eſt, quòd totus Iſraelitici populi exercitus, illo Mariæ exilii, ac à caſtris ſeparationis tempore, etiamnum ad terram promiſſionis avidè anhelantis, immobilis ſteterit. *Et populus non eſt motus de loco iſto, donec revocata eſt Maria.* Quod certè ſuo neutiquam caret myſterio; cur enim filii Iſrael adeò terræ fluentis melle & lacte avidi, propter Mariam ſeptem diebus itineri moram injeciſſent? Intentum Iſraelitarum parvulâ quâdam pandam Hiſtoriolâ. Alphonſus Rex Aragoniæ tàm ardenter uxorem ſuam Lucillam adamabat, ut nulli reo, ad ſuum juſtitiæ tribunal acceſſum concederet, pro gratia & venia ſupplicaturo, niſi, per cubiculum ejus tranſiens, ipſi libellum ſupplicem obtuliſſet. Quod ſi negligeretur, nil favoris erat exſpectandum. Unde Aragoniæ Regni primas & primus Regii gubernii moderator, pro reo deprecaturus ad Alphonſum pergere cernens, ſalutatâ quidem, ſed non obſecratâ Lucillâ ad cæteros aulicos converſus altâ voce dixit: *O miſer, viam ſpernis, ad gratiam non pervenies.*

Num. c. 12. v. 14.

Verſ. 15.

Eodem planè modo egit omnipotens cum Iſraelitis, & modò agit nobiſcum, qui ad pergendum ad terram promiſſionis ſolito eos deſtituebat ſubſidio, donec, ut ait Scriptura, *revocaretur Maria.* Ac ſi ipſi, ut fingunt Poetæ tamquam alteri Deæ Dianæ, in biviis ſedenti, viam itinerantibus oſtentandi munus, deputaretur. Quòd ſanè factum eſſe, non ob iſtius Mariæ Aaronis ſororis reverentiam, umbræ & figuræ tantùm Mariæ Chriſti Matris, ſed ob hujus perfectiſſimæ creaturæ reſpectum, conſtanter aſſerit doctiſſimus Liranus: *Benè populus non eſt motus de loco illo: donec revocata eſt Maria. Ex quo patet impedimentum itineris ex reverentia ad Matrem.* Indicat itaque Spiritus ſanctus hoc myſterioſo facto, neminem poſſe ad terram promiſſionis, id eſt, ad cœleſtem beatitudinem pervenire, niſi per Mariam, quam viam ſi ſpernat, ad gratiam iſtam non perveniet ait Damianus, *ſine hac totum tibi clauſum eſt itinerarium Dei.* Hæc enim porta eſt, per quam neceſſariò intrandum eſt. Audi etiam de hoc S. Bonaventuram: *Nullus poteſt jam cœlum intrare, niſi per Mariam tranſeat, tamquam per portam, ſicut enim Deus ad nos venit per ipſam: ita per ipſam oportet nos redire ad Deum.*

Liranus in hunc locum.

Bonav. in c. 1. Lucæ.

Unde, ſicut David ad Abner deſiderantem pacificari locutus eſt, appoſitâ hâc fæderis conditione, ut habetur in ſacra Scriptura: *Ego faciam tecum amicitias, ſed unam rem peto à te, dicens, non videbis faciem meam, antequàm adduxeris Michol filiam Saul: & ſic venies, & videbis.* Ita pariformiter ad nos miſeros peccatores clamat benignus Deus: ô homo, tu amicitiam meam deſideras, tu beatifica divinæ meæ eſſentiæ, in ſubſtantia unius, & in perſonis trinæ, ex animo expoſtulas frui viſione, *non videbis faciem meam &c. niſi tu attuleris tecum Mariam,* id eſt, niſi ad me acceſſeris manibus plenis eleemoſynis, in honorem genitricis meæ pauperibus diſtributis, non videbis faciem meam: niſi cùm oblatis Miſſæ ſæpè ſæpiùs in Mariæ reverentiam ſacrificiis in conſpectu meo compareas, non videbis faciem meam: & ut paucis abſolvam, niſi in intimis pectoris tui penetralibus eximiam ergà illam devotionem in hac vita exhibeas, & cultum tantæ Virginis, tantæque Matris reverentiam (quæ cæli feneſtra, porta, ſcala à SS. PP. nuncupatur) Trinitatis tribunali in fæderis æterni pignus offeras. Quod ſi adduxeris Mariam, audies à me, ut Abner à Davide, delicioſa & ſuavia hæc verba? ſic venies, & videbis. Quia voluntas Domini in manibus ejus abſolutè dirigitur, nec Deus hominem quidquam gratiæ, quidquam beneficii habere voluit, niſi quod per Mariæ manus tranſiret.

2. Reg. c. 3 v. 13.

Quod, cùm ita ſit, quid nos puſilli tantæ benefactrici, tam liberali cœleſtium donorum eleemoſynariæ retribueremus? Tobias junior à patre ſuo ſedulò conſultus quid Raphaeli Archangelo (quem juvenem & hominem fore arbitrabatur) ob tot collata in totam familiam beneficia, in gratitudinis teſſeram rependeret? Præſtiti in tam faſtidioſo ac longo itinere ſervitii magnitudine oppreſſus, re-

ſpondit,

dit, ut sacra nobis enarrat Historia: *Pater, quâ mer-*
Tob. c. 1. v. 2. & 3. *cedē dabimus ei?*] *Aut quid dignū poterit esse beneficiis ejus? Me duxit, & reduxit sanum, pecuniam à Gabele ipse recepit, &c. te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus, quid illi, ad hæc poterimus dignum dare?* simili modo, si à quopiam interroger, quam mercedem dabimus Mariæ? Coarctor illius mirifica in genus humanum unico verbo recensere beneficia, & cum juniore Tobia exclamare, quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Illa enim nos miseros peccatores ex intricato hujus mundi labyrintho, ad instar alterius Ariadnæ, Theseum incolumem educit, & ut secunda Diana, rectam ad cœlestem portum deviis demonstrat semitam: per illam (ut jam satis abundè probatum est) nobis datur inaccessibili illo cælesti lumine, id est intuitivâ divinæ & increatæ essentiæ frui contemplatione; denique per illam, ut paucis perstringam, omnibus omninò bonis repleti sumus, utpote, quæ mundo peperit Christum Dominum nostrum, primævum omnium cælestium gratiarum fontem, cujus, ex ipsius quoque favore & reverentia, pretioso corpore & sanguine, in vitam æternam, indies saginamur. Per ipsam nobis Deus necessariam divinæ suæ gratiæ pecuniam, sine qua cæleste regnum neutiquam comparare
Vers. 6. valeamus, liberaliter elargitur &c. Quid ergò illi ad hæc poterimus dignum dare: attendite, ô Christiani ad illud, quod Raphael Tobiæ dedit consilium: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Hoc idem vobis dono: benedicite Deum cæli, qui sibi talem, tamque dignam elegit matrem, quæ omnis misericordiæ ac divinæ pietatis constitui meretur thesauraria. Benedicite Deum cæli, qui nos per Mariam in æternum jucundissimo vult gaudēre Sanctissimæ Trinitatis consortio. Benedicite Mariam cæli Reginam, quæ gratiæ suæ affluentiâ è ceno nostrorum peccatorum nos ad supremi regni elevat fastigium. Colite sine intermissione Mariam, per cujus manus omnia ad nos dimanant dona cælestia. Intonate quotidie pro gratitudinis cantico in mariæ laudem illud, quod Bernardus cantat Christo Domino: *Non affectu tantùm sed & effectu rependo amorem amori.*

Quod tamen exiguum est apud S. P. N. Augustinum eruditè dicentem: *Et qui fieri potest, ut anima non diligat eum, à quo tantùm dilecta est, & non amat amantem se?* Quam Augustini doctrinam arripiens Bernardus ait: *Solus est amor ex omnibus animi moribus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere authori, vel de simili mutuam reddere vicem. v. g. si mihi irascatur Deus, num illi similiter irascar? Non utique, sed pavebo, contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur à me, si me judicet, non judicabo ego eum, sed adorabo. Is salvans me, non quærit à me ipso salvari. Nunc videat de amore, quàm aliter sit, nam cum amat Deus, non aliud vult, quàm amari.* Cum itaque, ut latè probavi, Maria Virgo intensissimè nos amet, ipsaque sit omnium donorum & gratiarum perennis fons, diligamus illam ex toto corde, ut ferventiorem ejus ergà nos excitemus charitatem. Quia sicut scitè Africanum testatur sydus S. P. N. Augustinus: *Nulla major est ad amorem invitatio, quàm amantem amore prævenire.* Eja itaque, ô Christiani, cordibus nostris insculpamus divina jamjam præallegata Augustini verba: *Et qui fieri potest, ut anima non diligat eam, à qua tantùm dilecta est?* Atque piissimis hisce S. Ephraim verbis nostram ergà eam quotidie protestemur devotionem: *Ex brachiis equidem maternis tibi, Domina mea, deditus sum miserabilis, & cliens tuus vocatus, ne malevolus satanas me ad infernales portas abducat, Tu enim meus portus, ô Virgo inviolata, & præsens auxiliatrix. Denique sub tutela, & protectione tua totus sum. Crebris lachrymis, ô celeberrima mater, imploro & advolvor tibi Domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, & vita omnium dator ob multa, quæ patravi scelera, tollat me de medio, & miseram animam, ut leo deripiat, vel, ut sterilem ficum infelicem me exscindat. Sed obsecro, ut Christum meum adeam, & subeam aulas illas beatorum, ubi non sunt lachrymæ, non vexatio, non mors, non tormenta, non locorum angustiæ, sed lætitia, inexhausta voluptas, justorum deliciæ, & exultatio, splendor, & gloria.* Quam nobis per te ô Maria præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu S. vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Bernard. serm. 13. in Cant.

August. in solil. c. 3.

Bernard. serm. in Cant.

August. de Cathech. c. 4, 8. Ephraim.

CONCIO DECIMA QVINTA.

THEMA.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Luc. cap. 1.

ARGUMENTUM.

Ex præfatis verbis dilucidè deducitur perfectiſſima Mariæ Virginis voluntatis cum divina conformatio, atque reciprocus illius in filium ſuum amor.

ACcurati ac curioſi naturalium rerum, eſſentiarum, & proprietatum indagatores ſuprà cæteros flores, maximè heliotropium, ob admirandum illi ab authore naturæ inditum inſtinctum, extollunt. Etenim. ut ait Plinius, hic flos ex naturali, ac ingenito impulſu, adeò ſupremi ſyderis amans eſt, ut ad illius motum pariformiter ſeſe moveat, tunc quoque, cum illud denſis aeris nubibus involutum, radios ſuos ad terram dimittere non valet, iſto verò ad occaſum pergente, folia ſua contrahit, & cum eo quaſi occidit. Quo oriente, denuò quaſi reviviſcit, & folia expandit. Hoc inſtar cujuſdam naturæ miraculi æſtimat Plinius, cujus verba ſunt: *Heliotropii miraculum ſæpius diximus cum ſole ſe circumagentis, etiam nubilo die, tantus ſyderis amor eſt* Hinc ab aliis naturaliſtis ſoli ſequa, & à quibuſdam umbra ſolis nuncupatur. Hæc ſtupenda iſtius floris natura anſam Ægypriis præbuit, illum concordis naturæ rerum ſublunarium cum cæleſtibus, ſtatuendi hieroglyphicum, teſte Pierio: *Vt intellectu alia, vi rationis alia, alia natura, alia ſenſu, ſuperioribus devincirentur, & ſuam quæq; conãcordi affectarent.*

Plin. lib. 22. c. 21.

Pier. l. 58.

Maria Virgo flagrantiſſimus totius univerſi flos eſt; ipſamet enim de ſe teſtatur, *ego flos campi.* Sed qualis flos, obſecro ô adjutores, eſt maria? Ecce ait *& lilium convallium*, cui & aſſimilatur ab ipſo ſponſo, *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Et rectè ſanè liliũ appellatur, quia hieroglyphici illud ſpei ſtatuerunt certiſſimũ ſymbolum, ut rurſus atteſtatur Pierius dicens: *Si ſpes, ut Sneuſippus Platonicus definit, eſt exſpectatio boni: velut è converſo, metus, animi concuſſio, eſt exſpectatio mali, ſique floribus inſpectis, uſum inde fructuum ſpectare ſolemus, nulli dubiũ erit, quin flos ſit futuri boni nuntius*, Nonne ergò Maria flos & lilium? Nonne ei apprimè congruit hieroplyphicum ſpei, quandoquidem de ea Catholica cantet Eccleſia, *Spes noſtra ſalve*? Indubiè: quia ut jam oſtenſum eſt, quidquid nobis æternæ ſalutis affulget fiduciæ, à Maria promanat; voluntas enim Domini in manibus ejus dirigitur. Et quamvis unicuique flori illud non incongruè poſſit adſcribi, particularius tamen ex antiquorũ opinione lilio appropriari debere, cenſet Pierius, ut ex ejus verbis liquet, *in antiquorum monumentis cum inſcriptione ſpei, lilii potiùs figuram, quàm alteriùs cujuſdam floris ſpeciem oſtentat: nam in numo Imperatoris Alexandri pii Auguſti ab altera facie Dea lilium dexterâ prætendit, cujus inſcriptio eſt ſpes publica.* Ideò Maro cùm conceptam de Marcello ſpem ſignificare intenderet, in fine verſuum concluſit:

Cant. c. 2. v. 1.

Pier. l. 55.

Pierius.

—— Si qua fata aſpera rumpas
Tu Marcellus eris manibus date lilia plenis.

Hinc lilia, ait Pierius, poſcit Anchiſes, quibus donis nepotis animum cumulet, ut inde præreptam iri ſpem publicam populi Romani indicaret. Hic Flaccus cùm ſpes noſtras ſæpe fallere animadvertiſſet, indoliſq; bona de manibus

manibus sæpè rapi aspexisset postquam vivax apium, breve mox lilium subjecit.

Cogitaveram plurima alia veterum hieroglyphica, de lilii natura & proprietatibus enarrare prolixius, verùm ne hujus discursus exordio, vitiosa, quia nimia, attribuatur prolixitas, iis abstineo: illud unicum arripiens, *breve mox lilium subjecit*, quod quàm optimè genitrici Dei Mariæ, candidissimo convallium lilio conveniat, non est, qui dubitet. Hanc enim si oculis divinis objiciamus, nostramque ergà illam Sanctissimæ Trinitati offeramus devotionem, possumus certissimè antiquorum de lilio usurpare epigraphe *spes publica*, ut ipsamet gloriatur, *in me spes vitæ & salutis.* Nec etiam denegari potest Mariæ præclarum illud pudicitiæ & Virginitatis apud veteres hieroglyphicum, lilio proprium, unde illi florem lilium quasi cogeret appropriare. Hoc tamen non obstante, ô Deipara Virgo (quantumvis tu sis flos campi, quæ omnis floris fragrantiam, suavitatem, essentiam & proprietates ex gratia spiritualiter in te contines) permitte tamen, ut modò pro perfectionibus & prærogativis tuis declarandis, tuoque mirifico correspondente in filium amore, magis magisque mundo manifestando, tibi florem (cæteris prætermissis) dedicem heliotropium, quod quàm solido faciam fundamento, ex propriis ô Maria tuis (modò mihi ô benigna tuis precibus divinum impetraveris auxilium) verbis eruam. *Pier. l. 55.*

Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

SAnè Maria verissimè nuncupari potest heliotropium, sicuti enim hic flos ad motum solis continuò sine mora movetur: ita & ipsa ad motum æterni solis sine intermissione circumagitur, suam propriam voluntatē quàm perfectissimè ad divinam dirigens, seque ei conformans. Ecce enim ei ab Angelo Gabriele è cœlis legato totius Sanctissimæ Trinitatis decretum, & patris æterni filii ergà eam amor exponitur, auditque sese, dummodò divinæ obediat voluntati, cœli Reginam, trium divinarū personarū vivificum triclinium, ac verbi æterni Matrē futuram. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi*, id est, verbum patris, *obumbrabit tibi.* Et mox humiliter in terram ad hoc nuntium prostrata, sese Ancillam Domini profitetur. Ac si diceret, ô supremi mundi rector, ecce ego, ut heliotropium solem & ancillam (quæ & ideò pedissequam significat) Dominam sequitur, ad tuum, ô divine Sol, cœli & terræ Monarcha nutum & imperium fidelissima meos dirigo gressus, *fiat mihi secundum verbum tuum.* Quod modestissimum Mariæ Virginis responsum sic interpretatur Theophylactus: *Ecce Ancilla Domini, tabula sum pictoria, pingat pictor quod voluerit, faciat Deus quod ipsi placuerit.* Verùm quam figuram, quam similitudinem, quam imaginem peritissimus ille artifex Deus expolito omnipotentiæ suæ penicillo nudæ huic tabulæ, totaliter divinæ providentiæ subjectæ impressit? Audite Auditores S. Antoninum respondentem: *considerandum est, Mariam perfectissimam fuisse imaginem, ab ipso Deo summâ arte ac singulari providentiâ depictam*, quæ adeò vivaciter divinum suum prototypum expressit, ut proximè (in quantum creaturæ possibile est) ad ipsam divinitatem accesserit.

Luc. c.1. v.35. *Luc. c. 1.* *Theophylactus in hunc locū.* *Antoninus.*

Sed hic exoriri videtur difficultas, audeoque curiosum quemdam arguentem, ita in dictum meum exurgere: quomodò Maria, quam ego verum florem heliotropium constituo, & per consequens æterni solis umbram, nunc ipsam illius perfectam profitear fore imaginem? umbra enim & imago quàmplurimùm discrepant: ah quàm pulchrè Maria simul umbra & imago Dei vivacissima dicitur! pro cujus intelligentia

Nobis recurrendum est ad primam hominis creationem, Gen. c. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi Hæbraicus textus legit: *Faciamus hominem umbram nostram*, quæ lectio sanè difficultatem in se continet non exiguam. Etenim quomodo possibile est concipere, quod homo ipsius Dei sit umbra, cum illa essentialiter ab ente corporeo & materiali dependeat, nec absque eo dari possit, Deus verò ens sit omnis materialitatis expers, simplicissimum ac purissimum. Imò à naturalistis Margarita, quamvis in sua entitate & natura verè & realiter mterialis sit, quia tamen adeò pura est, dicitur *sine umbra.* Quomodò itaque secundùm hanc versionem Deus hominem sui umbram statuere potest? Sanè illam nullatenùs approbarem, nisi eam quoque approbaret Propheta Job de homine loquens hoc modo: *Et fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet.* *Gen. c 1. v 26.* *Iob c.14. v.2.*

Pro dissolvendo hujus difficultatis nodo consulamus Regium Psalmistam, forsitan ab eo nobis in tantis tenebris aliquid lucis affulgebit. Is experientiâ & proprio damno edoctus, quantæ sit homo fragilitatis & imbecillitatis, ut in via Dei constanter ambulet, divinum implorat adjutorium

his verbis: *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non* *Pſ.16.v.5* *moveantur veſtigia mea* Sed heu! ubi lucem ſperabam, nil niſi tenebras reperio. Hic enim Davidis loquendi modus priore intervallo longè videtur obſcurior; porrò quomodò illa duo motus & quies quæ inter ſe planè ſunt oppoſita, ſimul conſiſtere poſſunt, quod tamen à Deo expoſtulat Propheta, *dirige greſſus meos*, ecce motus; *ut non moveantur veſtigia mea*, ecce quies.

Has tenebras depellit lucidiſſimus ille Eccleſiæ ſplendor S.P.N Auguſtinus. Hic ſubtiliter, ut ſolet, annorans ſtrenuum audacis illius Apoſtoli actum, auriculam Malchi in magnæ militum & gentis Hæbraicæ catervæ conſpectu, gladio amputantis ſummoperè admiratur, quod Jeſus Petrum (cujus defenſorem fidelis egerat Apoſtolus) increpaverit & ſeverè arguerit, *converte gladium tuum* *Matth.c. 26.v.52.* *in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, ſicque ad Chriſtum exclamat cum Divo Ambroſio: *Si prohibes ferire gladio, cur emere præcepiſti?* *Auguſt.l. 22. contra Fauſtum.* Cui petitioni reſpondet, *Dominus juſſerat, ut ferrum diſcipuli ejus ferrent: ſed non juſſerat ut ferirent, exemit gladium authoritate propriâ extendens manum, non voluntate divinâ*. David ſecundum Auguſtinum, dum præfatis verbis ſalutare Dei ſui invocavit ſubſidium, non oppoſita petiit aut repugnantia; quia ad diverſa alludens, quietem propriæ ſuæ rogitavit voluntaris, & ſeſe abſolutè divino motui ſubdidit: ſicque quietem & motum rectiſſimè, ut patet, expoſtulavit, *dirige*, inquit, *greſſus meos in ſemitis voluntatis tuæ, ut non moveantur veſtigia ſecundùm voluntatem meam.*

Ecce lucerna Auguſtinus, qui nos miris intellectus ſui radiis ex hoc labyrintho educit. Vultis ſcire Auditores, cur Deus Dominam umbram ſui creare voluerit? umbra id proprii habet, ut perfectiſſimè omnes greſſus, motus & nutus corporis imitetur; ſi enim corpus immobile in ſuo ſitu permaneat, & pariter umbra eadem perſeverat: ſi verò moveatur, *movetur & illa ad omnia & per omnia*, ut ait Philoſophus. Sic Deus expreſsè decernit & mandat, ut homo, tamquam veriſſima umbra, omnem greſſum ſuum, omnem motum, omnem nutum, ut ut unico verbo totũ complectar, ſuam omnimodè ad divinam dirigat voluntatem. Ad quod, quia omni homini hoc penitùs eſt neceſſarium, (niſi à recta via aberrare voluerit) nos omnes *S Gregor.* adhortatur aureis verbis S. Gregorius: *In cunctis quæ agimus, vim ſupernæ voluntatis inquiramus, cui videlicet cognita debet noſtra actio devotè famulari, & quaſi ducem ſui itineris proſequi, ne ei etiam nolens ſerviat, ſi ad hanc ſuperbiam declinet.*

Maria Virgo excellentiſſima divini prototypi eſt imago (ut abundè Concione ſeptimâ oſtendi) deſideratis modò ſcire, qualis & illius extiterit umbra? annotate difficilem Sacræ Scripturæ locum Cant. cap.5. *anima mea*, ait ſponſa, *liquefacta eſt, ut* *Cant.c.5. v.6.* *dilectus meus locutus eſt.* Tò *liquefacta* hic difficultatem parit: quomodò enim anima, quæ omninò ſpiritualis & immaterialis eſt, nec ex ære, nec è cera, nec ex auro, argento, plumbo, aut ex alia componitur materia fundibili liquefieri poteſt? fundamentalis Doctor Ægidius Romanus hanc ſubtiliter & ſcitè enervat, ſepoſito rudi litteralis ſenſus cortice, ad myſticum recurrens; additâ etiam ob dulcedinis contemplationem, ad firmiorem conceptus Spiritus ſancti intelligentiam, phyſicâ ratione. *Dura*, ſecundùm Ariſtotelem, *termi-* *Ariſtot.* *minantur termino proprio, liquida alieno.* Obdurata in peccatis & mundanis deſideriis, concupiſcentiis atque illecebris hominum corda, inquit graviſſimus hic author, proprios carnales inſequentium motus & affectus *terminantur termino proprio*, id eſt propriæ ſuæ, divinâ ſpretâ, inhærent voluntati. Liquida verò corda, omninò mollia & flexibilia ad quemcumque divinæ voluntatis nutum, atque motum quàm facillimè flectuntur, quia *terminantur termino alieno*, ſcilicet divino imperio ac voluntate. Guerricus Abbas hunc locum conſide- *Guerricus in hunc locum.* rans ait: *magna in liquefactis mobilitas & promptitudo voluntatis intelligitur.* Per hæc itaque verba Spiritus S. innuit eximiam illam animæ pulchritudinem, ſcilicet perfectiſſimam Mariæ voluntatis cum divina conformationem, quâ ipſa divinitùs dotata fuit, ſicque anima ejus terminatam fuiſſe per omnem vitam termino alieno, & ad omnem divinum nutum flexibilem. Nec id ſanè mirum; anima enim Mariæ Dei genitricis, ut ardentiſſima fornax maximo divini amoris igne inflammaba- *Hier. ſerm de Aſſump. Virg.* tur, *totam incanduerat eam*, inquit Hieronymus, *divinus amor, ut nihil eſſet in ea, quod mundanus violaret affectus.* Quid ni igitur & liquefacta eſt? *Anſel. de excellentia Virg. c. 4.* quod & confirmat Anſelmus? *Superat omnes omnium rerum creatarum dulcedinis magnitudo amoris Virginis in filium ſuum, & dulcedinis immenſitas, quâ exultabat & liquefiebat anima ejus in Dominum Deum ſuum.*

Pro hoc conceptu magis dilucidè declarando auri liquefacti, aut æris ad quamcumque juxtà aurifabri voluntatem, formam, vaſis, campanæ, numiſmatis, apti. Iligrinus utitur exemplo,

quan-

quando dilectus, inquit, *locutus est, anima ejus exarsit & liquefacta est, sicut æs liquefactum, formam acciperet, quam Spiritus S. artifex vellet*. Ideoque Maria, ut locutus est dilectus per cœlestem paranymphum, ei divinum de admirabili Incarnationis Verbi mysterio manifestantem decretum, liquefacta est, seque divino humillimè subdidit arbitrio, exclamans: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Ac si diceret cum Regio Propheta David: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, introduc quamcumque, sive vilem in illud ancillæ & mancipii vas formam, aut nobilem Reginæ cœlorum, *paratum cor meum Deus*: si clamites de excelsis, ô supremum numen! fiat in utero tuo Virginali Mariæ Verbi Divini Incarnatio, ut dulcissimus echo resonabo fiat.

Psal. 56. v. 8.

Ad promptam hanc Mariæ experiendam voluntatem, Angelicus Doctor Divus Thomas peractam esse censet de hoc mysterio Angelicam Annuntionem. *Annuntiatio enim*, inquit, *non erat simpliciter necessaria, sed sine ea potuisset Incarnari: tamen ideo facta est, ut voluntaria sui obsequii munera Deo offerret, ad quod se promptam obtulit, dicens: Ecce Ancilla Domini.* Ecce me totam tibi dedico Domine, ac me ipso abdico & abnego, *paratum cor meum Deus*, ait Bernardus, *clamitat Maria, cunctos homines suo ad imitationem provocans exemplo, paratum quantùm ad dura, paratum quantùm ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad universa, quæcumque præceperis fiat, fiat, quidquid divinæ placuerit Majestati.* Et ecce hâc tam gratâ Deo sui ipsis præsentatâ hostiâ, propriâ scilicet voluntate, Verbum caro factum est, Maria Mater Dei effecta, & in dignitate super omnes Choros Angelorum sublimata, ut ipsamet fatetur, *fecit mihi magna qui potens est*. Unde Deum Matrem suam adinstar alterius Socratis Æschynem pauperem suum studiosum tractasse autumo. Is, cùm alii (ut refert Seneca) præclara atque pretiosa munera pro sua quisque facultate, ac potentia Socrati offerrent, ad eum dixit, quid ipse totus pauper impertiretur nesciens, dixit: *nihil dignum te quod dare tibi possim invenio, & hoc modo me pauperem esse sentio, ideoque dono tibi, quod unum habeo, me ipsum, hoc munus rogo, qualecumque est boni consulas: cogitesque alios, cùm multùm tibi darent, plus sibi reliquisse.* Cui Socrates respondit: *Quidni magnum munus dederis? Si fortè parvi te æstimas, habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi.* Ac si vellet innuere, tu te mihi in donum tradidisti, ac proinde ad meum

D.Thom. 3.p.q.30.

Bern. ser. 2. in c. jejunii.

Luc. c. 10. v. 4.

Seneca l. 2. de beneficiis.

transivisti Dominium, ideo ut meum te meliorem ac doctiorem reddam, quàm accepi. Sic inquam Deus Deiparam tractavit; etenim, quia sese Ancillam totam Divinæ consecravit Majestati, fecit illi magna, qui potens est, Reginamque cœli, Dominam terræ atque Angelicarum Hierarchiarum supremum caput constituit, & eam continuis gratiarum, perfectionum, atque cœlestium donorum incrementis, magis magisque ut suam nobilitavit, melioremque reddidit quàm accepit.

Ex hoc, ô Christiane tibi ob oculum patet solida omnium perfectionum scala, desiderasne divinæ gratiæ indies augmentum? appetisne continuò de virtute in virtutem progredi? Dona te Deo, abdica temetipsum, propriam tuam (quia hæc non nisi mala est) voluntatem, eamque quàm promptissimè divinæ conforma, & ipse te meliorem reddet tibi, quàm accepit. Perpende te creatum esse Dei æterni solis umbram, teque ad ejus nutum & beneplacitum oportere moveri, ut ipsemet Salvator in quotidiana tua admonet oratione: *Sic ergò vos orabitis: Pater noster &c. fiat voluntas tua.*

Sed proh dolor! quàm paucæ in hoc ævo nostro reperiuntur divinæ solis umbræ? quàm raro homo Dei sectatur voluntatem? quàm flaccidè indies Dominicam recitat orationem, *fiat voluntas tua*? Voluntas Dei est ô divites, ut bona vestra, quæ in tanta possidetis abundantia egenis & pauperibus conferatis: *Estote ergò misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Et vos ea luxui, mundanæ pompæ, jocis, ac vanis dedicatis deliciis. Voluntas Dei est ô vindicativi, proximi sanguini sitibundi inhiantes, ut injurias ex animo condonetis: *ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*, Vos autem divinæ refractarii voluntati, non ut heliotropium & umbra divini solis motum sequuti, odio inimicum prosequimini, eumque ad necem venamini. Divina voluntas est ô judices, ut indifferenter sine ulla personarum exceptione justitiam administretis, *judicium verum judicate*, & vos illam iniquè pervertitis. Voluntas Dei est, ut vos ô mundi rectores oves suas benevolè pascatis, *pasce oves*, ut pupillos & viduas defendatis: & vos divinæ tergum obvertentes voluntati eos opprimitis, ovesque vobis commissas, tam subtili & fraudulento roditis forfice, ut vix lanam bonorum suorum sibi ereptam præsentiant, nisi sese prorsùs nudas inveniant. Et ut unico finiam verbo, voluntas Dei est, ut invicem ametis, *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicē, sicut & ego dilexi vos*. Et è

Matt. c. 6. v. 10 & 11

Luc. c. 6. v. 36.

Matt. c. 5. v. 44.

Zach. c. 7. v. 9.

Ioan. c. 13. v. 34.

contra

contra vos Deo totaliter rebelles ô Christiani, diro invicem odio insectamini, *non sic impii, non sic*. Nolite diutius vestræ pertinaciter carnali insistere voluntati, sed ut perfecti Mariæ Virginis imitatores verissimi heliotropii nostri ad æterni solis motum, id est, ad divinam voluntatem vos dirigite, clamantes cum Maria: *fiat*. Et cum Davide: *Paratum cor meum Deus*. Sed notate ex verbis Divi Bernardi jam citatis, quomodò paratum: *Paratum quantum ad dura, paratum quantum ad prospera*.

Fateor, quamplurimi sunt, quorum cor paratissimum est ad prospera, clamantque plenâ buccâ menteque hilari: *fiat voluntas tua*. Dominum benedicunt & laudant, dum omnia ipsis ad votum eveniunt, cunctaque mundi in copia affluunt bona; verùm ubi adversæ & contrariæ fortunæ validis ventis animus eorum conquatitur, concidit laus divina, desunt os & lingua Dei decantare beneficia, imò sæpè sæpiùs, quod execrabile est, in murmurationes & in divinam providentiam convitia temerariè dissolvuntur. Hi sanè non omnem heliotropii assequuntur proprietatem, ut enim suprà ex Plinio retuli, flos ille tempore etiam nubilo, & cœlo nubibus tecto, ad motum solis sese gyrat, & non tantùm sereno, quod maximè admirantur naturalistæ. In hoc quoque heliotropium imitari hominem decet, qui tam tempore nubilo, id est, in adversitate, quàm lucido, id est, in prosperitate propriam suam divinæ tenetur conformare voluntatem, eumque omni tempore tam afflictionis, quàm lætitiæ & gaudii, cœli & terræ Dominum cum Davide laudare, clamante: *Benedicam Dominum in omni tempore*. Ad quæ verba Augustinus divinè ait: *Dicis quando benedicam Dominum? ait tibi aliquis, quando tibi benefacit, quando abundant sæcularia, quando multitudo frumenti, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, salusque ista mortalis incorrupta persistit, quando ea, quæ nascuntur, crescunt omnia, nihil immaturâ morte subtrahitur, fælicitas tota abundat in domo, circumfluant omnia, tunc benedices Dominum. Non, sed omni tempore. Ergò & tunc, & quando ista secundùm tempus, & secundùm flagella Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, & quæ nascuntur, jam nata dilabuntur, & inde sequitur penuria, egestas, labor & tentatio. Sed tu, qui cantas tibi, benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo, & quando ista dat, & quando ista tollit, benedic. Quia ille dat, ille tollit, sed seipsum à benedicente se non tollit.*

August. in Psal. 33.

Et sanè quid miri est obsecro Christiane, Deum in summa omnium rerum abundantia, omnium bonorum largitorem benedicere? quid est ad magnam divitiarum affluentiam, ad supremum honoris atque dignitatis gradum, suam divinæ conformare voluntati, ac vociferari *fiat voluntas tua*. Hoc enim gentiles & pagani faciunt, ac perversissimi homines. Sed hanc mehercle laudem egregiè exsibilat ipsemet diabolus, Deo Prophetam Job tam mirabiliter extollenti respondens *Nonne Iob frustrà timet Deum? Nonne tu vallasti eum, & domum ejus, universamque substantiam per circuitum; operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra? sed extende paululùm manum tuam, & tange omnia, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Ac si diceret: quid tantùm te de servo tuo Job jactitas, ejusque deprædicas sanctitatem & tam promptam te laudandi voluntatem? omnia ei fluunt ad votum, nil umquam passus est adversitatis, percute eum flagellis dumtaxat tribulationis, & experire, an tibi ob tanta innumera sibi collata beneficia, adeò fideliter non deservierit. Virtus constans & invicta patientia in angustiis & adversitatibus, sicut verum aurum lapide lydio comprobatur. Sic & pulcherrimis his verbis expresse etiam sentit S. Hieronymus: *Christianorum propria virtus est, etiam in his, quæ adversa putantur, referre gratias creatori, nam in beneficiis Dei, quæ nobis accidunt gratulari, hoc & gentilis facit & Iudæus, sed juxtà Apostolum, hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis Deo gratiæ referantur, & semper dicamus benedictus Deus.* Et hæc quidem perfectio tanta est, tamque excellens, ut S. Bernardus non vereatur audacter asserere, *velle quod Deus vult, hoc est, jam Deo similem esse*.

Iob. cap 1. v. 9 & 10 — *Hier. in c. 5. ad Ephes.* — *Bernard.*

Politici ad bonum mundi regimen duo maximè necessaria astruunt horologia. Unum naturale, quod ab ipsomet authore naturæ Deo ab initio mundi creatum est, scilicet Sol: hocque est irreprehensibile & infallibile juxtà illud Jeremiæ: *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte*. Alterum artificiale, quod solis in tenebris ac nubiloso tempore ad horas præcisè designandas, officium & munus supplet. Et hoc ordinariè ex rotis conficitur. Verùm, ut artificiale horologium justum sit & bonum, planè necessarium est, ut omnimodè conformetur motui solis, qui regula est infallibilis horarum, unde si illud in minimo aberret, confestim ab artifice aut ipsius directore ad solis motum corrigitur, atque emendatur. Ita pariter ad bonum & regulare ani-

Ier c. 33. v. 20.

animæ nostræ gubernaculum duo requiruntur horologia: naturale scilicet, ipsa increata & immobilis Dei voluntas, quæ ex se essentialiter est bona, recta, & infallibilis; & artificiale, nimirum voluntas ipsius hominis. Illud, ut rectum sit, debet divinæ quàm perfectissimè conformari voluntati. Unde S. P. N. Augustin. curiosè interrogans, quos Propheta David per rectos corde intelligeret? *Quinam recti sunt corde?* Subtiliter respondet: *Qui voluntatem suam ad Dei voluntatem dirigunt, non voluntatem Dei ad suam curvare dignantur.* Unde ô homo? perscrutare an in minimo ad propriam tuam inclineris voluntatem, an animæ tuæ horologium à naturali illo, nempe divino nutu, & voluntate aliquo modo deflectat? quod si sic, illud corrige ad infallibile, id est dirige ad Dei beneplacitum, atque clama cum Davide, *Domine ante te omne desiderium meum*; hoc est omnem meam voluntatem, omnem appetitum, & desiderium in conspectu tuo statuo, & ad divinam tuam regulo voluntatem. Audite quàm divinè pro more suo id rursus explicet summum illud Ecclesiæ lumen S. P. N Augustin. *Duæ voluntates sunt, inquit, tua & Dei; sed tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam: prava est enim tua, regula illa.*

August. in Psal. 31.

Psal. 37. v. 10.

Hanc infallibilem vivendi regulam, tantummodò lumine naturæ ducti, & gentiles cognoverunt, qui suo exemplo humanam ad Deorum dirigendam esse ostenderunt voluntatem. Anaxagoras enim dum illi infamis mortis severa denunciaretur sententia, & simul obitum unigeniti filii intelligeret, immotâ mente, atque imperterrito animo, ad primum nuntium respondit, *jam pridem tàm adversus illos, qui me morti adjudicarunt, quam adversum me, ex æquo Dii tulerunt sententiam.* Ad secundum verò, *sciebam me genuisse mortalem.*

Miram quoque, & stupendam in adversitate Biæ Philosophi Prienensis Principis constantiam narrat. Valer. Maxim. Is, cum capta civitate Priene ab hostibus, dilectam uxorem omnesque gnatos ipsi crudeliter necassent, domumq; ejus, voraci igne injecto, destruxissent, Athenas profugus, nullum prorsus dedit mœstitiæ ac doloris indicium; quin imò urbem obambulans, hilari vultu, ac sonorâ voce cantans, suum simul, & audientium animum demulcebat. Cumque Athenienses tam insolito spectaculo attoniti, quasi muti & immobiles catervatim in plateis commorarentur, ad illos conversus Bias ridens dixit: *Nesciunt quid sit fortuna*, scilicet ii, qui me calamitatem & afflictionem meam debere deplorare arbitrantur. Et rationem subnectens addidit, *si hostis Mulierem meam occiderit, certus sum id evenisse divinâ providentiâ, cur itaque plangam ejus mortem, cui dii non dederunt longiorem terminum vitæ?* Memor credo erat Bias propriæ Græcis datæ doctrinæ in locis montis olympiæ, ut refert Laertius. Ubi, cum interrogaretur (plurimæ namque illi ex curiositate proponebantur dissolvendæ quæstiones) quis in mundo foret miserrimus? Respondit: *Ille infelicissimus est, qui impotens est tolerare adversam fortunam, adversitates enim non occidunt homines: non nocent, sed benè in iis tolerandis impatientia.*

Nec iis profectò cedere debet invicta Senecæ Philosophi animi fortitudo, audite enim ô auditores Christiani, quam perfectè & plenè hic Ethnicus suam ad Deorum suorum direxerit voluntatem, & hoc tam admirabile exemplum vobis divino reluctantibus beneplacito incutiat pudorem. Hanc resignationem divinè ipsemet profitetur. *Quid vis à me Deus immortalis; vis aliquam corporis mei partem? sume, non magnam rem promitto: citò relinquo totum. Vis spiritum? Quid ni, Nullam moram facio, quò minùs recipias, quod dedisti. A volente feres, quidquid petieris: maluissem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre, accipere potuisti. Sed nec nunc quidem auferes, quia nihil eripitur nisi renitenti. Nihil cogor, nihil patior invitus, non servio, sed assentio Deo.* Quid ad hæc dicitis ô Christiani? an non vos pudet tantopere divinæ indies in vestris adversitatibus, ac tribulationibus reluctari voluntati? dum bona terrena & fluxa perditis, præ dolore & tristitia quasi insanitis, Dum filios amittitis, in rabiem agimini, & inconsolabiliter indiscreto luctu eorum mortem deploratis, & ut uno absolvam verbo, ad quemcumq; asperæ fortunæ ictum mærore concussi caditis, nec ullatenùs attenditis vestram vos conformare debere voluntatem divino nutui, Deumque in omni tempore & casu esse benedicendum.

Seneca l. de providentia.

At hoc quàm optimè animadverterat nobilissima illa matrona Romana, nomine Melania, rarum insuperabilis patientiæ, & invicti cordis exemplar, de qua ipsemet obstupefactus S. Hieronymus Epist. 25 ad Paulinam ait: *Rem sum dicturus incredibilem, sed teste Christo non falsam. Quis illam*

Hier. Epist. 25. ad Paul.

illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste concissa, lacerum pectus iuvadere? lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis & tunc cum in conspectu adhuc calidi mariti, ui corporis, & duorum (quos tantùm habebat) *filiorum, ad pedes Christi devoluta, quasi ipsum teneret arrisit. Expeditior,* inquit, *tibi servitura sum, quia tanto onere me liberasti.* Hoc pro miraculo quasi refert S Hieronymus. Sed longè magis admirandus est animus constantis illius ethnici Philosophi Senecæ, qui nullum, ut Melania tam patienter toleratæ adversitatis exspectabat præmium, & tamen quotidie hæc verba ad Deos suos intonabat: *O dii immortales, ego voluntatem meam vestræ volo conformare, si filios vultis, ego vobis illos offeram. si corporis mei partem poscitis, ego vobis eam sacrificabo: anima, & quæcumque possideo vestra sunt: accipite animam, accipite corpus, de his disponite ut vobis placuerit.* O mira cæci gentilis virtus, à Christo illuminato sanè homine maximè digna! ô laudabilis ethnici actus! qui cunctos profectò Christianos in afflictione & tribulatione divinæ obsistentes voluntati apertè confundit.

Sed vultis scire, quo Seneca, ad strenuè tollerandos labores, & inconstantis fortunas repercutiendos contrarios fluctus, usus sit medio? Sibi pro vivo exemplare ob oculos continuò ponebat infælicissimum atque miserrimum, patientissimum
Seneca tamen Sixtium. Audite propria ipsius verba: *In*
Epist. 65. *quacumque positione mentis sum, cum lego Sixtium, lubet omnes casus provocare, lubet exclamare, quid cessas fortuna? Congredere, paratum vides. Illius animum induo, qui quærit ubi se experiatur, ubi suam virtutem ostendat. Lubet aliquid habere, quod vincam, cujus patientiâ exercear.* Ego ô Auditores! non vobis pro constantiæ & patientiæ in adversitate exemplare tuum Anaxagoram, Biam, Senecam, Sixtium, aut Romanam illam matronam Melaniam proponam, ad vobis infractum ac immobilem in laboribus & infortuniis animum inculcandum, sed Mariam; cùm enim horum patientiam & constantiam hujus Virginis in adversis confero animositati atque fortitudini (quam mirabiliter nobis insinuat (quamvis non adeò clarè) assumptis pro themate nostro verbis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*; nil nisi umbram reperio: & cogor exclamare ô piissima Mater! quid clamas? respice, quid dicas? Cur tàm prompta es, ut tuum annuntianti Angelo tam facilè præbeas assensum? Ah! ut video, immensa divinæ maternitatis dignitate inescata es, sed ô infelix Domina! heu latet dirum sub dulci melle venenum!

Non ignoro hic plurimos hæreticos admirari Catholicos authores & SS. PP. ex his verbis tam perfectam Marianæ voluntatis in divinam resignationem, tantumque extollere hanc Virginis virtutem; quid enim miri inquiunt, quod ipsa dicat *fiat* ad tantam evecta maternitatis excellentiam? Mater enim Dei, & Regina cæli à tota Trinitate constituitur: quæ quæso tam simplex Virgo, quæ tali non adstipularetur voluntati, & diceret, *fiat mihi secundùm verbum tuum*? Non diffiteor quidem Mariam incomparabilem, mediante suo consensu divinæ Maternitatis esse adeptam eminentiam; sed quanti illa ipsi constiterit, sedulò perscrutemur, ut ex eo nobis clarius innotescat, quàm rarum Maria heliotropium, quàm vera solis increati umbra, quàm ineffabile artificiale horologium, id est, ejus voluntas ad naturale id est, ad divinam voluntatem, directum fuerit Maria.

Pro quo discutiendum est plurimorum SS. PP. quæsitum, an nimirùm Maria Virgo Cruci in benedicti filii sui morte adstiterit. Hoc enim difficile reddunt duo, quæ omninò opposita videntur, sacræ Scripturæ loca, scilicet Psalm 141. ubi Psalmista in persona crucifixi Domini ait, *considera-* Psal. 141.
bam & videbam, & non erat qui cognosceret me, v. 5.
& illud Joannis *stabat autem juxtà Crucem Mater Jesu*, cujus SS. PP. innixi testimonio, Marianam in filii morte communiter confirmant præsentiam. At quomodò ergò hæc duo reconciliabimus? Mariam Christi Cruci adstitisse, nec cum cognovisse? O clementissima Domina! dic nobis obsecro, an dilectum tuum filium, quem tanto cum gaudio in stabulo à triginta tribus annis peperisti, quem toties benedictis tuis uberibus admovisti, quem tanta cum anxietate animi ad Ægyptum fugiens è diris Herodis manibus eripuisti, non cognoscis? Intuêre, intuêre accuratius, ô Maria! hunc crucifixum, lustra lynceis oculis omnia totius ejus corporis membra, & vide, an ex nullo ullam derelicti hujus deprehendes notitiam.

Mihi sanè videtur, quòd hic Mariam audiam respondentem *Non novi hominem*, non est mens; quocumque enim oculos conjiciam & convertam, nullum mihi similitudinis filii mei effulget indicium. Etenim, si fixo intuitu caput cruci-

fixi

fixi hujus aſpiciam : cogor exclamare , non eſt
Cant. c. 5. meus, *Caput* enim filii mei *aurum optimum, &*
v. 11. *coma capitis, ſicut purpura Regis*, caput verò hu-
Cant. c. 7. jus eſt verberibus contuſum , pungente ac acutâ
verſ. 5. coronâ ſpineâ crudeliter terbratum, comæque ejus
non purpuræ ſed ſanguinis colore tinctæ , atque
undique inundante cruoris imbre reſperſæ ſunt.
Ierem. Unde Jeremias rectè ait, *ſunt hoſtes ejus in capite.*
Thren. c. 1. Si labia intueor, ingenuè cogor confiteri, non eſt
v. 5. meus, *favus diſtillans labia* filii mei & *ſicut vit*
Cant. c. 4. *ta coccinea.* Labia afflicti hujus hominis ſunt atro
v. 3. livore depicta, & non niſi ſanguineam ſalivam di-
Iſai. c. 30. ſtillantia juxtà Iſaiæ vaticinium, *labia ejus repleta*
v. 17. *ſunt indignatione.* Si oculos conſiderem , ah non
Cant. c. 1. eſt meus. *Oculi* filii mei *columbarum* pulcher-
v. 14. rimi, & omninò amabiles, oculi hujus lividi ſunt,
ſquallore pleni , atque abominando Judæorum
Iſai. c. 38. ſputo conſpurcati. Hinc Propheta Iſaias in ejus
v. 14. perſona ait, *attenuati ſunt oculi mei,* & Jeremias :
Ierem. *Oculus meus afflictus eſt.* Si genas contempler, non
Thren. c. eſt meus. *Pulchræ ſunt genæ* filii mei corallino
1. v. 49. colore tinctæ , aſt genæ hujus ſunt luto, aliiſque
ſordibus defædatæ, & immiti armatæ militis ma-
Cant. c. 1. nus alapâ copioſo ſanguine conſperſæ. Si totum
v. 9. de novo conſiderem hujus crucifixi faciem, indu-
Cant. c. 1. biè non eſt meus. *Pulcher eſt dilectus meus &*
v. 15. *decorus* , filius meus *eſt ſpecioſus forma præ filiis*
Iſai. c. 53. *hominum.* Huic autem inquit Iſaias : *Non eſt ſpe-*
v. 2. *cies neque decor.* Si ad manus oculos deflectam,
Cant. c. 5. non eſt meus, *manus,* filii mei , *tornatiles plenæ*
v. 14. *hyacinthi:* ſive ad pedes, nec eſt meus. Ecce enim
manus hujus , & pedes ferreis clavis perforatos
crucis infami trabi affixos cerno ; unde Jeremias
Ier. Thren. de illo vaticinatus eſt, *expandit rete pedibus meis.*
c. 1. v. 13. Tandem, ſi totum corpus inſpiciam à vertice uſ-
que ad pedis plantam, non eſt meus Etenim *dile-*
Cant. c. 5. *ctus meus rubicundus & candidus,* hic autem toto
v. 10. corpore diris flagris dilaniatus uſque ad oſſa, quæ
dinumerari facillimè poſſent juxtà dictum Davi-
Pſalm. 21. dis Prophetæ : *Dinumeraverunt omnia oſſa mea,*
v. 18. lividus & ſanguinolens conſpicitur. Idque in tan-
to exceſſu, ut Iſaias prophetico ſpiritu exclamet, *à*
Iſai. c. 1, 6. *planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſani-*
tas. Ideòque non novi hominem. Ecce ſtabat
juxtà Crucem Mater Jeſu, & tamen nec erat, qui
cognoſceret eum.

O benedicta Mater Maria! ſi ita à feris illis
belluis Judæis Sacroſanctum filii tui corpus infa-
Pſalm. 21. miter ſit dilaceratum, ut ipſemet clamet per Pro-
v. 7. phetam Davidem : *Ego ſum vermis & non homo,*
opprobrium hominum & abjectio plebis. Sicque Gen c. 37.
crudeliter tractatum , ut ne mica quidem dilecti v. 32.
tui reſtet ſimilitudinis, vide utrùm tunica filii tui
ſit? nec ex hac profectò contemplativi Sacratiſ-
ſima Virgo filium dignoſcere poterat. Quoniam,
ſicut de Rege Iſrael cum Joſaphat Rege Juda bel- 3. Reg. c.
lum aggrediente dicitur, *Rex Iſrael mutavit ha-* 22. v. 30.
bitum. Qui habitum mutat, ut ethimologiæ vo-
cabulum indicat alium induit; ſed quem quæſo
induit Chriſtus & ob quem finem.

De Codro ultimo Athenienſium Rege referunt Hiſtoriographi : quod ipſe, conſulto Delphico oraculo, à quo nuntium receperat civitatem ſuam jam obſeſſam, ab hoſtium manibus non fore liberandam, niſi ipſe occumberet, ac propriâ ſuâ nece iratos Deos placaret ; neſcius, quid miſer ageret : tandem ardenti ergà ſuos amoris æſtu flagrans, naturali ſepoſito affectu, ſeipſum morti addixit. At non ignarus , ſecundùm tunc temporis bellandi conſuetudinem, hoſtes Principes, & Reges non ad necem inſectari , verùm eos ad publicum triumphum aſſervare : hoc ſtratagemate uſus eſt. Habitum Regium exuit , vilemque ac abjectum gregarii militis induit, ſicque prælium ingreſſus, deluſo hoſte, adeptâ victoriâ glorioſus occubuit, ſuiſque ſalutem impertitus eſt.

Eodem planè ſupremus cælorum & terræ Mo-
narcha Verbum æterni patris uſus videtur ſtrata-
gemate. Sciens enim ex divino Trinitatis infalli-
bili oraculo, genus humanum undequaque ab in-
fernali hoſte obſeſſum, nullo alio medio juxtà de-
cretum præſens , niſi propriâ morte & ſanguine
fore redimendum, non ignarum quoque nec mor-
tem , nec infernalem ſpiritum auſum eſſe Regem
tantæ majeſtatis & gloriæ in ſua magnificentia &
ſplendore attingere, imò nec poſſe ; nimio in-
flammatus ergà hominem, etiam inimicum, amo-
re, gloriæ ſuæ id eſt divinitatis veſtem non muta-
vit, ſed vili humanitatis noſtræ habitu ſubtexit,
formam ſervi (id eſt etiam peccatoris ſimilitudi-
nem & externam apparentiam accipiens) habitu
inventus ut homo. Quod Zacharias atteſtatur: *Et* Zachariæ
Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis. Scilicet mun c. 3. v. 3.
di peccatis juxtà illud Iſaiæ : *Et ipſe peccata mul-* Iſai, c. 53.
torum tulit. Et ita armatus potentiſſimus hic mi- verſ. 12.
les contrà diabolum , & mortem certamen ador- 1. Cor. 6. 2.
tus, victoriâ partâ , in cruce incognitus interiit, v. 8.
quem ſi cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ
crucifixiſſent, ait Apoſtolus. Et ſic totum ge-
nus humanum ſuo proprio pretioſo ſanguine è

è servitute diabolica eripuit. Ecce, modò facilè est cognoscere Regis nostri habitus peregrini arreptionis motivum, vim simul & qualitatem. Quid itaque mirum, si filium peccatorum veste indutum, non agnoverit Maria? Quandoquidem de eo dicat Petrus Apostolus: *Ipse enim peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus.*

1. Petri 2. v. 21.

Unicum, ô Auditores, restat Christo piæ Matri in solatium membrum: quid dico in solatium? in afflictæ Virginis majus, inquam, tormentum: videlicet lingua, ex qua filium suum dignoscere incepit Maria. Dum enim Jesus in duro crucis lecto jacens, jam morti proximus testamentum fidelissimæ Matri suæ legaret, clamitans: *Mulier ecce filius tuus*, agnitâ linguæ ejus voce, utpote quæ hucusque omnium ferocientium Judæorum furorem evaserat, eam cum Patriarcha Isaac in hæc verba erupisse credo: *Vox quidem, vox Jacob est, manus autem, manus sunt Esau.* Immensi ô dilectissime fili, quæ pateris tormenta, te reum & infamem declarant peccatorem, & impium Esau, sed vox tua te insontem Jacob denuntiat: nunc, nunc te cognosco, ô fili, tu es meus. Quis ô piæ animæ tunc dolor? Quæ tristitia? Quæ suspiria? Quæque tormenta tenerum Mariæ animum non invaserunt? Ipsamet Brigittæ hæc revelavit, dicens: *Tunc rupta sunt omnia viscera mea pro compassione filii mei.* Tunc verè adimpleta est Simeonis Prophetia, *tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Gen. 27. v. 23.

Unde, sicut Christus Codri usus est, ut dixi stratagemate, ita Christi mater, matris Codri imitata est planctum. De hac enim commemorant veteres historiæ, quòd ipsa sanguinolentum dilecti filii sui Codri cadaver, mille ex intimis cordis penetralibus suspiria, & scaturientem ex oculis edens lachrymarum fontem amplexata sit, ac utrisque susceperit brachiis, lugubri voce exclamans: *O Codre, amor te dejecit.* Haud dissimiliter Maria, crucifixo filio lachrymabundis oculis aspecto morti jam vicino, extensis brachiis eum deosculandi desiderium ostentans non exiguum, fusisque ubertim lachrymis, in hæc prorupit verba: O Christe! ô dilecte fili! ô speciose præ filiis hominum! amor te dejecit, amor te flagellavit, amor spineam benedicto capiti tuo impressit, ac imposuit coronam, amor te exinanivit, amor divinæ Majestatis tuæ gloriam vili humanæ nostræ naturæ sacco cooperuit, amor in horto Gethsemani corporalem superans timorem, corpori tuo sanguineum excussit sudorem, amor te vinculis constrinxit affectus, amor te duxit ad Caipham, & iniquo judici te tradidit Pilato. Denique amor te infami cruci, atque crudeli morti addixit.

In hoc tam cruento, tamque inaudito spectaculo infinitum tuum, ô Maria, nequaquam miror dolorem, quia infinitum tuum erga Jesum cognosco amorem; cujus conditio, sicut amanti in prosperis est congaudere, ita in adversis condolere; sed tuam summoperè stupeo in filii vindicandi patientiam. Quid enim ô piissima Virgo, immota stas? Unigenitum cruci diris clavis affixum cernis, crudeles ejus tortores in conspectu tuo sunt; intueris furibundam eorum rabiem hucusque non esse satiatam, sed in eum adhuc perfidos continuò insultantes, atque blasphemantes audis, *Si filius Dei es, descende nunc de Cruce. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Nec hoc sufficit, verùm potantes eum felle amaro & aceto, dolorem dolori superaddunt, de quo ipsemet Christus conqueritur per Prophetam Davidem: *Et super dolorem vulnerum tuorum addiderunt.* Et tu ô benigna mater, illa vides & sustines? Generosa illa Thebana matrona Evadne doloris impatiens ob mariti necem, quem in busto cum cæteris in prælio occisis, concremari more Ethnicorum intuebatur, in publicum individui amoris testimonium in ignem seipsam conjecit. Unde cantat Poëta: Ps. 68 27.

Arserit Evadne flammis injecta mariti.

Et tu tanta Mater, tantum filium non vindicas? tantam illi illatam injuriam taciturna & immota vilipendis? Cur in crudeles hosce leones, atque tygrides non exurgis? Cur in ingratos Judæos non sævis, & ostentas tuum in Crucifixum affectum? Cur ad minimum verbis, si non manibus, à tantis scelestos non avocas impietatibus? Quid torpes? Quid immobilis persistis? An timor te revocat currere volentem? An potentia forsan deest? Aut tibi filii tui incuria inest? Sanè nihil horum. Ubi itaque ô Maria amor tuus? Ubi maternus affectus? Te confundit profectò animosa illa ethnica mulier Epiroina, de qua narrat Plutarchus, quòd illa, viso Regem Pyrrhum *in juvenem* Argicum filium suum pugnam digladiatoriam instituisse, tectum domus ascendit, ex quo Plut. in vita Pyrrhi.

com-

commodè ei spectaculi eventum intueri dabatur. Animadvertens jam Pyrrhum, ad filium confodiendum, quàm celerrimè properare, tegulam tecto detraxit, quâ in caput Regis Epiroinorum Pyrrhi conjectâ, ipsum occidit, sicque dilectum suum filium à morte eripuit. Hoc stratagema arripere ausus est carnalis gentilis fœminæ amor, nec quidquam spiritualis & divinus tuus erga Christum contra perfidos hos Judæos attentare audet affectus? Ubi jam mirifica illa cura, quâ eum ab Herodis furore liberare tantùm satagebas! Ah quid hic responsi, ô Auditores, à Maria in suum favorem exspectabimus!

Mihi videtur invictam nostram Amazonem ad cunctos immotum atque imperterritum ejus animum admirantes exclamasse Mariam, quid ita lamentis & ejulatibus, ô cælestes spiritus supernam curiam impletis? Quid inanimata ac immobilis concuteris terra? Quid, ô clarissimum sydus! luminis tui per universum mundum subtractione, non exiguæ tristitiæ portenta & signa ostentas? Quid me, ô creaturæ! in filii mei, & Creatoris vestri vindictam contra impios, ac sacrilegos Hebræos concitare conamini? *Ps. 68. 27.* Absit, absit vindicta, & accedat pietas. Hunc enim, quem videtis crucifixum, de meis visceribus genui hominem, ut in infami crucis trabe pro homine moreretur. An enim tibi, ô homo, in mentem non venit, quòd à triginta tribus annis, dum paranymphus Gabriel à Sanctissima Trinitate ad me delegatus, ut consensum divinæ acceptandæ Maternitatis expostularet, è cælis delapsus est, integrum Dei mei libellum supplicem mihi oblatum, propriæ voluntatis meæ sigillo, lubens ac volens acceptaverim, hisque verbis eum subsignaverim, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*? An forsitan ignoras, non tantùm in eo contineri miram divinæ Maternitatis excellentiam, *Luc. 1.* *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et qui nascetur ex te, vocabitur Filius Dei*, sed & dilecti filii mei acerbam passionem, *& vocabis nomen ejus IESUM*. Quid enim aliud significat dulce hoc nomen JESU, nisi Salvatorem? Quomodo autem Christus dilectus filius meus poterat verus esse Salvator, nisi fuisset obediens æterno Patri usque ad mortem, mortem autem Crucis? Ecce clamavi, ô Christiane, tibi præbens exemplum, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, ut tu, & tua in tribulationibus, atque persecutionibus voluntatem divinæ perfectissimè conformes. Fateor, durissimum mihi fuit matri in tantùm amanti dilectum filium, in cruce morientem intueri, quia tamen sic divinum Sanctissimæ Trinitatis urgebat decretum, sexum & dolorem vicit patientia, meque divinæ penitùs subjeci voluntati, rursusque tacitè exclamavi, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*. Hoc Marianum responsum, quod non tantùm pro contemplativis, sed etiam pro quolibet adhuc Christiano, sic mirabiliter declarat Richardus: *Beata Virgo, nec passionem filii impedivit, nec crucifixoribus maledixit*. *Rich. lib. de laud. B. Virg.* Et paulò infra, *Sicut tu Domine salutem humani generis in Cruce sitisti, sic & ipsa Virgo sitivit, stabat juxta crucem, non ut dolores filii tantùm consideraret, sed ut salutem humani generis exspectaret*.

Plut. in vita Pyrrhi.

Necesse est ex jam dictis confiteri, Mariam non minùs Christo, quasi ut ita dicam, salutem humani generis adamasse, una enim, eademque erat utriusque voluntas. Unde, si Ægyptii (ut refert Henricus Scanluen in suis Aphorismis l. 207.) ut affectum & amorem parentum in filios describerent, Vulpanseris simulacrum depingere solebant, quia hæc avis ex proprio naturæ instinctu tanto amore filios prosequitur, ut uterque parens pro illis venatoribus se in prædam tradat, ut sic à capiendis filiis illos occupet & avertat: dicam ego audacter, si Christi, & Mariæ erga ingratos filios, homines inquam, amorem, ô Christiane, vis expiscari: cerne an non veræ Vulpanseres sint Christus & Maria. Ille enim sese laniandum per Judæos infernalibus nostrarum animarum venatoribus objecit, ne laqueis eorum illæ implicarentur, & hoc stratagemate illorum evasimus retia, ita ut exclamare possimus, *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*. *Psal. 123. v. 7.* Maria verò suam quoque in filii carne, quæ de ejus sumpta erat substantia, pro mundi salute voluntariè obtulit humanitatem, & sic, sicut ille in carne, ita ipsa passa est mente. Etenim Mariæ voluntas planè divinæ erat conformis.

Ecce, ô Auditores, abundè satis audivistis, & credo cognoscitis, quale heliotropium sit Maria, illa enim nunquam à cursu Solis divini deflexit, nequidem in tempore maximè nubilo, scilicet in passione filii, quo ipsa plusquam omnes martyres, ut supra ostendimus, passa est Virgo, sed immota cruci adstitit: numquam eum quoque in vita deseruit, in cujus laudem virtutem hanc

Augustin. diserte exaggerat magnum illud Ecclesiæ lumen Africanum Augustinus, Jesum alloquens: *Numquam te deseruit mater tua, bone Iesu, non in infantia, non in juventute, non in passione tua, numquam tibi defuit ejus solatium, sed neque obsequium. In infantia passa est circumcisionis filii dolorem, Herodis persecutione nocturnæ fugæ amaritudinem, in passione Iudæorum crudelitatem, quia voluntatem suam perfectissimè divinæ conformarat, dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum: & vocabis nomen ejus Iesum.* Maria itaque, rursus repeto, ut verissimum heliotropium, & vera increati Christi Domini Solis umbra perfectissima exstitit, unaque cum filio, & suam Patri æterno in holocaustum passionem offerebat, ut testatur Arnoldus Carnotensis: *Omninò hic erat una Christi & Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.* Sicque Maria ingruente furibundâ Christi passionis tempestate, cruci adstans, omniaque filii tormenta contemplans, ipsa eadem in corde (quod durius est, ut Concione quintâ ostendi, quàm carne) passâ est, ut clarissimis his verbis innuit S. Bonaventura: *Hoc solùm restat, quod ipse in corpore, Maria verò in corde passa est, nec non singula vulnera per corpus ejus dispersa, in corde generaliter sunt unita, quia nempe tuam animam gladius pertransivit. Tu Domina in tuo corde es lanceata, tu amaris clavis inclavata, tu spinis coronata, tu illusa & exprobrata, tu contumeliis, & maledictis affecta, etiam felle & aceto potata,* sicut prophetaverat Propheta Jeremias: *Tetendit arcum suum,* id est, æternus Pater Unigeniti sui humanitatis chordam fortissimè contraxit, ac sacrosanctum ejus corpus tam crudeliter sauciatum suprà infamem crucem expandit, *& posuit me quasi signum ad sagittam,* id est, omnes tormentorum sagittæ, quæ Christi corpus transfigebant, in meum afflictæ matris cor crudeliter sæviebant. Unde rectè notat Joannes immori ejus animi constantiam per tò *stabat,* ne scilicet ulla sagitta suprà caput sedentis fortè avolaret.

Arnold. l. de laud. Virg.

S. Bonav.

Ierem.

Sed nec hìc stetit invicta Mariæ in patiendo perseverantia, nec ardens in filium amor, nec ei suffecit sese illum morientem vidisse, sed immobilis etiam post mortem, apud crucem remansit, donec benedictum Christi corpus, quod novem mensibus tantâ cum lætitiâ gestârat, de cruce depositum maxima cum tristitia in gremium reciperet. Hoc pretioso thesauro, cùm Mariam contemplor gravatam, memini pulcherrimæ, quam Plutarchus narrat de prudentissimo Lacedæmoniorum Rege Age historiæ. Hic justitiæ & æquitatis amantissimus, dum effrænatos subditorum mores, & libertinam vitam compescere conaretur, ab impiis sicariis crudeliter est interfectus. Cujus corpus cùm pia ejus mater in sinu suo repositum mœsta & desolata intueretur, atque cuncta vulnera lachrymosis oculis sedulò perlustraret, tandem in hæc verba prorupit: *Heu fili mi! tua bonitas, tua mansuetudo, & humanitas te simul & me perdidit.* Non secus filii sui sanguinolentum Mariam Virginem inspicientem cadaver, ac tot vulnera, & millenos & millenos flagellorum ictus explorantem, ad eum exclamasse arbitror: Heu fili mi! tua bonitas, fervens tuus in genus humanum amor te sanguinis, meque cordis passioni addixit. Sed, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum,* mea subjaceat voluntas, divinoque tuo perfectissimè pareat nutui. Ecce quàm excellens flos heliotropium, quam perfecta Dei umbra sit Maria.

Plut. in suis Apotch.

Narratur à quamplurimis Historiographis, ut testatur doctissimus noster Walderama, sermone de S Francisco, de nobilissima matrona Laodamia, uxore Protesolai, quòd hæc, jam charo marito orbata, tam longâ ejus absentiâ pertæsa, ac doloris impatiens, à Diis suis pro favore & gratia expostulaverit, ut si fata vivo marito gaudere denegarent, saltem ad modicum tempus illius umbrâ frui liceret. Quo ei concesso beneficio, tanto mariti umbram ardore amplexata est, ut ab ea sese minimè divelli permiserit, sed cum ea ad inferos, ut Statius & Propertius ajunt, descenderit. Quòd si hoc potuit Laodamiæ in maritum Protesilaum amor, quid non fecit maternus Mariæ in Christum affectus? Non dubium, ô auditores est, quin sauciatum filii cadaver in sinu suo volvens, & revolvens, millies sit exosculata, illudque brachiis suis arctissimè constrinxerit, exoptans cum eo sepeliri, & ad inferos descendere. Sed heu! nec hoc piæ matri, quod Laodamiæ, à superis concessum fuit beneficium, verùm ad majorem matris passionem, defuncto filio, quamplurimis annis supervivere est compulsa, & ad hæc omnia tormenta & dolores, quid aliud in Mariæ ore resonabat, nisi *Fiat mihi secundùm verbum tuum;* omnia enim hæc tormenta Dei promerita est maternitas.

Ostendi,

Ostendi, ut credo, Auditores, satis fusè, Mariam perfectum fuisse heliotropium, ac æterni & vivi Solis umbram, non tantum in prosperitate, sed etiam in maxima adversitate, & in acerbissima mentis passione. Hanc, ô Christiane, tibi propono pro inauditæ patientiæ, & perfectæ in tribulationibus constantiæ exemplari. Teque animitùs exhortor Exodi verbis: *Incipe, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Si Seneca in suis calamitatibus patientis Sixtii recordatione sublevabatur, imò & ad majora toleranda anhelabat, quid solatii, quid sublevaminis, tu ô homo! non es recepturus, si dolorosam Matrem Mariam, in adversitate constitutus, in monte Calvariæ stantem juxta filii sui crucem, nimio dolore contritam, mentis oculis inspexeris? Ex hoc sanè edisces tuam cum divina omni tempore, etiam tempestuoso, conformare voluntatem; ex hac disces ad Deum clamare: *Fiat mihi secundùm verbum tuum: Domine, fiat voluntas tua.* Et ita te, ut heliotropium movendo ad motum increati Solis, id est, divinæ ad amussim obsequendo voluntati, quæ ex essentia sua recta est & infallibilis, rectam & infallibilem ad æternam beatitudinem adinvenies semitam, & in æternum inflexibili ei incommutabili adhærebis voluntati.

Exod. 25. v. 40.

CONCIO XVI.

THEMA.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. c. 1.

ARGUMENTUM.

Tractatur prolixè de profunda Mariæ Virginis humilitate, ex qua eruitur illius, super omnes creaturas eminentia.

AMazones pro Dea pudicitiæ & Apollinis sorore colentes Dianam, maximè ipsius venerationis promotioni insudantes, tandem in Republica tantum effecerunt, ut communi calculo constitutum sit, ei templum exstruere, non minus magnificum, quàm sumptuosum. Ad quod electo in famosa & celebri civitate Ephesina loco circulari, per manus peritissimi Architecti Tisiphontis hujus stupendi ædificii jecerunt fundamenta, cujus industriâ ac singulari arte illud ad tantam deductum est perfectionem, ut omnium animos in stuporem rapuerit, ac proinde inter septem miracula mundi sit collocatum.

Nec sanè absque magno fundamento: miraculum enim erat, tam solemnis Gentilium in falsæ Deæ honorem erecta fabrica. In uno etenim rotundo mille mirabilia continebantur. Ad fundamenta oculos si quis convertebat, tanti artificii splendore obfuscabantur; jacta enim erant in loco palustri, & minimè firmo. Si ad parietes, nec deerat stuporis cunctis causa, quia artificiosissimè delicatissimo ac pretiosissimo totius Italiæ marmore erant supervestiti. In iis quoq; quamplur mæ mirabili industriâ à diversis famosis sculptoribus apparebant sculptæ statuæ. Si quis tectū contemplabatur, non humanum, sed divinū opus fore judicabat: quia totum purissimo auro obductū, atq; pretio-

pretiosissimis gemmis intertextum erat. Si pavimentum inspiciebatur, varii grati colores, atque ratæ figuræ, ex marmoreis lapidibus exscissæ, & stupendâ dexteritate opere Mosaico unitæ, oculis objiciebantur, mentemque aspicientis reddebant attonitam. Fornices mirabilis hujus machinæ centum & viginti sex magnificis columnis, septuaginta pedum altitudinis, ex porphyro, agata, & dediascoro sustentabantur, quibus rursus artificiosissimæ sculpturæ in numero quasi infinitæ cernebantur intermixtæ. Portæ ex cypresso erant confectæ, ornatæque pretiosioribus, quos Indiarum gignunt Regna, unionibus, & quidem in tanta abundantia, ut eos omnium totius firmamenti stellarum numerum longè excedere existimaretur. Sed hoc maximè est annotandum, quòd quantumvis cuncta hujus templi forent mirifica, atque superba, tamen intitulatum erat *Templum humilitatis*, & idcircò omnes statuæ flexis genibus Dianam adorabant. Imò & ipsamet Diana profundè inclinata, fratrem suum Apollinem supplex venerabatur. Hinc quoque in portis, parietibus, ac fornicibus ingeniosa de humilitatis virtute legebantur elogia.

Si mihi liceat, ô Auditores, pia profanis commiscere, dicam audacter, illud magnificum Dianæ templum mirabiliter adumbrare divinum Sanctissimæ Trinitatis Templum Mariam Virginem, non à Tisiphonte fundatum, sed ab ipso supremo artifice Deo, *Fundavit eam Altissimus*, auro gratiæ sanctificantis, etiam à primo conceptionis instanti, decoratum, quamplurimis donorum Spiritus Sancti figuris refertum, diversarum prærogativarum columnis suffultum, ac pretiosissimis virtutum omnium gemmis, atque unionibus mirificè resplendens. Et sicut illud Dianæ templum, quamvis maximè superbum & sumptuosum, tamen theatrum erat humilitatis, sic & Maria Dei Genitrix, quamvis sit viva imago ipsiusmet Sanctissimæ Trinitatis, omni Divinitatis quasi splendore coruscans, est tamen templum humilitatis, nihilque in omnibus operibus suis, nisi humilitatem spirat. De hoc novo mundi miraculo, & cælesti prodigio obstupefactus S. Bernardus, exclamat: *Quid est hoc? Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo, sic humilis, ut desponsata sit fabro. O pulchra virginitatis, celsitudinis, & humilitatis permixtio! Quantò majorem se audit Virgo, tantò se humiliat in omnibus* — Bern. super Missus.

Et serm. 2. in Cant. ait: *Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & tamen humilitate non caruit.* — Et serm. 2. in Cant.

Et ex hoc idem Doctor eximiam Mariæ eruit celsitudinem, dicens: *Et ideò concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ associavit.* Huic quàm scitè concinit S. Bernardinus: *Sicut nulla post filium Dei creatura tantùm ascendit in gloriæ dignitatem, sic nec tantùm descendit in abyssum humilitatis profundam. Nec insuper alicui puræ creaturæ in hoc sæculo est datum gustare nihilum creaturæ, nec tantùm se humiliare & annihilare sub volito majestatis.*

Hæc sublimis & stupenda virtus est, quæ Mariam super omnes Sanctos, omnesque Angelicos spiritus incomparabiliter exaltavit; quia enim respexit supremus Dominus humilitatem ancillæ suæ, fecit ei magna, qui potens est, & ob hoc Beatam eam dicent omnes generationes. Hoc præsentis discursus objectum est, quod mox discutiemus, allucente nobis, ut speramus, mediante hujus piissimæ Matris Spiritus Sancti adjutorio & gratiâ, ad quam impetrandam eam unanimiter rogitemus, salutantes illam Angelica salutatione, *Ave &c.*

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.

Quæstio non minùs subtilis, quàm curiosa inter veteres celebres Philosophos sagaciter est ventilata, quænam nimirum res simul esset maxima, & minima; ad quam, sicut varia reperiebantur inter competitores ingenia, ita & variæ prolatæ sunt opiniones. Quidam enim mordicùs sustinuêre, illam esse oculum, utpote, qui in seipso exiguus & parvus, maxima etiam, videlicet omnes res visibiles, cælum & terram, &c. accuratè percipit. Alii verò cor humanum fore asserebant, quod quantumvis parvum corporis humani sit membrum, tamen universum mundum, imò & plura ambire potest. Tandem rectiùs & ingeniosiùs alii intellectum illam esse judicabant, qui in essentia sua & natura spiritualis ac indivisibilis, non tantùm omnes res materiales & corporeas, verùm etiam immateriales & incorporeas, visibiles & invisibiles intra objecti sui latitudinem comprehendit. Si mea ad hanc quæstionem exigeretur responsio, à naturali ratione ad moralem & mysticam transiens, rem maximam & mini-

mam

mam fore assererem Virginem Mariam, quæ tenella adhuc puella illum Deum, quem nec totus orbis, nec cæli ipsi capere poterant, augusto benedicti uteri sui circulo comprehendit. Unde cantat Ecclesia de Maria: *Quem totus orbis capere non poterat, in tua se clausit viscera, factus homo,* secundùm Jeremiæ vaticinium, *creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum.* O eximia Mariæ Virginis celsitudo! Ecce fecit eam adeo magnam ille, qui potens est, ut Mater Dei effecta, omnium Angelorum choros transcenderit, caputque usque ad sedentem in throno majestatis erexerit. Minima est tamen Maria per propriam suam abjectionem, & annihilationem. Etenim dum Regina cæli, Domina mundi, Mater Dei declaratur, ipsa sese vilem & obsequiosâ Domini protestatur fore ancillam, *Ecce ancilla Domini.* De quo summoperè attonitus S Bonaventura exclamat: *O mira & profunda humilitas Mariæ! ecce Mariam Archangelus alloquitur, Maria gratiâ plena dicitur, in Matrem Domini assumitur, omnibus creaturis anteponitur, jam Domina cæli & terræ efficitur; sed in omnibus his mirâ humilitate deprimitur, dicens: Ecce ancilla Domini.*

Jer. 21. 22.

Bonav. in Spec. Virg.

Stupendum refert celeberrimus Scriptor Sozomenus contigisse miraculum, dum Deipara Virgo tyrannidem furibundi fugiens Herodis, puerum Jesum brachiis gestans, Hermopolim Ægypti civitatem est ingressa Cujus verba hîc ad amussim adjicio: *Memorant arborem esse, quæ Persis dicitur Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis, cujus fructus aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota, morbos à quàm plurimis depulerit. Nam traditum est Ioseph, cùm propter Herodem, assumpto secum Christo, & sanctâ Mariâ Deiparâ, fugisset, venisse Hermopolim, atq; simul, ut portæ appropinquavit, istam arborem, licèt planè maximam, adventu Christi turbatam esse, atque ad solum usque deflexisse, & Christum adorasse.* Quod insensata arbor in sui Creatoris peregit reverentiam, longè nobiliori modo, profectiori ratione, atque majori prudentiâ in Redemptoris sui agnitionem mystica illa arbor demonstravit Maria, quæ de se ait: *Ego quasi palma exaltata sum in Cades*; ipsa namque, quamvis omnium creaturarum maxima, Verbum in sacrosancto utero suo incarnandū fore, à cælesti paranympho edocta, *Turbata est*, inquit Evangelista, seseq; in terram humiliter prostravit, exclamans:

Sozom l. b. 4. Histor.

Eccl. 20.

Ecce ancilla Domini. Si itaque propter talem præfatæ arboris insensibilis inclinationem ipsius foliis, fructibus, & cortici à Deo concessa sit virtus, ut diversis hominum infirmitatibus quasi medela sit destinata: quid non Mariæ potentiæ, quidve virtutis, quodque ob tam mirabilem sui abjectionem à tota sanctissima Trinitate in totius universi emolumentum datum esse dicemus privilegium? Imò, imò auditores! quia respexit humilitatem ancillæ suæ, fecit ei magna, qui potens est. Ac proinde Mariæ Antiquorum palmæ concinnè potest appropriari hieroglyphicum, *Declino*, cum epigraphe, *& inclinata resurgo.* At quæ sunt quæso illa magnalia, ad quæ resurgit, quia respexit humilitatem illius, Maria?

Mellifluus Doctor S. Bernard. hanc maturè ponderans Scripturam, loco tò *humilitatem* juxta textum Hebraicum legit, *nihileitatem*; ideo ait: *Maria dicens, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, considerabat Dei Majestatem & suam nihileitatem.* Vatablus autem legit, *vacuitatem.* Hoc itaque immensum gratiæ vas vacuum Mariam Virginem contemplans ipse author omnis gratiæ Deus, omnes omnium Sanctorum sanctitates, perfectiones, prærogativas, virtutes, atque cælestia dona in unum quasi compilavit, & Mariæ genitricis suæ animæ, tanquam tanto humilitati, seu vacuitati, saltem ad minus *de congruo* debita, infudit. Quia, ut rectè ait doctiss. Rupertus: *Cunctæ virtutes, omnes gratiæ, cuncta dona, quæ Virginem exornabant, humilitati ejusdem tributum pendebant.* Quia illæ omnes ex illa, tamquam radice pullulant, & sine illa cunctæ penitus intereunt, teste S Chrysostomo, dicente: *Quot igitur bona nobis parit humilitas? Quid vis? tolerantiam, lenitatem, humanitatem, vigilantiam, solertiam, hæc omnia ex humilitate proveniunt.* Et paulò infrà: *Sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absq; humilitate congreges, statim cuncta defluunt, cunctaque depereunt.* Et sic, sicut præclara in hac virtute Maria Virgo super omnes creaturas eminuit, ita ratis Spiritus Sancti charismatibus specialiter meruit dotari, & super omnes debuit elevari. Quod argumentum confirmat mellifluus Doctor his verbis: *Certè Maria humiliata est præ omnibus, quapropter meritò facta est novissima prima, quæ cùm prima esset, omnibus se novissimam effecit, & meritò propterea facta est omnium Domina, quæ se exhibuit ancillam.* Nec id mirandum, si enim verif-

Bernard. serm. 51.

Rupert. in Cant. c. 2.

Chrys. ho. 15. in c. 5. Matth.

Bern. serm. signum magnum.

verissima hæc sit, sicut verè est, Africani luminis S.P.N. Augustini sententia, *Magna virtus est virtutes habenti contemnere gloriam*, ergò plures habenti & perfectiores, & tamen gloriam contemnenti, major virtus est. Quandoquidem itaque in Maria omnis omnium perfectionum, & virtutum sit plenitudo, (ut Concione quartâ demonstratum est,) legitimam hanc deduco conclusionem, ergò Maria Virgo, omnem inanem spernens gloriam, summum virtutis humilitatis attigit apicem, illaque pervenit ad *non plùs ultra*, & ad quamdam quasi infinitatem. Et ob hoc Bernard. mirificè, sed nondum satis, Marianam hanc extollit virtutem divinis his verbis: *Quæ est ista humilitas sublimis, quæ honori cedere nescit, insolescere gloriâ non novit? Dei Mater eligitur, & ancillam se nominat. Non magnum est humilem esse in abjectione, magna verò prorsus, & rara virtus humilitas honorata.*

Augustin.

Bern. hom. 4 super Missus est.

Verùm supremus Dominus mirabile tantæ vacuitatis vas, jam omnem omnium Sanctorum, atque cælestium spirituum continens gratiam, attentâ mente volvens & revolvens, atque infinitâ suâ sapientiâ perspicaciter perlustrans, immensam adhuc restare reperit vacuitatem. Quâ inspectâ, ecce fecit ei magna, qui potens est; ac verbum seipsum, immensam per essentiam gratiam, benedictum Mariani uteri vas intrusit, ac divinam naturam humanæ arctissimo hypostaticæ unionis copulavit. *Eo momento*, ait Richardus, *quo dixit, ecce ancilla Domini, inclinavit cælos, atque disrupit, & descendit in eam.* Cui accinit Bernard. *Etsi placuit de virginitate, de humilitate tamen concepit.* Imò tenet doctissimus Hugo, utramque virtutem, tamquam necessariam, ad hoc mysterium cucurrisse. *Virginitas & humilitas*, inquit, *quomodo in unum convenistis? Quid fecistis?* Et respondet, *sic sublimastis humanitatem, sic fæcundastis Virginem, ut Virgo Dei pariat filium, & humilis habeat sponsum Dei.* Et hoc idem ipsamet rursus confitetur Maria in Cantic. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Et mox subjungit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Quem locum acutè, ut solet, indagans Bernardus, summopere admiratur tam subitaneam sponsæ loquendi modi immutationem; etenim vix sponsum suum cælestem, tamquam Regem & Dominum dominantium divino Majestatis solio insidentem nominarat, confestim sibi eum dilectum amicum, & quasi æqualem adscribit, atque inter ubera sua commorari, & quiescere asserit. Quid hîc quæso latet mysterii?

Rich. li. 1. de laud. Virg.

Bernard. hom. 1. sup. Miss.

Hugo à S. Victore de lamentatione Virg.

Cant. c. 1. v. 11.

Bernard.

Narrant Naturalistæ ab authore naturæ Balenæ miram, ad pisces maris, in proprium nutrimentum capiendos inditam esse astutiam. Hæc enim non ignara, illos naturali instinctu tantam molem, & quasi monstrum detestari, ac fugere, fame oppressa, alimentique indiga, guttur suum aperit, è quo dulcissimos ac gratissimos emittit odores, quibus pisces allecti & attracti, Balænæ fauces intrant, & sic præda manent, atque deglutiuntur. Haud dissimili modo sacram illam Balænam, Mariam Virginem inquam, cibi cælestis ac divini indigam, Verbum æternum è cælo expiscatam fuisse arbitror. Hæc enim considerans Deum tot jam sæculis sese ab humana natura, ad spirituale alimentum adeò ex necessitate anhelante, demonstrasse alienum, benedictum suum os aperit, *Ecce ancilla Domini*, & tam suavem nardus ejus, id est, humilitas spirat odorem, ut illius mirâ fragrantiâ attractus Dei Filius, atque tantæ suavitatis odore inescatus, tamquam Rex in sinu patris ac Majestatis throno residens, ad Mariam dilapsus sit, factus dilectus, & inter ubera ejus commoratus. Hoc apertè innuit citatis verbis sponsa Maria, inquit Bernardus: *Antè Rex, modò dilectus, anteà in accubitu regio, modò inter ubera sponsæ.* Sed cur tanta mutatio? Nardus inquit humilis herba humilitatem significat. Et inde concludit: *O magna humilitatis vis, cui tam facilè Majestas Deitatis se inclinat: & reverentiæ nomen in amicitiæ vocabulum mutatum est!* Nullo enim aliarum virtutum odore, quàm profundæ humilitatis, Verbum divinum è regio thalamo, & cælesti throno ad sacro sancta Mariæ viscera suaviter allectum est. Quia, ut eruditè ait Guilielmus Parisiensis: *Habet hoc humilitas, quod vacuitas ejus* (alludit autem ad lectionem Hebraicam) *impleri non potest donis largitoris, sed contendit cum immensitate divitiarum Dei: & dicit, imple saccum vacuitatis meæ, si potes Domine Deus.* Quia, ut ait Philosophus, locus debet proportionari loco citato. Ad hanc itaque vacuitatem, quæ immensa erat, implendam, immensa requirebatur gratia, & Deus ipse, quo in Mariæ castissimis penetralibus incarnato gratiâ plena, & superplena effecta est. Ecce, quia respexit humilitatem, & vacuitatem Mariæ, fecit ei magna, qui potens est, imò maxima, ait Anselmus: *De Maria Virgine solùm dicere, quòd*

Bern. loco citato.

L. 4. Physic. c. 4.

Mater

Mater Dei est, superat totum, quod sub Deo dici potest. Sed de divinæ Maternitatis excellentia latiùs, Deo dante, agemus infrà.

Super hæc Mariæ Virginis marginalia sese reflectens Venerabilis Beda, in hæc divina prorumpit verba: *Fecit mihi magna, quia Virgo: Magnum, quia Mater, maximum, quia Dei.* Et rursus, *Fecit magnum, quia cùm tanta sit, putat se nihil esse.* Ubi indicat Beda, humilitatem omnem longè antecellere dignitatem. Et ex hoc dilucidari clarissimè potest illa, quam S. Bernardus excitat, quæstio: scilicet quomodo Angelus, eâ jam jam salutatâ gratiâ plenâ, dixerit pòst, *Spiritus Sanctus superveniet in te*: *Superiùs*, inquit, *dicta est fuisse gratiâ plena, & nunc quomodo dicitur, Spiritus Sanctus superveniet in te? Nunquid potuit repleri gratiâ, & necdum habere Spiritum Sanctum, cùm ipse sit dator gratiarum? Si autem Spiritus Sanctus in ea erat, quomodo adhuc, tamquam noviter superventurus repromittitur? Fortè, an ideò non dixerit simpliciter veniet, sed addit, superveniet?* Et respondet: *Quia priùs quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam,* scilicet, dum ob Mariæ humilitatem *Verbum caro factum est.* Hujus virtutis potentiam quoque maturè inspiciens S. P. N. Augustinus serm. de superbia, cogitur exclamare: *O sancta, venerabilisque humilitas! tu Dei Filium descendere fecisti in uterum sanctæ Mariæ Virginis: tu eum fecisti involvi pannis, ut nos indueret virtutum ornamento.*

Beda in c. 1. Lucæ. *Bern. ser. 4 super Missus.* *S. August.*

Et hoc idem, particulariùs tamen, Maria ipsa tantum humano generi collatum incarnationis beneficium humilitati adscribit, dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Ad quod Ambrosius divinè ait: *Ac si diceret Maria, quia humilitas vera præcessit, quæ Dei Filium ad habitaculum carnis meæ invitavit, quæ Spiritum Sanctum ad munditiam cordis mei attraxit, ut Verbi carnem cum Verbo & Patre in visceribus meis efformaret, propterea beatitudinis nomen in cunctis generationibus ipsa promerui.* Ambrosio suaviter concinit Augustinus: *O vera humilitas!* inquit, *quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, & omnium animas liberavit. Facta est Maria humilitas scala cælestis,* *per quam Deus descendit ad terras, quid enim est dicere: respexit humilitatem ancillæ suæ, nisi approbavit?* Hoc egregiè quoque comprobat S. Antoninus p. 4. tit 15. cap. 21. super hæc verba: *Nardus mea dedit odorem suavitatis. Verùm dum esset,* inquit, *Rex in accubitu suo, id est, in requie sua, quasi dormire videbatur, & non curare de salute humana; omnes enim ad inferos descendebant, nardus mea dedit odorem suum, herba parva, & significat Beatam Virginem humilem, quæ maximè dedit odorem suæ humilitatis, quando se totam Deo committens, & subjiciens, ait: Ecce ancilla Domini, qui odor usque ad cælum ascendit, & in cælo accumbentem, quasi evigilare fecit, & in utero suo quiescere.*

Antonin.

Nec id ipsemet Deus sponsus Christus diffitetur; ille enim, cùm electæ suæ Genitricis perspicacissimo divinæ sapientiæ acumine omnem pulchritudinem, omnem venustatem & leporem perlustraret: præ cæteris sibi in una quã maximè complacuit gratia, scilicet in calceamentis, dicens: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Per calceamenta enim interpretatur Rupertus humilitatem, quæ sicut ad ima respiciunt, ita & vera humilitas. Unde Mariæ & Verbo æterno illud evenit, quod Rhodope Ægyptiacæ, & Regi Psalmerico contigisse asserunt historiæ. Hujus enim formosissimæ filiæ (ut suprà memini) calceum aquila rostro arreptum, cùm Memphis in sinum Regis dimisisset, tanto amoris æstu illius pulchritudine flagravit, ut mox Rhodopen sibi in legitimam sponsam, regnique sui hæredem ac Reginam accersiri mandavit. Haud aliter inquam, supremus Rex Psalmericus Verbum æternum, respectâ profundissimâ Rhodope nostræ Mariæ humilitate, tanto exarsit amore, ut subitò Angelum è cælo dimittens, sibi eam in Matrem & sponsam delegerit, illamque in supremam cælorum Reginam adsciverit. Hinc S.P.N. Augustinus acuto suo ingenio subtiliter hujus virtutis efficaciam pervolvens, cogitur exclamare: *O vera humilitas &c.* quia itaque respexit humilitatem ancillæ suæ, fecit ei magna, qui potens est.

Cant. c. 7.

Eximiam hanc virtutem adeo Deus adamavit, ut illam ab ipsiusmet mundi primordio, & in prima hominis creatione nobis sedulò commendarit ac inculcarit. Pro quo dilucidando accuratè modus ejus creandi creaturas, est annotandus. *In principio,* ait Scriptura Gen. c. 1. *creavit Deus cælum*

Gen. 1. 1.

cælum & terram &c. in fine autem semper additur, *& vidit Deus quod esset bonum.* Ut ex ipso textu cuilibet constat. Dum autem creavit Deus
Vers.27. hominem ad imaginem suam, ut habetur v. 27. omnium creaturarum materialium nobiliorem, à laude bonitatis abstinet, nec dicitur in Scriptura: *Et vidit Deus quod esset bonus*: verum dumtaxat ejus originem, atque plasmationis materiam describit Spiritus sanctus, *formavit hominem de limo terræ.* S. Chrysostomus de hoc obstupefactus, inquirit, cur inanimatarum, ut cæli & terræ, animatarum animâ vegetativâ tantum, ut virgultorum, plantarum, ac acerborum, animatarum quippe animâ sensitivâ, ut piscium, avium, atque terrestrium animalium bonitatem expresserit conditor, nullâ planè de hominis bonitate factâ mentione?
Chrysost. in hunc locum. Respondet in hunc locum propositæ difficultati: *Si homo ita est perfectus, cur, cum aliæ creaturæ, ut ex divino opificio novæ, recenterque procedebant, statim à Deo laudabantur: solus homo ex sui artificis manibus abiit illaudatus?* Ideò, inquit, *Deus eum non laudavit, ut omnem ei adimeret superbiendi occasionem* Quo innuere voluit Deus, nullam creaturam rationalem sine profundæ humilitatis virtute, in divina gratia posse persistere, ut tàm in Angelis apostatis, quàm in protoplaste Adamo contigit. Hæc enim omnis rectæ vitæ est solidum fundamentum.

Ioan. c. 19. v. 34. Augustin. serm. 120. in Ioannem. Ad quod ostendendum, non minus curiosè, quam subtiliter indagat quidam modernus, cur Christus Ecclesiam post mortem suam fundarit, tùm scilicet, dum inclinato capite, cruci affixus, Longinum ad pretiosissimum è latere effodiendum thesaurum benignè invitavit Scriptum ait, *mihi latus aperuit, & continuò exivit sanduis & aqua.* Tunc enim secundùm fundamentalem Ecclesiæ Doctorem S.P.N. Augustinum, ex latere ejus præcipua Ecclesiæ Sacramenta, quæ sunt efficacissima animarum nostrarum medicamina, & spiritualis progressus adminicula, profluxerunt: *Vigilanti verbo,* inquit, *Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illis quodammodò vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ verè vitæ est non intratur.* Quænam autem Sacramenta è pectore Christi pro universi mundi vita scaturierint, dupliciter exponit Euthymius: *Sangui-*
Euthymius in c. 17. Ioan. c. 39. *nem & aquam scaturire fecit duo designans baptismata, unum quidem, per sanguinis martyrium, alterum verò aquæ regenerationem, atque horum fluxu peccati fluxum demergit.* Et aliter, *duos scaturire fecit fontes, aquâ quidem purificans Ecclesiam, sanguine verò eam enutriens: siquidem per aquam renascimur, per sanguinem autem & carnem pascimur, quæ divina sunt ac mystica.*

Hunc conceptum vulgari dilucidat exemplo. Si quis, inquit, magnificam, atque altam mandet exstrui fabricam, primò de solido maturè cogitans fundamento, eò usque terram effodi curat, donec firmus fundus reperiatur super quem jaci debet lapis fundamentalis, idque, ne nimiâ temporum longâ vicissitudine ædificium labatur; pariformi ait, in divina ille Ecclesiæ sponsæ suæ erigenda fabrica, usus est methodo Christus Dominus. Hic enim, quamvis in juvenili ætate, imò & ab instanti Nativitatis suæ exclusus à diversorio, natus in stabulo, Rex Regum, & Dominus Dominantium, aulicis contentus irrationabilibus animalibus, quàm maximè suam mundo demonstrarit exinanitionem, ac subjectionem, octavo quoque die legi sese sine ulla planè necessitate subjiciens Moysaicæ, circumcisus, à Joanne baptizatus, attamen nondum ejus humilitas ad ultimum terminum, & ad herculeas columnas *non plus ultrà* pervenerat, atque solidum ædificii fundum attigerat; verum, cum patri obediens, moriendo *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem mortem autem crucis,* qui actus ultimus perfectissimæ humilitatis exstitit gradus; *Ad Philip. c. 2. v. 8.* immobilem lapidem pro ædificio Ecclesiæ suæ, numquam subvertendo, jecit fundamentalem, juxta ipsiusmet Christi testimonium, *& portæ in- Marc. 16. feri non prævalebunt adversus eam*; *v. 16.* quid itaque mirum, si Deus ædificii redemptionis nostræ, cujus initium fuit ipsius Verbi incarnatio, lapidem fundamentalem elegerit humillimam Mariam, supra quam excelsa ista fabrica inconcussa, atque immota persisteret Humilitas enim omnis spiritualis constructionis firmissimus est fundus, ita aureis verbis explicat S. Chrysostomus: *Unusquisque, inquit, humilitate suppositâ, tutissimè omnia alia superponit ædificia. Hâc verò subductâ, etiamsi ad ipsum usque cælum conversationis sublimitate pervenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur.* *Chrysost. hom. 15. in c. 5. Matth.*

Ostendi quantùm in electione ad Maternitatem Dei, Maria Deipara adamarit humilitatem, sese ancillam dicens, Reginam tamen cæli & terræ veri-

ræ veridico testimonio declaratam. Perscrutemur modò, quomodo in tota vita sua hanc virtutem coluerit. Illa apprimè apparet à tempore conceptus divini fætus, quandoquidem ipsa montana transcendens, ut præcursorem filii sui Joannem Baptistam, adhuc in utero Materno delitescentem, sanctificaret, magnificum illud Incarnationis mysterium subticuerit. Cujus rationem dat Albertus Magnus: *Occultat se esse Matrem Dei, ne tantam gratiam manifestando, fortasse humilitati suæ derogaret.* Verùm Deus profundæ Mariæ Matris humilitatis mirificus exaltator, inclusum maternis visceribus illam Dei Matrem vult confiteri. *Luc. c. 1. v. 41.* Et *Exultavit infans in utero meo.* Deinde, cum apud dilectum suum sponsum Josephum de aliqua impudicitiæ nota tacitè (ut Scriptura notat) accusaretur, maluit castitati suæ, rursus altissimum hoc Sacramentum occultando, quàm humilitati damnum inferri. Cujus iterum omnipotens Deus subvenit submissioni, teste eodem Alberto: *Verecundiæ puellæ*, inquit, *prolo utor factus est Dominus, dicens per Angelum, quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Maria ergò nulla sua merita, nullas, quascumque animæ dotes atque virtutes existimavit, nisi unicam pretiosam margaritam humilitatem, ut testatur Idelphonsus: *Idelphons.* *In nullo de se*, inquit, *præsumpsit Virgo, in nullo de se aliquid altum sapit, sed tota in Deum exultat, & tota ejus anima Deum magnificat, nihil sibi tribuit meritorum, nihil sibi de se applaudit, sed solummodò quæ Dei sunt requirit & sapit, idcircò in illa tota exultat, sola sibi vendicat humilitatem Ancillæ.*

Nec hîc gradum posuit Mariæ Virginis humilitas, sese divinæ nudam ancillam denuntiantis Majestatis, verùm plus ultrà progressa, se supremam omnium creaturarum Dominam, inferioribus projecit mortalibus, quod quàm maximè ponderat S. P. N. Augustinus supra hæc verba, *August. serm. 6. de diversis cap. 11. Luc. c. 2. v. 48.* *pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Maria primarium locum sponso suo Josepho cedit. *Non est prætermittenda*, inquit, *fratres tam Sancta modestia Virginis Mariæ, meruerat parere filium Altissimi, & erat humillima, nec se marito in ordine nominis præferebat, ut diceret ego & pater tuus, non attendit uteri sui dignitatem, sed ordinem conjugalem.* Ex hoc Mariæ facto discant superbæ mulieres viris suis omni cum modestia & submissione subesse.

Illud idem perquàm solidè stabilit ipsemet Spiritus sanctus Actorum cap. 1. ubi loquens de unanimiter orantibus in Monte Oliveti, immediatè ante Salvatoris nostri in cælum ascensum, primò Apostolos, deinde mulieres nominat, novissimum verò Mariæ Virgini assignat locum: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in orationibus cum mulieribus & Maria Matre Iesu.* *Act. c. 1. v. 14.* Sed quid ais ô divinè paraclyte? Ubi locorum tuam constituis sponsam, ac verbi Matrem? An forsitan Apostoli, aliæque mulieres in nobilitate ac dignitate Mariam antecellunt? Absit, hoc enim nefas foret asserere. Audite, quid dilectus Virginis filius Mellifluus Doctor respondeat Bernardus, *Bernard.* qui totum hoc in ardentem Mariæ Virginis humilitatis virtutis refundit amorem, cui morem gessisse autumat Spiritum sanctum: Legistis, inquit, in Actis Apostolorũ, *quod Apostoli in Monte Oliveti unanimiter perseverabant in oratione, ubi si Maria adfuit, nominetur & prima, quæ super omnes est, tam filii prærogativâ, quàm privilegio sanctitatis. At Maria quantò erat major, humiliavit se, non modò omnibus, sed præ omnibus, & meritò facta est novissima prima, quæ cùm prima esset omnium, se novissimam faciebat.*

Pro ampliori Marianæ humilitatis dilucidatione operæ pretium est, maturè indagare, quomodò nullus Evangelistarum, nec dilectus quidem illius filius Joannes, qui Mariæ perpetuus adstitit custos tutelaris, nec Lucas, qui toties artificioso suo penicillo formosissimam ejus imaginem vivis coloribus expressit atque delineavit, tantæ Virginis laudes non decantarit? & cur Spiritus sanctus Sanctissimæ Trinitatis sponsæ vitam, miracula, probos mores, heroica facta, aliasque divinas ejus animi dotes enucleatè non descripserit, sicut & acta Apostolorum, sed altissimo silentio Mariæ prærogativas suppresserit.

Pro hoc in mentem revocanda sunt signalata aliquot Christi Domini miracula, simulque certæ quædam, in illis perpetrandis annotandæ sunt circumstantiæ Joan. cap. 5. Christus Paraclitum, qui juxta probaticam piscinam triginta octo annis languerat, perfectè pristinæ sanitati restituit dicens: *Surge tolle grabatum tuum, & ambula, & statim sanus factus est homo iste.* *Ioan. c. 5. v. 7.* Cum autem ob tam manifesta miracula, in Jesum dentibus striderent perfidi Judæi, ipse hominem in templo repertum admonitum melioris vitæ, è turba dimisit. Lucæ cap. 7. pius Dominus afflictæ Viduæ Naim unigeniti filii sui matris mortem acerbè deploran-

Luc.c.7. v.14.& 15. tis, lachrymis ad pietatem commotus resuscitat, mortuo mandans: *Adolescens tibi dico surge, & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.* Et ait textus: *Et dedit illum Matri suæ.* Matth.cap.9. Rursus Paralyticum sanat: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, surrexit, & abiit in domum suam.* Ibidem vitam principis Archisynagogi filiæ defunctæ vitam restituit, ac prius tubicines & turbam tumultuantem ejecit. *Et cum ejecta esset turba, intravit & tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Joan c.11. Jesus quatriduanum mortuum Lazarum è sepulchro ad lucem revocat clamans voce magna: *Lazare veni foras, & statim prodiit, qui fuerat mortuus, & dixit eis Iesus, solvite eum, & sinite abire.*

Matth.c.9 v.7. & 8.

Ibid. v.25. Joan.c.11. v.44.

Sed quid plura commemoro? mirum sanè est, quod de quodam obsesso à Christo liberato, refert Evangelista Marc.c 5. is enim tanti sibi præstiti beneficii, ne quandoque foret immemor & ingratus, Christi comitatui obnixè expostulat annumerari: *Cumque ascenderet navim*, ait Scriptura, *capit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo.* Verùm repulsam passus est: *Et non admisit eum, sed ait illi, vade in domum tuam ad tuos.* De hoc Christi facto summoperè obstupefactus S. Ambr. exclamat: *Cur non recipitur liberatus, sed domum abire jubetur?* Ac si diceret, ô bone Jesu! quàm occulta judicia tua, tu Petrum, Joannem & Andream juxtà mare Galilææ labore piscandi defessos, quiescentes omnipotenti tuâ voce: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum,* suaviter ad tuam sequelam allexisti. Tu Matthæum, gravi avaritiæ pondere depressum, sedentem in telonio divino tuo intuitu ad Apostolatum attraxisti, & hunc miserum, te sequi deprecantem repellis? Tu juveni piam moram te subsequendi, ad patrem defunctum terræ mandandum injicienti, & roganti: *Domine permitte me primùm ire & sepelire patrem meum*: ais *sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Et hunc sequi desiderantem domum remittis? *Vade in domum tuam.* Cur ergò inquit Ambrosius non recipitur liberatus? Audite, quid respondeat: *Non nisi, ut jactantia causa vitetur, & fidelibus humilitatis præberet exemplum.* Simulque Christianos suos edoceret, quanto zelo, quantâ curâ vanam gloriam execraris, omnèsque subtilis hujus veni insensibiliter in animum irrepentis rescissis omnibus prorsus occasionibus, vires effugere ac humilitatem insectari eos oporteret, Hinc, ne ex sanati consortio & præsentia, patrati miraculi reminiscentia sæpè sæpiùs reviviisceret, illud occultare & totaliter sepelire volens, eum in domum suam redire coegit.

Marc.c.5. v.18. & 19.

Matth.c.8 v.21.& 22

Ambr. in hunc locum.

Et hæc est genuina, & fundamentalis ratio, cur Christus Dominus nullum infirmum à se miraculosè sanatum, aut mortuum ad vitam revocatum suæ societati adsciverit, & cur tubicines ac turbam tumultuantem ejici curarit, ne scilicet illi, viso tam stupendo miraculo, tubis & clangore Christi potentiam divulgarent. Sic concinnè ad nostram ex Divo Ambrosio adductam explicationem S. Chrysostomus, considerans hæc Christi verba: *Solvite eum & sinite abire*, attestatur dicens: *Intuere quod nullam gloriam exspectet, non ducit secum mortuum, id est, Lazarum non jubet secum esse, ut rem ostentet facto miraculo.* Etenim, si Lazarus Christum prædicantem per universam Judæam comitatus fuisset, indubiè populus turmatim ad eum videndum confluxisset. Christumque tanti miraculi patratorem indigitasset. Ut itaque nobis humilitatis virtutem inculcaret, ab omni ostentatione abstinens, Lazarum abire jussit. Chrysost.

Nec tantùm hoc in vita humilis Dominus, verùm & in morte mundo præbuit documentum. Pro cujus probatione adverte, quod Christo Domino trabi Crucis affixo, tenebræ factæ sint super universam terram. Cujus rationem indagantes SS. PP. ac Sacræ Scripturæ interpretes diversimodè sentiunt. Divus Bernardus stupendum hunc, præter inditam solis naturam eventum, inexecrabile Judæorum facinus, ac inauditam in Christum crudelitatem refundens, ait: *Gravissimum enim est, & singulare, quod commissum est in divinam Majestatem scelus, cum viri impii sacrilegas manus injecerunt in Dominum ipsum, Dei filium, crudelissimi homicidæ, si fas est dicere deicidæ.* Ad hoc expavit tota machina mundi, videlicet, cum lucidum illud sydus solem adeò experta est indignatum, ut ægra ferens, tam horrendum spectaculum, subtraxerit radios suæ lucis, quia splendidissimum justitiæ solem, ipsiusque lucis authorem, tam densis injuriarum, atque contumeliarum nubibus obfuscati noverat. De hac solis defectione vaticinatus fuerat Propheta Ezechiel: *Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum, omnia luminaria cæli mœreri faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam.* Quam Prophetiam sicut & illam Joelis: *Sol convertetur in tenebras,* anno-

Bernard. serm. 4. hebdomada sancta.

Hieron. Ioel. c. 1. v. 13. Augustin. serm. 12. de divers.

annotans S. Hieronymus ait? *Sol quoque conversus est in tenebras, quando pendentem Dominum vidêre non ausus est.* S. P. N. Augustinus verò succinctè omnium cœlestium, atque sublunarium creaturarum, inauditam attingens commotionem, eas unanimiter interitum creatoris sui luxisse, aureis his verbis asserit: *Apertè rerum natura perspicitur commoveri, velut in vindictam authoris sui velit armari. Terra ipsa concussa à fundamentis suis, quasi quæ Crucem Domini vix sustineat, tamquam ad scelus proprium contremiscit, dies refugo lumine, quomodo potest, sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu, more lugentis induitur, & ut tota cæli facies Dominicæ Nativitatis gloriam novâ luce testatur, ita crucis injuriam novis tenebris detestatur.*

Has rationes, ut pias ac subtiles lubens amplector, iis tamen, salvâ magni Doctoris Augustini ac aliorum SS. PP. reverentiâ, aliam, magis præsenti instituto congruam, subnectam, quam ex ipsa Sacra Scriptura Marc. c. 1. eruam. Ubi Evangelista signanter notat tempus, quo Christus Capharnai infirmos curavit. *Vespere autem facto, cum occidisset Sol, afferebant ad eum omnes male habentes & dæmonia habentes & erat omnis civitas congregata ad januam. Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus.* Illud idem accuratè observat Evangelista Lucas cap. 4. *Cum autem Sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens curabat eos.* Verùm ex hoc nova resultat difficultas, scilicet, cur Christus hæc miracula non splendente sole, & de die, sed in tenebris voluerit perpetrare? hujus enodatio ex ipsomet Marco ibidem elicitur: nimirum, ut nos omnes in operibus nostris bonis ostentationem, atque vanam gloriam devitare, humilitatem verò arctissimè amplecti doceret. Hinc subdit Evangelista, *& dæmonia multa ejiciebat & non sinebat ea loqui*, ne ipsius divinitatem, Majestatem, ac potentiam coram plebe decantarent. Ideoque ne sequenti die agnitus à populo, præter desiderium exaltaretur, *diluculò valdè surgens, egressus abiit in desertum locum.* Sic divinè hoc ad meum intentum explicat Bernardus: *Ideò cum Sol occidisset, curavit infirmos, ipse enim, ut jactantiam evitaret, voluit in tenebris miracula facere.* Et eadem prorsus est ratio, cur solem in morte sua claritatis suæ radios jusserit subtrahere Christus Dominus. Cum enim ipse mirabilia portenta, ac stupenda miracula, etiam cruci affixus, divinâ suâ potentiâ edere decrevisset, nempe, ut apertis monumentis, mortui resurgerent, ut durissimæ petræ scinderentur, ac universa terra terribili motu quateretur, tenebras ad ea occultanda elegit. Sicut appositè S. Hieronymus: *Sol obscuratus est, ne videretur resurrectio mortuorum, petrarum confractio, aliaque Dei, quæ in ejus morte contigerunt mirabilia.*

Marc. c. 1. v. 32. & 33.

Luc. c. 4. v. 40.

Marc. c. 2. v. 35.

Bernard.

Hieron.

Nunc clarissimè elucescit cur nullus Evangelistarum, nec micam quidem Mariæ sanctitatis, ac sublimitatis attigerit? Cur nemo ejus perfectissimam vitam enarrare, & inaudita ac prodigiosa illius miracula ausus sit detegere? Ipsa enim in schola humilitatis, in sacro & humili Christi filii sui pedagogio edocta, minimam etiam omnis vanæ ac inanis gloriæ scintillam extinguere desiderans, ac dilecti sui Magistri vestigiis firmissimè inhærens, Evangelistis quidquam in laudem, atque commendationem posteritati in scriptis relinquere humiliter, & efficaciter inhibuit. Ita ad amussim hunc conceptum approbat Richardus: *Pauca de ea dicta sunt à sanctis Evangelistis, certè in hoc ei morem gerentibus, ut, etsi multa revelata essent de ea, tamen parum dicerent & absconderent eam, quæ semper desideravit latère & abscondi.* Hanc tam inauditam Mariæ sui ipsius exinanitionem, & annihilationem, quia respexit Dominus, fecit ei magna, qui potens est.

Richard. de laud. Virg.

Verùm priusquam huic discursui finem imponamus, paulisper adhuc, & breviter hujus humilis Virginis magnalia inquiramus Apoc. c. 4. refert sacra Scriptura, in totius triumphantis Ecclesiæ conspectu viginti quatuor seniores, id est, eximios Sanctos coram divina Majestate, regali throno insidente, comparuisse, qui unanimiter decantatis viventis in sæcula sæculorum encomiis atque laudibus, deposuerunt coronas suas ante thronum agni. Quod acutè ponderans quidam modernus, sustinet, hîc Spiritum sanctum innuere, cunctos cælestes spiritus præexcelsæ Dei genitrici summum (qui creaturæ puræ debetur) cultum ac venerationem exhibuisse, adorantes eam, tamquam totius cæli Reginam. Nec adeò absona est illius opinio; Maria namque (ut suprà probavimus) rectè potest dici divinus thronus, in quo mansuetissimus ille agnus Christus Jesus novem mensibus placidissimè requievit; ideoque sancti, in reverentiæ testimonium Mariæ aræ humi-

Apoc. c. 4. v. 10.

liter

liter coronas suas appenderunt. Nec sanè id mirandum, cum enim, ut inquit Gregorius, Maria meritorum verticem super omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexerit, jure meritò ab omnibus cælestis curiæ incolis promeruit adorari.

Gregor. hom in c. 1. Reg.

Sed quod animum meum in indicibilem rapit stuporem, est admirabilis, quam in Marianas laudes depromit S. Bernardus prærogativa. Etenim hic constanter asserere non dubitat, sublimem hanc Virginem in cælo ab ipso Verbo Incarnato fuisse adoratam. Audite ejus verba. *Eum reverentiâ filiali in Matrem dignissimam, illam dicitur in cælo adorasse.* O mira res! *Christus, qui divinitatem in se concludit, itanè sese exinanire potest, ut creaturam suam adoret?* Et ad Deum exclamans pergit: *Non decet Deus meus, non decet Deum fœminæ inclinari, sed ille dicebat, tamen istud decens est, matri filium subdi.* Haud disparem filium Matri, ipso gloriosæ illius ad cælestem gloriam Assumptionis tempore, demonstrasse reverentiam, ibidem profitetur idem S. Doctor, quo adimpletam esse ait Davidicam prophetiam Psal. 72. *Tenuisti manum dextram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Audite rursus melliflua illius verba. *Quod hodie verè fuit completum, quando omnes cælici cives viderunt eam ascendentem, & deliciis affluentem, innixam super dilectum suum.* Ubi per Tò *innixam* expressè filialis Christi ergà Matrem denotatur reverentia, atque mira subjectio. Majorem enim minori inniti in comperto est, & cunctis notum.

Bernard. — *Psal. 72. v. 24.* — *Cant. c. 8. v. 5.*

At maximè incertum est, quæ tantæ verbi incarnati submissionis genuina, atque legitima sit ratio? Pro qua è tenebris eruenda, lumen nos mutuare oportet à splendidissimo illo Africano sole Augustino, qui inter cætera, quæ in Sacrosancto Missæ sacrificio, latent mysteria, hoc unum quàm maximè admiratur: quòd Sacerdos celebrans, cum *credo* recitat, nominat totam Sanctissimam Trinitatem; hâc tamen notabili circumstantiâ, quòd, nec pronuntiato Patris omnipotentis, cæli & terræ conditoris, nec Spiritus S. nec etiam ipsius verbi divini, ut nudè verbum est, nomine sese incurvet, & genuflectat, sed tùm dumtaxat, cum de Verbo Incarnato tractat, hæc proferens verba, *& homo factus est.* Quam ceremoniam rursum observat Ecclesia in Evangelio divi Joannis recitando, genuflexionem Sacerdoti injungens ad hæc verba, *& verbum caro factum est.* De hoc inquam stupefactus summus Ecclesiæ Doctor exclamat: *Multa fecisti Domine pro me, & Dominum totius mundi constituisti me, & non genuflectens adoravi te. Fecisti mundum pro me, & non genuflectens adoravi te. At postquam te vidi humiliatum propter me, & de cælo descendisse infantulum natum, lachrymas fundentem, in præsepio inclinatum frigore titubantem, non potui ampliùs subsistere, sed tanto amoris pondere in terram prostratus adoravi te.* Ecce Auditores Augustinus hic apertè insinuat Deum ipsum, non quando divinâ suâ sapientiâ mundum aut hominem creat, verùm tùm maximè, summo cultu reddi venerabilem, dum sese ad hominem inclinat, ac vilem sumens humanitatem, & servi formam, divinam suam humiliat majestatem. Cui humilitatis actui tantam attribuit reverentiam, ut in ejus memoriam omne genu cœlestium & terrestrium incurvari præcipiat.

Et ex hoc modo elucescit vera ratio, cur Verbum ipsum incarnatum Christus Jesus Mariam Matrem suam supplex adorarit. Ipse namque profundissimam in sanctissima ejus anima resplendentem conspiciens humilitatem, maximam ei exhibet venerationem. Sic subtiliter rursus hoc explicat mellifluus Doctor dicens: *O bone Jesu omnipotens sempiterne Deus? quid est quod mulierem adoras?* Et respondet in persona Christi: *Video eam meritò adorare, quia adorandam efficit meritum humilitatis nam, qui se humiliat, & exaltabitur.* Quia itaque, *respexit humilitatem ancillæ suæ*, benè addit Maria, *fecit mihi magna, qui potens est.*

Bern. ib.

Quamplurimi SS PP. atque Sacræ Scripturæ Interpretes curiosè inquirunt, quid in se mysterii contineat tanta Christi Domini ad pedes præcursoris sui Joannis Baptistæ abjectio, ut ipse, qui nullo prorsus baptismate, nullâ omninò peccati expiatione, nullaque indigebat sanctificatione, quippe, qui peccatum non fecit, & in cujus ore non est inventus dolus) à Joanne etiam renitente ac contrà protestante, *ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* expressè voluerit baptizari dicens: *Sine modò, sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Quod si dicamus Christum ad nostram ædificationem baptismi lavacrum suscepisse; rursus instò, quare itaque illud non per manus dilectæ matris suæ, sicuti circumcisionem, ut arbitratur Bernardus accepit, sed à præcursore? Rationem eruit S. Chrysostomus ex ipsa Scriptura Marci c. 1.

Matth. c. 3 v. 14. & 15.

Joan-

Joannes quamvis miræ sanctitatis, ut ipsius veracissimus panegyrista Christus attestatur dicens: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ*, tam profundæ humilitatis fulgebat splendore, ut manum suam ad Christi calceamenta dissolvenda indignam fore, ingenuè confiteretur. *Cujus non sum dignus procumbens, solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Ob quam sui abjectionem, manus illa super caput Salvatoris exaltati, & humilis Joannes erectus illi genuflexo, sub quo curvantur, qui portant orbem, baptismum promeruit impertiri. Sic explicat S. Chrysostomus: *Ioannes dixit de Christo, cujus non sum dignus, &c. & manum, quam dixit esse indignam, hanc suprà caput suum Christus attraxit quandò ad baptismum cervicem inclinavit.* Quod si tantâ prærogativâ in meritum humilitatis Joanni datum sit frui: Quid mirum, quod sanctissima omnium creaturarum Maria Virgo, dum se vilem Domini declarat Ancillam, Creatorem suum in castissimis uteri sui penetralibus non tantùm portare, verùm etiam ab ipso in cœlis meruerit adorari: *Quia enim respexit humilitatem Mariæ, fecit ei magna, qui potens est.*

Marc. c. 7. vers. 6. — *Chrysost. hom 38. ad populũ Antiochenum.*

Dum præsenti discursui finem imponere, ne lectori forsitan tædio forem, cogitarem, mihi rara, & magna Mariæ specialiter concessa, nequaquam sanè subticenda occurrit prærogativa: scilicet sanctissimum hujus corpus nullam prorsus passum fuisse corruptionem. Ita aureis verbis attestatur S. P. coriphæus Augustinus: *Numquid non pertinet ad dignitatem Domini, Matris suæ servare honorem, qui legem solvere non venerat sed adimplere. Etenim sicut honorem Matris præcipit, ita & inhonorationem damnat. Qui in vita illam præ cæteris gratiâ conceptus sui honoravit, pium est credere, singulari salvatione, etiam & in morte, speciali gratiâ honorasse. Poterat enim à putredine, & à pulvere alienam facere, qui ex ea nascens, potuit eam Virginem relinquere.* Et infrà arguens à potentia ad actum ait: *De cujus potentia si nullus dubitet Ecclesiasticorum, quin possit Mariam sine corruptione servare; cur dubitandum est noluisse, quod pertinet ad tantæ benignitatis gratiam?* Unde jure merito appropriari potest illud Davidis: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Aug. serm. de Assum. — *Psalm. 15. v. 10.*

Modò hujus fundamentalis, tàm particularis privilegii, curiosè indagatur ratio. Pro qua reddenda, quamplurimum conducit subtilis de Joannis Baptistæ digito Divi Hieronymi annotatio. Dicit hic de mandato furibundæ Herodiadis è terra truncum S. Joannis corpus à discipulis ejus sepultum fuisse effossum, atque in ignem projectum, à quo totaliter, excepto dumtaxat dextræ manus digito, absumptum est. Cujus rei veritas abunde satis patet Neapolitanis quibus singulis annis prædictus digitus in illius festo omnium oculis publicè exponitur, asservaturque in nobilissimo Monialium nomine Annuntiatarum monasterio Neapoli. Sed cur Deus potiùs membrum illud, quàm quodlibet aliud totius corporis à voracibus flammis miraculosè & potenter liberavit? Sustinet præfatus Doctor Hieronymus, digitum illum præservatum fuisse, quo præcursor Christi humiliter rejecto Messiæ (qui ipsi à Scribis & Pharisæis offerebatur) titulo, verum Messiam ad hunc mundum è cælis dimissum Christum indigitavit dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: post me venit vir, qui ante me factus est.* In meritum cujus humilitatis, quam hoc digito manifestavit Joannes, ab igne planè illæsus remansit.

S. Hieron. — *Ioan. c. 1. v. 29.*

Ob hanc quoque mirabilis humilitatis virtutem Deus cor Divi Augustini (quod usque ad hæc tempora, ut graves testantur authores in crystallina phiala asservatur, incorruptum perseverat, illudq; ad intonationem hymni, *Te Deum laudamus*, præ lætitia infallibiliter saltare dicitur) quia ejus cor fuit verissimum profundissimæ humilitatis centrum. Si enim, ut ipsemet testatur, *Virtutes habenti magna virtus sit contemnere gloriam*, quantùm, quàmque excelsum in humilitate non dicemus fuisse Augustinum, qui omni scientiâ plenus, tamen sese nil scire æstimabat. Unde Januario Episcopo dicenti nihil Augustinum latêre, totaliter offensus Augustinus rescribit. *Tantùm absum ab eo, quod putasti, me nihil latêre, ut nihil in Epistola tua legerim tristius; quia & apertissimè falsum est. Et miror, quod hoc te latet, quòd non solum in aliis innumerabilibus rebus multa latent, sed etiam in Sanctis Scripturis multa plura nesciam, quàm sciam.* Qui, quamvis sanctissimus à cunctis, etiam capitalibus inimicis haberetur, se summum profitebatur peccatorem. Unde & Pelagio vitæ, morumque ejus perfectionem extollenti respondet: *Admoneo te, ut potiùs ores pro me, quò talis à Domino fiam, qualem me jam esse arbitraris.*

l. 10. de civ. Dei. — *August. Ep. 119.* — *August. l. de gestis Pelagii c. 26.*

Quid igitur mirum Sacro-sanctum Mariæ Virginis corpus integrum, quod non fuit, nisi vera immensæ humilitatis officina, & incorruptum perseverasse, gloriosum à filio effectum fuisse? In tantæ scilicet illius humilitatis præmium, quâ benedictum suum uterum, & carnem suam, non ut

ut cæli Reginā, sed ut humilis ancilla Incarnationi Verbi perficiendæ, Sanctissimæ Trinitati lubens obtulit dicens: *Ecce Ancilla Domini.* O mira humilitatis potentia! O inaudita hujus virtutis efficacia! hanc, quia respexit Deus, *fecit Maria magna, qui potens est.*

Benevolis auribus, ut expertus sum, O Auditores! ab indiserto atque balbutiente concionatore percepistis Mariæ Virginis eximiam humilitatem, simulque hujus virtutis raram potentiam, ob quam magna, jam enarrata, ipsi fecit, qui potens est Dominus. Modò vos obtestor, ut mentis vestræ oculos in illam, tamquam in lucidissimum humilitatis speculum, & vivum exemplar convertatis. Fugite, fugite in cunctis vestris operibus ô Christiani, inanem, & vanam gloriam, minimamque superbiæ scintillam, è qua facilè inextinguibile oriri natum est incendium, & irreparabile damnum, ut apertè satis his verbis testatur Bernardus: *Fuge sagittam ô homo, leviter volat, leviter penetrat, sed dico tibi, non leve infligit vulnus Cito interficit: nimirùm sagitta hæc, est vana gloria.* & hujus malitiam exagerans doctissimus noster Simon à Cassia eam vocat *latrocinium divinorum*, id est, gloriæ Deo debitæ manifestum furtum appellat. Cujus tam zelotypus est Dominus, ut dicat *gloriam meam alteri non dabo*, & Rupertus illam *tineam sanctitatis* nominat *inversam*, & optimè, quia sicut, si vestes cistæ inclusas serves, nec aliquando soli exponas, illæ à tinea certissimè læduntur: secùs verò, si illas illi exponas, illæsæ & integræ remanēt, ita bona opera, omnisque sanctitas, si de industria mundi conspectui exhibeantur, damnosâ vanæ gloriæ tineâ destruuntur; si verò occultentur, ad æternam mercedem cum securitate conservantur. Quocirca vos hortor, O Christiani! (ad pios etiam & in Christianæ vitæ perfectione eminentes clamo, cùm maga virtus sit habenti virtutes, contemnere gloriam) ut memoriæ vestræ firmiter auream imprimatis Divi Augustini sententiam, & cum illo dicatis: *Si quid boni est in nobis parvi, vel magni, donum tuum est, & nostrum, non nisi malum, unde igitur gloriabitur omnis caro? Numquid de malo? hæc non est gloria, sed miseria. Nùm gloriabitur de bono? Numquid de alieno? Tuum est Domine bonum, tua est gloria, qui enim de bono tuo sibi gloriam quærit, fur est & latro similis diabolo, qui furari vult gloriam tuam.* Exultet igitur in piis operibus, in præexcelsis virtutibus vester, sicut humillimæ Mariæ spiritus in Deo salutari vestro, qui cunctis dat bonum velle, & operari, ut cùm illa humiles mereamini ad cœlestem gloriam exaltari; quod nobis concedat Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

Bernard. — *Simon à Cassia.* — *Isa. c. 48. v. 13.*

CONCIO XVII.

THEMA.

Ego quasi Oliva speciosa in campis. Eccl. cap. 24.

ARGUMENTUM.

Ex quibusdam Olivæ proprietatibus, quas naturalistæ illi adscribunt, clarissimè demonstratur, quàm aptè à Spiritu sancto sub hac metaphora Marianæ prærogativæ dilucidentur.

CUm dignam Reginæ cœli & terræ Mariæ Virgini, in cœlesti Regno supra universos Angelicorum spirituum choros evectæ coronam summo conatu contexere præsumerem; è cujus vivifico splendore, ac regali ornamento, minima ejus prærogativarum scintilla appareret: mox in mentem incidit stulta ethnicorum superstitio, ac vana religio. Hi quamplurimos Deos colentes, omnem industriam, omnem laborem, atque studium adhibuerunt, ut cujuscumque Dei particularem indolem, donum, potentiam, ac attributa hieroglyphycè

phicè per diversas honorarias coronas propriissimè exprimerent, ac magnificentiam, perfectionem, altitudinem, atque præeminentiam ad oculum toti mundo exhiberent. Ad hoc ipsi Jovem Deorum caput coronam ex esculi foliis contextam redimitum colebant, ideoque & ipsi hanc arborem in posterum sacram fecerunt. Hâc innuere intendebant, Jovem aliorum Deorum antiquiorem, ac primum fore: id eruentes ex eo, quòd prædecessores sui, & antiqui Romani à multis transactis sæculis victores suos triumphantes illâ coronasset, quam, quia ipsi de more & mandato Jovis aris Romam ingressi in Capitolio in victoriæ recognitionem appendere cogebantur. (Ita Marcellus exercitus Romanorum Dux, strato Rege Gallorum Virdumaro, ex equo desiliens ante Jovis aram prostratus, primò coronam, deinde inimicorum obtulit spolia dicens: *Iupiter, qui Ducum egregia in bello ac prœliis facinora regis, atque inspicis, testor me, qui tertius Romanorum Imperii Ducem, Regemque hostium meâ ipse manu confeci: hæc tibi pulcherrima consecrare spolia.* Quod idem fecerat Romulus, devicto Acrone, & Cornelius Cossus, superato Tolumnio) quia talem coronam illi debitam arbitrabantur & hac quoque implicitè summum Jovis in mundum Dominium, & absolutam jurisdictionem agnoscebant. Apollinem lauri ramusculis cohonestabant, eique illam sacram dicabant, quâ Apollinem vivum occultorum & futurorum oraculum, atque divinum vatem fore, indicabant teste Pierio: *Est & alia ratio*, inquit, *cur laurus Apollini sacra dicatur. Legimus apud Serapionem Ascalonitam, lauro ad dormientium caput appositam vera videri somnia.* Hinc secundùm Aristophanis interpretationem, ait idem Author; *Vaticinantes lauro coronari solitos, & qui bella sequebantur, vates in summa galea lauriconum gestabant.* Denique Venus Myrthi foliis, Hercules populi, & Marcus quercus coronabatur. Cujus rationes hieroglyphicas ad magis seria festinus, hic pro nunc subticeo. Qui de hoc plura desiderat, legat Claudium Saturnium l. de coronis, Minervæ verò sacra erat oliva, ac coronâ ex hujus arboris foliis confectâ decorabatur.

Pierius

Hæ coronæ, quamvis propter gentilismum & infamem idololatriam Christianis meritò sint abominabiles, in sano tamen sensu intellectæ, & ad moralitatem reductæ, primo intuitu mihi videbantur perutiles, ad juxtà exigentiam, saltem aliqualiter, Mariæ genitricis caput coronandum. Speraveram enim ex raris prædictarum arborum, ac reconditis proprietatibus quoque raras Mariæ præeminentias, reconditas prærogativas, ac perfectiones deducere, easque mundo exponere; verùm cum illas coronas triumphales maturius perpenderem, in mentem incidit solemnis Pauli Æmilii Romam intrantis triumphus, dum enim ab una parte clamabatur, *Paule te omniũ coronis coronat Roma*, ab altera parte audiebatur, *nec hoc sufficit.* Quod idem prorsus mihi hic contingi experior, quidquid enim in Mariæ dixero laudes, quàmcumque coronam excellentiæ, dignitatis, ac virtutis divino hujus Deæ nostræ vertici attribuero: intonantes audeo non Romanos de Æmilio sed SS. PP. de Maria. *Nec hoc sufficit.*

Quomodo itaque, O cœlorum Regina! tuas decantabo laudes? quam coronam tibi, O piissima; indignus dedicabo? permitte obsecro domina, ut cæteris coronis relictis, pro nunc venerandum tuum caput coronem coronâ Minervæ, id est Olivæ, eamque arborem tibi nos Christiani faciamus sacram, ut ex ejus proprietatibus & effectibus scintillam ad minimùm tuæ sanctitatis, ac perfectionis eruere liceat. Ad quod plurimùm me ipsa tua excitarunt verba, *ego quasi Oliva speciosa in campis*, sed ante te ô Divina Minerva, pro cælesti ex animo imploro ope, ut tuâ intercessione Spiritus sancti gratiâ adjutus, ad tuam gloriam aliquid queam proferre. Ave.

Ego quasi Oliva speciosa in campis.

DUm Marianas prærogativas hieroglyphicè ex Olivæ natura, & proprietatibus depromendas in me suscepisse deprehendo: vereor, ne mihi accidat, quod olim Amaranti, non vulgari sanè Philosopho accidisse referunt Historiæ. Is rogatus, ut per hieroglyphica epigraphia, ac antiquorum symbola paucis excellentiam, potentiam, virtutes, ac perfectiones Lycurgi Lacedemoniorum legislatoris exprimeret, ei coronam ex Olivæ ramis contextam obtulit, additaque insigni hâc epigraphe: *Lycurge corono te coronâ Minervæ*: Alludens ad Olivam illi in symbolum amoris ac pietatis dedicata. Rursusque interpellatus, an nullum Amarantes tantus Philosophus excellentioris hieroglyphici acumen posset adinvenire, respondit: permulta quidem, & rara in Lycurgi laudem possem producere hieroglyphica, *sed hoc unum sufficit.*

Quàmplurimi etiam, nec inconsultè rogare possent, an per nullũ aptius hieroglyphicum, quàm

Olivæ Marianam excellentiam, ac sublimitatem exprimere valeam; sed quid iis responderem? Sanè adinstar alterius Amarantis perplura quidem, & excellentia in Virginis laudes proferre mihi facilè esset hieroglyphica; sed modò pro hoc discursu hoc unum sufficit. Si enim, ut narrat Surius S. Joanni Patriarchæ Alexandriæ adhuc in vita existenti, apparuerit Maria Dei genitrix in forma speciosæ ac juvenculæ puellæ coronâ ex Olivæ foliis contextâ redimitum habens caput, eique dixerit, sese thesaurariam cæli & primam summi Regis filiam esse, & habere authoritatem omnes ejus thesauros dispensandi. Quid ni, & ego Mariam coronâ Olivæ insignitam vobis ob oculos ponam clamemque cum Amarante *& hoc unum sufficit.* Ex multis itaque, & raris Olivæ proprietatibus, ac diversis ei symbolis à veteribus attributis, Dei genitricis prærogativas clarissimè deducam, ut jam efficere aggredior.

Inter præcipua, quæ à veteribus oleæ adscribuntur symbola ac hieroglyphica epigraphia sanè nec ignobilius, nec infimum obtinet locum illud, quod ei à doctissimo dedicatur Pierio: *pietas & mansuetudo,* eò quod, dum obduratum cujusdam iracundi ac furentis animum jam delinitum ac emollitum hieroglyphicè antiqui vellent exprimere, cultrum Olivæ ramis involutum ostentabant. *Quare nonnulli,* inquit, *mollitam esse duritiem hieroglyphicè significare si vellent, cultrum in aliquot Oleæ baccas impactum facere instituerunt.* Cumque verò immortalis, atque inveterati odii, ac dissidii rancorem depositum patefacere desiderarent, Oleæ ramusculum quercino obducebant, *quod illi,* ait idem author, *non seciore significato propemodum simili est, quod Oleæ surculum querno ramo quidam implicare cogitaverunt, immortalis odii dissidium compositum esse significantes: propterea, quòd quercus & olea tam pertinaci odio dissideant, ut altera in alterius scrobe depacta moriatur.* Hinc & ipsi pro stabiliendis suis hieroglyphicis ex experientia annotarunt, tantam oleo delicatissimo Olivæ fructui inditam esse a natura virtutem ac efficaciam, *ut ferrum densissimum emolliat, & ad feriendi usum ineptum ac inutile reddat, siquidem fabri, qui ferrum latescere, ac emollire volunt, candefactum id oleo intingere consueverunt,* ut rursus attestatur Pierius. *Pier. l. 53.*

Ah quàm concinnè, quàm propriè Maria Virgo Olivæ assimilatur! *ego quasi Oliva speciosa in campis;* quàm rectè commemoratum hieroglyphicum genitrici Dei quadrat pietas & mansuetudo, quàm ipsa nostrûm pia misera peccatorum, incessanter in mundum distillat salutiferum misericordiæ ac pietatis succum: Nec umquam indigenti suam subtrahit munificentiam, ut asseveranter asserit Bernardus: *Sileat misericordiam tuam, ô beatissima Virgo Maria! quicumque in suis necessitatibus te invocatam meminit sibi defuisse.* Ipsa est, quæ ad instar Olivæ iracundum supremi Dei animum mitigavit, ejusque furorem penitus absumpsit. *Bern. hom. 2. super Missus.* Unde si ingeniosum satis Capitalium inimicorum reconciliationis apud antiquos habebatur Hieroglyphicum oleæ surculus querno ramo implicatus; quidni & ego dicam Mariam Virginem fatale immortalis odii dissidium, quod tot sæculis inter Deum & hominem duraverat, composuisse, atque veram inter genus humanum, & excandescentem Dominum concordiam stabiliisse? In cujus memoriam aures his S. Bernardus illam gratulabundus salutat verbis. *Ave igitur Dei & hominum mediatrix optima, ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima.* *S Bern.* Quod tum scilicet effecit Virgo, quando inflexibilis quercus ramum, odii hieroglyphicum, id id, rigorosam atque nimiùm accensam abominandis mundi sceleribus divinam justitiam Olivæ surculo, pietatis & mansuetudinis symbolo, id est misericordiæ obduxit, & divinam naturam peccatoribus inimicis suis severo strictæ vindictæ gladio inexorabiliter minantem viridi suavis Olivæ ramusculo, id est, humanâ carne è purissimo, ac Virgineo sanguine confectâ operâ Spiritus sancti tamquam salutari pietatis, ac mansuetudinis involucro supervestivit. Tunc enim illa natura, quæ, utpote proprio essentiæ divinæ solius termino terminata, durissima & in peccata hominum maximè vindicativa, dū terminata fuit termino alieno (suprà latiùs diximus) scilicet Virginali Mariæ claustro, verissimo olei benignitatis & pietatis fonte omnis durities hujus olivæ virtute, ut durissimum ferrum oleo confestim desiit, & totaliter mollis atque flexibilis redditus est Dominus. Dirumque divinæ justitiæ fulmen divino speciosæ nostræ Olivæ Mariæ liquore penitus extinctum; Oliva enim, ut ait Plinius, maximâ fulmini resistendi pollet potentiâ.

Unde si, ut Pierius refert, Ægyptii ad clementiam, beneficentiam hieroglyphicè exprimendam fulmen in molli thoro jacens depingere consueverant, cum enim Jovem iratum & in delinquentes mortales vindicativum repræsentare intendebant, illum erectum, extensâque manu fulmine armatâ *Pier. l. 43.*

jamjam

jam jàm illud vibrare paratum proponebant, quando verò furorem ejus mitigatum, vel à vindicta quiescentem exprimebant, fulmen in mollibus pulvinaribus substrato thoro pingebant. Quoniam qui lecto incumbunt, aut mollitiei sese deditos, aut quietis, aut somni gratiâ recumbere fatentur. Fulmen ergò in thoro collocatum summi Jovis divinam ad homines puniendos virtutem mitigatam, atque coercitam fore indicat; si inquam hoc de Jove Ægyptii: nonne idipsum de Deo nostro mihi licebit asserere? ipse enim in cœlis dito assiduè contrà reos peccatores armatus severæ justitiæ fulmine, dum in mundo descendit, atque in molli virginei uteri thoro sese reclinavit, ac in Maria quievit, quæ instar immobilis olivæ impetum divini fulminis à justitia vibrati, suâ potentiâ frangit ac dissipat, præclarum mundo fore, divinæ iracundiæ per Mariam Virginem sedatæ, ac pacificationis Dei & hominis mihi videtur hieroglyphicum. Ad quod alludens Damascenus eleganter ait: *Quia universa terra in fœdissimam sese pro volverat libidinem, ac Domini populus à Domino Deo suo aberraverat, factusque fuerat populus Domini, non populus ipsius, & qui misericodiam consecutus, non misericordiam consecutus, & qui dilectus, non dilectus, ob eam causam beata Virgo priscæ prævaricationis adversaria paritur, ac Deo despondetur. Deiq; misericordiam parit, atque populus Dei efficitur, qui priùs populus non erat, & qui priùs misericordiam minimè consecutus fuerat, misericordiam nanciscitur, & qui priùs non dilectus erat, diligitur.* Maria itaque est vera Oliva, fructifera in domo Dei, id est in Ecclesia, quia ramum pacis & misericordiæ protulit, inquit Bernardus: *Quia illum genuit, qui fecit utraque unum faciens pacem, ut reconciliet ambos.*

Damasc. Orat. 1. de Nat.

Bernard.

Sed neque Mariæ olivæ dumtaxat concinnè quadrat hieroglyphicum, quia Deum iratum (ut oleum ferrum candens & ignitum molle) quasi fervido furoris igne candefactum flexibilem reddere potest; verùm maximè, quia mirabili obduratos peccatores, atque durissimo ferro duriores ad pœnitentiam flectendi, & meliorem vitæ frugem deducendi pollet virtute. Unde si Plinius olivæ vim & efficaciam plantanum in se convertendi adscribat, quod tempore Xerxis contigisse testatur, imò & sæpissimè id factum esse asserit Arristander, nonne & ego eam jure meritò Olivæ nostræ Mariæ attribuam, utpotè quæ inveteratos peccatores (ut latiùs infrà videbimus) & præ nimia superbia ac elatione fætidos, quorum hieroglyphicum apud Ægyptios alta & procera arbor censetur Platanus) in sanctos & fructiferos in domo Dei, & in suaves Olivas suâ potentiâ atque gratiâ convertit. Unde & illud, quod Deo omnipotenti adscribitur Matth. cap. 3 *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ,* ipsi potest appropriari, quia verè de durissimis & obstinatis, adinstar lapidum peccatoribus, mirâ suâ, quâ apud Deum gaudet potentiâ, efficere potest justos ac Dei charissimos filios. Hinc S. Bonaventura in solatium quasi desperatorum peccatorum, & ad Mariæ Olivæ nostræ divinam, ut ita dicam, virtutem decantandam, ad illos exclamat *Non est in hac vita quis adeò miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum declinaverit regimen.* Possem itaque Mariæ jure merito, quæ in hoc sibi gloriatur: *Ego quasi Oliva speciosa in campis.* Et illud Oseæ attribuere, *erit quasi Oliva gloria ejus*

Plin. lib. 17. c. 35.

Matth. c. 3. v. 9.

Osea c. 14. v. 7.

Ad prædicti Hieroglyphici fortiorem confirmationem plurimùm conducunt gentilium leges, juxtà quas Deorum simulacra è Olivæ ligno conficiebantur, ut debitæ ipsis benignitatis & pietatis redderentur memores. Quod satis disertè attestatur Pierius his verbis: *Quantum autem pertinet ad mansuetudinem, sunt, qui illius ergò Deorum simulacra fabricari ex olea contendant, quasi benignitatem illam, quâ superi sunt præcipuè præditi, ita ad unguem referre videantur.* Cùm ergò Maria, quæ nec falsis Diis, nec Deabus in minimo veraciter comparari debet, sed ut lex umbræ, realitas nihilo prævalet, verissima sit ex divina gratia cœli terræque Dea, ac subtilissima misericordiæ deperditæ (ut suprà satis fusè ostendimus) extiterit inventrix, id attestante Angelo Gabriele, *invenisti gratiam apud Deum*; quidni ipsi rectissimè Olivæ fructifera metaphora approprietur? Quod an benè fiat, ne quispiam fortè dubitet, prolixiùs de ejus natura ac proprietatibus lubet disserere.

Ibidem.

Luc. c. 1. v. 30.

Pierius rursùs Olivæ præ cæteris arboribus præeminentias naturales exaggerans, curiosè annotat dulcissimum ejus fructum tantâ pollêre virtute & efficaciâ, ut ingruentes maris tempestates suâ suavitate mitigare, ac motas validis ventis procellas sedare possit. *Ajunt verò oleo,* inquit, *contra furorem tantam inesse vim, ut effusum in perturbatos vesanientis maris fluctus, tempestatem efficacissimè tranquillet,* Hinc Joannes Synæ Monachus

chus ait: *Velut uter odio repletus, fluctuum rabiem, in serenitatis tranquillitatem commutabat.* Ah quàm apposité Maria Virgo Oliva in campis nuncupatur, quæ suavissimum producens fructum, ut uter oleo repletus Jesum Christum, de quo dicitur, *oleum effusum nomen tuum.*

Cant. c. 1. v. 2.

Fluctuum in mundum insurgentium divinæ justitiæ rabiem ac violentiam, in serenitatis, id est, misericordiæ tranquillitatem, & firmiter stabilitam pacem commutavit. Undè illud Jeremiæ c. 5. Quod Propheta in persona ipsius Dei de mari dicit: *Intumescunt fluctus & non transibunt.* Mariæ quàm optimè quadrat.

Ieremiæ c. 5. v. 22.

Potest enim hæc audacter asserere, intumescent fluctus divinæ justitiæ, ut gravi ac implacabili quasi mundum vindictæ inundent diluvio, sed non transibũt. Sed quo medio ô pia Virgo illos compesces? ut ipsemet Deus inquit, qui posuit arenam terminum mari: ab utraque parte aggerem constituam & erigam: & ita ego justitiam super misericordiam exaltabo, & quasi duobus sepiam elevatis aggeribus, ne illa, sive ad dexteram, sive ad sinistram declinando, aliquam faciat contra homines irruptionem. Ponam arenam, id est, irato Deo abjectam & vilem ex pulvere confectam humanam communicabo naturam, & illa terminum intumescenti ipsius justitiæ constituet. Circumdabo eam undequaque fortissimo aggere misericordiæ, & quasi captivam detinebo. Hanc misericordiæ suprà judicium exaltationem providit Propheta David, cum bis Deum misericordem, & semel tantùm, idque in medio nominavit justum: *Misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur* Ad quod respiciens Ambrosius, divinè nostrum conceptum confirmat, dicens: *Bis misericordiam posuit, semel justitiam, in medio justitia est gemino septo inclusa misericordia: superabundent ergò peccata, superabundabit misericordia.*

Psal 114. v. 5.

Ambros.

Sed quæ quæso sunt adeò efficacia septa, quibus divina justitia undique tam arctè constringitur? illa sane sunt benedictus Mariæ Virginis venter, qui tamquàm eburneus (sicut suprà dictum est) ignem divini furoris extinguit, & ubera quorum suavissimo lacte; ad instar olei, omnis divinæ vindictæ tempestas sedatur, ideoque non absque fundamento clamabat Marcilla *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.*

Illâ quoque oliva juxtà Naturalistas gaudet propretate, ut etiam leviter tacta suavissimum edat liquorem, qui tantæ est virtutis, ut sicut ait Plinius (quamvis & eam quoque illius cineri adscribat) *tumores sanet, extrahetque fistulis vitia, & ipsas sanet.* Ah quàm pulchra oliva est Maria, eamque longè in hoc antecellens; ipsa namque, ne quidem afflictorum precibus sollicitata, ultrò & spontè eis benigna succurrit.

Plin. l. 17. c. 25.

Nonnè id apertè satis patuit in nuptiis Canæ Galilææ, dum ab indigentibus non rogata, interpellavit filium dicens: *Vinum non habent.* Quod primum miraculum, convertendo scilicet aquam in vinum propter Matris preces, cujus nondum horam adventasse confessus est Spiritus sanctus, *Nondum venit hora mea,* tempus anticipando, ob ejus reverentiam Christum operatum fuisse attestatur doctissimus Oleaster, *Nondum,* inquit, *venit hora ejus, sed tempus fuit, quia Mater dixerat, vinum non habent.*

Ioan. c. 2. v. 4.

Formemus jam argumentum, si Maria nullâ hominum petitione tacta, sed solâ nostræ miseriæ cognitione commota, nobis subveniat, ut magis disertè asserit Richardus: *Adeò pietate replentur ubera tua, ut alicujus miseria notitiâ tacta, statim lac fundant misericordia, nec possis miserias scire, & non subvenire;*

Richard. de laud. Virginis.

Quas benignas postulantibus ergò atque devotis suis aures non præstabit Virgo? cui non immeritò, te ô homo! invitanti appropriare possum illud Davidicum: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,* scilicet æternam beatitudinem, quia in manibus meis sors tua.

Ps. 2. v. 8.

Ego namque ad instar olivæ salutiferum distillabo gratiæ succum ac liquorem, quo omnes malitiæ tumores, vitiorum fistulæ, atque inflammata peccatorum ulcera curentur: idque annuente dilecto meo filio, qui nefas judicat aliquid matri denegare.

Ac proinde videtur, quod ille Mariam genitricem coluerit, sicut magnus Alexander suam. De qua narrat Plutarchus: quod ipse quodam die binas, unam à matre sua dilecta Olympia, alteram ab Antipatre accepit epistolas.

Plut. in vita Alexandri.

In prima deponebantur graves ab Olympia contra Antipatrem querelæ, quas sese non absque abundanti satis lachrymarum profusione scripto potuisse filio manifestare protestabatur. In secunda quamplurima Antipatris in Olympiam scommata, atque infames continebantur calumniæ, ac varia crimina. Hanc diligenter perlectam, Alexander ab una parte conspiciens, & ad alteram sese convertens, salsis maternarum lachrymarum aquis adhuc madidam, exclamavit: *Numquid ignoras Antipater, quod una Matris lachryma multas delebit epistolas.* Ac si diceret, ô Antipater! tu multa

in tua

in tua epistola contra matrem in unum congeris improperia, tu illam plurimorum incusas scelerum, ut meam in dilectam genitricem concites iracundiam. Sed erras, erras, ô Antipater! una namque Olympiæ lachrymula plurimas penitùs defamatorias delet literas.

Sic inquam summus noster Alexander Christus Jesus matrem suam colit ac veneratur Mariam. Etenim dum Antipater infernalis capitalis humani generis hostis, peccatorem in rigoroso judicis Christi tribunali infamem vitam, enormia peccata ac execranda exponit scelera, ut divinam justitiam contra illum provocet; si hæc speciosa oliva Maria precibus rei leviter tacta, suavissimum unius dumtaxat lachrymulæ liquorem distillet, aut repræsentet, clametque ad Deum, ô fili, per copiosas illas, quas, dum te, tanta cum anxietate fugiens in Ægyptum portavi, perque eas, quæ in te perdito quærendo, & tandem per illas, quas te in Cruce pendente, effudi lachrymas, parce, parce misero peccatori, reo concede veniam, atque humiliter deprecanti, tuam impertire gratiam ac misericordiam. Quid ad hæc aget tam pius in matrem filius? ah conversus ad malignum spiritum, mox exclamabit: O Diabole, an ignoras, quod una Matris meæ Mariæ lachryma deleat plurima hominum crimina ac peccata? herclè ubi talis succus, tàm flagrans liquor à mea affertur genitrice, olivâ vere fructiferâ, cuncta illicò obliterantur delicta, justitia mitigatur & quasi evanescit. Hinc hujus olivæ stupendam maturè considerans Bernardus efficaciam, ad peccatores clamat: *Si ingenti peccatorum tuorum multitudine turbaris, Mariam invoca & quietaberis: si conscientia turpitudine confunderis, Dei matrem accede, & serenaberis: si judicis horror te timidum reddit, Deiparam invoca & habebis fiduciam.*

Bernard. serm. de Assumpt.

Nec id sane mirum, oleum namque teste Pierio, in divinis Hæbraicæ vetustatis monumentis condonationis ac veniæ signum habebatur, imò ipse quoque satis subtiliter animadvertit, Christum Dominum, dum mulierem, quæ ob adulterii peccatum à Pharisæis ad mortem rapiebatur, impunem dimisit, immediatè ante è monte Oliveti descendisse in templum: cumque oliva pietatis & veniæ sit symbolum, hujus adhuc memor Christus, reæ liberaliter gratiam est impertitus. Quid ergò est, quod admiremur Christum Dominum è sacro sancto Oliveti monte, id est, è benedicto Mariæ Utero egressum in mundum, in cœlis misericordiæ recordatum, ob genitricem suam indulgentiam delinquentibus elargiri? & si ut idem narrat ibidem Author: *In Hæbraicorum jubebamur crustulum absque fermento, quod oleo sit irroratum, offerre Deo.* idque scilicet, in expiationem peccatorum: nil mirum Mariam, dum Deum ipsum humanâ carne, proprioque suo sanguine, tamquàm suavissimo oleo non tantùm irroratum, sed indutum, imò ei hypostaticè conjunctum, æterno Patri offert, miseris peccatoribus veniam impetrare. In cujus rei ostentationem in nativitate Domini oleum trans tyberim Romæ in summa abundantia, ut Pierius, aliique referunt Historici, terrâ erupit. Quo portento significabatur, speciosam nostram olivam Mariam virginem innixam puerperam, Regem perennem misericordiæ fontem produxisse. Optimè itaque gloriatur: *Ego quasi oliva speciosa in campis.* Potestque de hac rectè dici illud Psalmistæ: *Oliva fructifera in domo Dei.* Sed hæc sufficiant pro Mariana in hominem spirituali misericordia.

Pierius lib. 53.

Quod si verò de corporali ergà pauperes Mariæ misericordia atque commiseratione sermo instituatur. Ipsa verissima & rarissima extitit indigentibus oliva. Quia secundùm SS. PP. (nemine plane contradicente) amplum, quod unica hæres à parentibus hæreditaverat patrimonium, egenis liberaliter elargita est: unde ei quàm optimè appropriari potest: *Dispersit dedit pauperibus.* Nec id mirandum, illa enim in Christi schola apprimè edocta, sibi firmiter divinum juveni datum impresserat consilium, cui ad summam perfectionem aspiranti, Marci cap. 10. Christus dixit: *Unum tibi deest, vade quacunque habes, vende, & da pauperibus.* Cùm igitur Maria in omni perfectione debebat esse consummata: ita & in propriorum bonorum abdicatione, & eorum in mendicos & egenos elargitione debebat esse conformis. Maria itaque tamquàm oliva utramque, tam corporalem, quàm spiritualem indigis demonstravit. Hinc summo cum fundamento Mariæ aræ appendere possum chronographicum elogium:

Marc. c. 10. v. 21.

Ipsa MenDICIs est Instar oLIVa.

Sed modò ad alia olivæ transeamus hieroglyphica, *Est & spei*, inquit Pierius *simulacrũ olea, propter continuam viriditatem*, Mariam raram esse olivam quæ numquàm marcescit, sed semper viriditatem

& in

& in miseris subveniendis constantiam retinet, imò continuò in mundum oleum benignitatis effundit, manifestissimum spei esse symbolum, non est, qui ambigat. Unde ait Bernardus de Maria: (Bernard.) *Data est ei potestas in cœlo, & in terra, & in manibus ejus vita & spes nostra.* Idque etiam apertè confitetur sancta Ecclesia ei illud quotidiè decantans elogium: *Vita, dulcedo & spes nostra salve.* Hinc & natura humana ad hanc olivam vehementer anhelans, ut hujus succu ac liquore sterilitas in ubertatem converteretur, in ea omnem suam spem (Ps. 21. 10.) collocabat, clamans: *Spes mea ab uberibus matris mea.* (Damasc.) Ad quod alludens Damascenus, congratulabundus SS. PP. in limbo detentis, universoq; mundo fælicem olivæ totius humani generis spei ortum denuntias: *Hodie nata est Regina mundi, fenestra cœli, Janua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cælestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendis, & homo, qui prostratus in terra jacebat, ad superos superexaltatus ascendit.*

Diximus supra summi Dei Jovis caput à stulta gentilitate coronam ex æsculi foliis contextam redimiri solitum fuisse. Verùm in variis scriptoribus Jovem quoque olivæ ramis coronatum fuisse reperio. *Idque ea de causa*, inquit Pierius, *factum Phurnitus putat, quod in ea viriditatē perennitatē & pinguedinem animadverteras Itaque Deum omnium bonorum authorem, fœcundissimâ utilissimaque omnium arbore insigniri placuit.* Quis itaque ô Christiani! vestrum mirabitur, quod ego supremæ cœlorum Deæ caput olivæ ramis circumcingam, atque coronâ omnium bonorum auctrici debitâ cohonestem? ipsa namque est fæcundissima ac utilissima arbor oliva, quæ plurimùm fructifera divinum protulit fructum Christum Jesum Dominum nostrum, omnium bonorum primarium fontem, à quo ipsi, tamquàm veræ olivæ & spei symbolo concessa & derelicta est, cœlestes gratias & dona elargiendi authoritas. An id non (Bernard. art. 2. c. 8.) disertè confirmet S. Bernardin. *A tempore, quo Virgo Mater concepit in utero verbum Dei, quamdam, ut sic dicam, jurisdictionem & authoritatem obtinuit in omni Spir. S. processione temporali. Ita quod nulla creatura aliquam obtinuit gratiam vel virtutem, nisi secundùm ipsius piæ Matris dispensationem.* Numquid ergò oliva nostra Maria verum est spei hieroglyphicum?

Athenis olim, nesciunt quo fato, aut Deorum providentiâ, ipsimet Scriptores, cum olea, in qua omnis Reipublicæ spes consistebat, incendio conflagrâsset, tantus luctus, tantus clamor ac ejulatus auditus est, ut incessanter clamarent: *Heu! heu! recessit spes nostra.* Quem planctum, quam tristitiam, quem dolorem ergò nos Christiani non debemus demonstrare, si oliva nostra diva Virgo, non dico destruatur, sed benignum olei, id est misericordiæ subtrahat succum? nonne ingemiscentes cum Atheniensibus clamabimus: *Heu recessit spes nostra Maria?* & præsertim cum Bonaventura mirabilem hanc de Maria intonantem (Bonav.) audimus sententiam: *Quem vult ipsa, salvus fit, & à quo ipsa suam avertit faciem, vadit in interitum.*

Dixi jam statim authores causam ignorare, ob quàm tam miserè perierit olea Atheniensis. Sed quis scit, an illa non fuerit, quam de Milesiis allegat Herodotus apud Pierium, scilicet inimicitia atque dissensio? (Herodot.) *Non immeritò itaque sacra olea stirps apud Milesios tunc sponte suâ conflagrasse dicitur, cum illi inter se omne credulitatis & immansuetudinis genus truculenter exercuissent.* Ob eandem rationem, quia sæpè sæpiùs mystica nostra olea diva Virgo, ut ita dicam exsiccetur, suumque divinæ gratiæ deneget liquorem, non est, quod ambigam. Cum enim oliva pacis quoque (ut mox infrà ostendam) sit hieroglyphicum: Maria non nisi in concordes animos suavissimum pietatis suæ oleum distillat. Eja ergò Christiani, ut divino hujus oleæ fructu indesinenter fruamini, fugite animi rancores, interna dudum fomentata odia è cordibus vestris expellite, evitate rixas ac inimicitias, ut à Maria oleo misericordiæ refecti, ipsi possitis in æternum illud decantare elogium: *spes nostra salve.*

Nonnulli sunt, qui quoque olivæ puritatis atque castitatis adscribunt hieroglyphicum. Quo autem fundamento plurimi dubitant. Ego verè opinionem hanc apud antiquos non tantùm invaluisse arbitror, quia Deæ Minervæ, quæ purissima est, consecrata, in eaque quamplurimùm sibi complacet. *Minerva*, inquit Pierius, *quia innupta & virgo perhibetur, meritò sibi oleam adscivit, cùm puritate pudicitiaque non minus olea, quàm Minerva delectetur*: verùm etiam ex antiquis Græcorum legibus, quæ, ut Rutilius Taurus narrat, teste Pierio: *Iubebant olivam, cum plantatur & legitur, à mundis puris atque virginibus operandum. Credo*, inquit ille, *recordati arbori huic esse præsidem castitatem.* Florentinus quoque *adeò puram esse oleam tradidit, ut collectores etiam, non nisi pueros* (Florentin. lib. de re rustica.)

pueros amet, Ideò si castis manibus olivæ baccæ decerpantur, *anno insequenti uberiorem fructum exhibent*. Unde experientiâ comprobatum est, rursùs inquit Pierius Anazarbi, quæ Ciciliæ est civitas, oleas esse fæcundissimas ac fertilissimas, cujus rationem subjungit: *Quoniam à castis tantummodò pueris coluntur.*

Quod si Minervæ oliva à cœca & stulta gentilitate fuerit consecrata, quia ipsa virgo purissima inter omnes Deas habebatur, quanto potiori jure Mariæ olivam consecrabimus? cum illa, non tantùm tamquàm Virgo Virginum, non minùs, quàm Minerva pudicitiâ & puritate delectetur: sed omnis puritatis & castimoniæ vivus fons sit & primaria origo, juxtà illud Davidicum: *Adducentur Regi Virgines post eam.* Et si oliva adeò placuerit falsæ Deæ Minervæ, quia castitatis & munditiei erat symbolum ac hieroglyphicum, quantùm in oculis summi, & veri Dei speciosa ista oliva Maria Virgo non resplenduit, quæ vivum est pudicitiæ exemplar; cujusque puritas, omnem etiam Angelicam, longè transcendit puritatem, ut testatur S. Bernardus: *Quæ vel Angelica puritas ipsius virginitati audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri & habitaculum filii Dei.* Sed de hac materia supra fusè tractavimus in Concione quarta, ideoque, ne forsitan benevolo Lectori, ob nimiam prolixitatem tædio sim, ad alia olivæ properabo hieroglyphica. Sed ante tamen vos ô Christiani admonitos velim, ut, si uberes ex oliva nostra Maria desideretis decerpere fructus, illam castè attrectetis. Etenim si impuro corde ac lascivo animo hujus olivæ oleum, id est gratiæ & pietatis succum expetatis, fructum suum denegabit, & quasi sterilescet, quia solius puritatis est amans. Ejicite ergò ô immundi & carnales homines! è corde vestro turpia carnis desideria & impuras cupiditates, ut ab hac mystica oliva Maria, uberrimum gratiæ liquorem haurientes experiri valeatis, quod ipsa sit speciosa oliva fructifera in domo Dei, id est Ecclesia.

Psal. 44. v. 15.

Bernard.

Apud Ægyptios etiam olivam victoriæ hieroglyphicum habitam fuisse in confesso est apud omnes scriptores, quamvis in hujus reddenda ratione, inter sese quàm maximè discrepent, ut testatur Pierius, dicens: *An verò ea de causa victoriæ hieroglyphicum per oleam indicari nonnulli prodiderint, quod ex ea veteres trophæa constituere consueverint, an quia victoribus ex oleastro corona plurimùm pararetur, in ambiguum est. Dubio procul enim Olympionicæ Oleastro coronabantur* Unde ajunt, *Herculem, Panonetum, Epimedem, Iasciumque & Idam fratres, ex Ida Cretensi in Elidem delatos, ibique Herculem, qui natu maximus erat, reliquis certamen fratribus proposuisse, victoremque Oleastro coronasse.* Cujus rei meminit doctissimus Pausanias. Quomodocumque sit, certum est, olivam victoriam prætendere. Hinc Aristander Alexandri Magni vates oleum victoriæ mox subsecuturæ signum interpretatus est. *Cùm enim Rex Doxum flumen applicuisset, in Sogdianos movens,* ut ait Pierius, *castris positis non procul ab ejus tabernaculo gemini fontes repentè exorti, alter aquâ, altero oleo fluxêre.* De quo portento, consultis ariolis. Aristander respondit: *Olei fontem victoriam promittere, quia eo unguntur Athletæ, & oleâ victores coronantur.* Et idcircò rursùs oliva dedicata & sacra facta est ethnicis Minervæ, quia & ipsa Dea belli putabatur, unde illi quoque nomen Bellonæ inditum, & certantibus victoriam impertiri credebatur. Hinc Epopæus Tessalus, qui Coratii Sicyniorum Regi successit in imperio, à Nictæo Thebanorum Rege bello impetitus, commissâ pugnâ, cùm victor evasisset, Palladi, quæ & Minerva dicitur, in perpetuam victoriæ memoriam templum erexit, illudque fanum (ut ait Valerius Maximus) victoriæ intitulavit: *Cujus Deæ, ut novo portento pro potentissima stabileretur, ope ac virtute, oleum spontè ante templum effluxisse dicit, quod perennis in hostes victoriæ habitum est augurium.* Etenim olivæ æternitatis quoque atque stabilitatis hieroglyphicum ob ligni naturam ac exploratam soliditatem à veteribus adscribebatur: *Ea siquidem materies æterna est, quum neque tempestas, neque caries, neque vetustas labefactat,* inquit Pierius: *Eadem non in muro tantùm obstrusa, sed & in substructionibus & in terra obruta, & in aqua defixa collocatave, sempiterno propemodum officio perseverat incorrupta.* Quod & evidentissimè patuit in universali totius mundi diluvio, quo parumper cessante, Columba ramum olivæ, aquarũ undis minimè conquassatæ, ad Arcam detulit,

Ibidem.

Pierius.

Valerius Maximus.

Pierius Ibid.

Mariam Dei genitricem speciosam fore olivã, ipsique concinnè & omnimodè, quadrare victoriæ hieroglyphicum, quis non videt? Ipsa enim non tantùm contra infernales hostes, juxtà illud, *ipsa conteret caput tuum* victoriosa extitit, sed mirabiliter scalâ profundæ humilitatis cœlum ipsum à justitia divina arctissimè conclusum expugnavit;

pugnavit; unde ei Ecclesia illud adscribit elogiũ: *Felix cœli porta*. Ipsa Deum invincibilem devicit; illum enim, quem nullus comprehendere poterat locus, e throno suæ Majestatis, è Patris scilicet æterni sinu (ut serpens secundùm naturalistas murenulam ad littus maris sibilo invitat) verbum suavi ac sonorâ suâ voce allexit. De qua dicitur: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*, ad sinum uteri sui attrahens, duros ad instar Dalilæ divinæ justitiæ pilos abrasit, & Samsonem Deum imbellem reddidit, ac aureis in genus humanum charitatis vinculis ligavit & irretivit. Quod expressè satis indicat illa Jacob & Angeli lucta, de qua Gen. cap 32. *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane*, quem plurimi ipsummet Deum fuisse autumant innixi sequentibus Scripturæ verbis: *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis*. & versu 20. *Vidi Deum facie ad faciem*; hæc enim clara figura est luctæ inter Deum & hominem. Hic enim, cùm tanto tempore contra divinam justitiam fuisset luctatus, instantissimè sibi donari pietatis & misericordiæ expetebat benedictionem, clamabatque ad cœlum, cui quasi inclusa continebatur misericordia, solâ in terra dominante justitiâ, O misericordia! non dimittam te precibus & lachrymis defatigare, nisi benedixeris mihi. Sed in vanum miser laborabat; exspectanda enim erat aurora Maria, quâ visâ ad hominem clamat Deus: dimitte me, aurora est: O justitia dimitte captivam misericordiam, quia Maria apparuit, nunc elargienda est miseræ humanæ naturæ pietatis benedictio. Ita apposite hanc luctam explicat doctissimus Oleaster suprà hunc locum, *dimitte me: quid igitur magni testamenti Angelus victum sese ascendente aurorâ, confitetur: nil aliud est, nisi quod Maria Christus aspectu infirmum se esse ostendat, & peccatori dicat, dimitte me, jam enim aurora ascendit*. Unde si Epopæus Thessalus in grati animi mnemosynon pro victoria in hostem suum adepta Nectæum Minervæ templum erexit, illudque victoriæ nomine insignivit, quem cultum, quam reverentiam nostræ Deæ Mariæ non exhibebimus nos Christiani, quæ pro nostra libertate contra Deum ipsum insigni potita est victoriâ? Unde longè nobiliori modo, magisque proprio mysticæ nostræ olivæ Deiparæ Virgini, quam olim Ægyptii insensibili huic arbori attribuere licet victoriæ hieroglyphicum, & constanter asserere, illam esse olivam speciosam & fructiferã, in mundo ad mortalium solatium à petito & divino agricola plantatam.

Cant. c. 2. v. 14.

Gen. c. 32. v. 24. 28. & 30.

Oleaster in hunc locum.

Narrat S. P. N. Augustinus ex celebri scriptore Varrone, quod stupendum tempore Cycropis Atheniensium Regis, *à quo ferunt*, inquit, *conditam fuisse hanc civitatem*, contigerit portentum, cujus & meminit doctissimus Herodotus. Cum enim Cycrops jam fundatis, erectisque ad justam altitudinem & debitam communitionem Athenarum muris, sumptuosum ac splendidum hoc opus consummasset, convocato universo populo, cunctisque Regni sapientibus de Dea, vel Deo novæ urbis tutelari eligendo sedulò consultavit. Ex quo deducit Herodotus evidens hoc signum fore, illum hanc exstrui jussisse civitatem. Verùm cùm varii in varias opiniones distraherentur, his Jovem, illis Apollinem, istis Neptunum, aliis Minervam, quibusdam Matrem &c. præferentibus; illic repentè apparuit olivæ arbor, & in altero loco aqua erupit: quo naturæ inaudito miraculo viso. Rex cum toto populo obstupefactus, stetit immobilis, planè ignarus, quid rei tam prodigiosus protenderet eventus. Tandem inito super hoc maturo consilio, divina oracula consulere statuit. *Regem*, ait Augustinus, *ea prodigia moverunt, & misit ad Apollinem Delphicum sciscitatum, quid intelligendum esset, quidve faciendum*? Apollo verò consultus respondit: *Quod olea Minervam significaret, unda Neptunum*. Quo innuere intendebat, prædictum portentum optionem Regi Cycropi civibusque quasi dedisse, ut Minervam, vel Neptunum pro numine tutelari sibi urbique pro sua voluntate seligerent.

Augustin. de civ. Dei c. 19.

Hoc responso accepto, Cycrops rursùs diligenter deliberavit, sub cujus tutela pulcherrima hæc civitas, Minervæ, aut Neptuni magis remaneret contrà omnes omnium futurorum hostium insultus insuperabilis ac invincibilis, & cujus virtute faciliùs cives essent victoriam adepturi; sed post varias super hanc rem ventilationes, tandem unanimiter conclusum est, Minervam Athenarum (quod vocabulum græcè Minervam sonat inquit Augustinus) Deam tutelarem esse eligendam. Cùm enim oliva apud cunctos sapientes hieroglyphicum victoriæ haberetur, simulque & Minervæ olim victoriæ palma (ut ostendimus exemplo Epopæi) ultrò à triumphantibus attribueretur, hoc portentum victoriam & Minervæ indeficiens in protegendis Atheniensibus subsidium contra quemlibet inimicum promittere indubitatè

dubitatè credebant. Sic testatur Pierius: *Oleam ideò prælatam ajunt, pronunciatumque pro Pallade, quia ea arbor victoriæ habetur indicium.* Hinc olivam mox in arce urbis plantârunt, quâ durante & virescente, illam falsè arbitrabantur fore prorsus inexpugnabilem. Ad quod deliramentum alludens Tullius ad Athenienses clamat, quod jam diu armis hostium essent subacti ac subjugati, *nisi Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere potuissent.*

Hæc sane vana sunt fateor cœcorum gentilium commenta, verùm si illa ad Catholicum & sanum sensum detorquere liceat, hanc historiam, vel forsitan fabulam præsenti nostro instituto quàm appositè quadrare comperiemus. Maria Minerva nostra est, non è virginea ficti Jovis mente, sed æterna summi & veri Dei sapientia in divina idæa ab æterno non tantùm filia, sed & mater prædestinata. Verùm in tempore producta, ad instar Minervæ vivus est & scaturiens incessanter victoriæ fons, ejusque indubitatum symbolum, ac proinde rectè ipsi sacra reputatur oliva, ipsamet de se attestante, *ego quasi oliva in campis.* Si itaque ô Ganda! ô Belgium? ô misera, tum Christianorum Principum, tum hæreticorum, tum Ethnicorum ac Barbarorum armis fatigata & oppressa Ecclesia! desideras tibi quasi desponsare Deam quamdam tutelarem, & victoriæ contra hostes procuratricem; Ah cum Atheniensibus non ad falsam Minervam, sed veram hanc Deam Mariam, mysticam olivam confugite: ipsa enim indubiè sub suæ protectionis vexillo militantes victoriosos & invictos reddet. Et sanè, si Tullius conservationem Atheniensium Minervæ, in cujus honorem plantata erat in arce oliva, adscribebat: ausim ego dicere, O Belgæ! jam jam diu inimicorum vestrorum armis essetis devicti, ac subacti, nisi quàmplurimi Mariæ devoti hanc olivam in arce cordis sui, incruenta sæpè sæpiùs Christi Domini Carnis & sanguinis sacrificia in matris reverentiam offerentes, eleemosynas pauperibus elargientes, illamque indesinenter lachrymis & precibus interpellantes, firmiter collocassent. Quod apertè declarat S. Bonaventura: *Nisi matris meæ* (loquitur verò in persona Christi) *preces intervenirent, non esset spes misericordiæ.* Et rursùs si Athenienses se inexpugnabiles esse confidebant, tam diu, ac in urbis arce oliva intacta ac virescens conservabatur, ita ego denuò ausim asserere, O Auditores! quod non omnis furentis hostis quantumque validos impetus facili negotio repellemus, & inimicorum victores remanebimus, si hanc olivam Dei genitricem animitus colamus. E contra argumentor, regnum quod eam non coluerit destruetur. Etenim mysticæ huic olivæ tamquàm victoriæ auctrici concinnè convenit illud Proverb. *Per me Reges regnant.* Quinimò & ei quadrat illud Isaiæ. *Aperientur portæ tuæ jugiter die ac nocte, non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur: gens enim & regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Quid itaque adeò obstupescimus & admiramur, O Auditores! Flandriam ab una parte Francorum subjici dominio, ab altera sub duro hæreticorum Anglorum jugo ingemiscere? Vultis hujus scire rationem? Attendite & intelligite? *Regnum quod Maria non servierit, peribit:* tepiditati vestræ hanc Patriæ ruinam in diva Virgine colenda imputate, tam parvæ ergà Dei Genitricem reverentiæ, totalem tam floridæ Flandriæ Provinciæ adscribite interitum. Non sic, non sic ô Cives! evigilate quæso de tam profundo sopore, & imitantes Athenienses, olivam hanc Mariam animo vestro inserite, id est, ex intimis cordis vestri penetralibus indelebilem Virginis Matris imprimite devotionem, & ita ab ea indubitanter (ut mox ex quibusdam constabit historiis) contra hostes obtinebimus victoriam. Quia sicut regnum, quod ei non servierit, peribit, sic è contra regnum, quod eam dignè coluerit, inexpugnabile permanebit.

Bonav.

Prov. c. 8. v. 15.

Isai. 60 v. 11.

Narrat celeberrimus historiographus Plutarchus, Cyzicenos jam hostium armis totaliter quasi subactos, nullâ spe salutis alibi effulgente, de communi avertenda populi clade maturè consultasse: tandemque decretum est ad Deæ Proserpinæ tutelam confugere, in cujus honorem sacrificium unius vaccæ obtulerunt, deprecantes eam, quatenus ad placandum iratum Jovem curam in se susciperet. Quod tam exiguum obsequium tanti æstimavit Proserpina, ut de nocte apparuerit Aristagoræ scribæ, eique dixerit: *Utique adero & contra Ponticum Tubicinem Africanum, Tubicinem* (scilicet Lucullum) *adducam, dic igitur civibus, ut bono sint animo,* cujus militari virtute ac industriâ paulò post Mithridates, & dux navalis, & ipse Marius miserè perierunt, & Cyzineni ab hoste liberati sunt. O afflicta Christianitas, undequaque à furentibus hostibus opprimeris, & aliqua vix ullibi spes apparet evasionis: recurre ad Mariam, eam cole, & venerare, & roga, quatenus iram supremi Jovis ob nostra scelera offen-

offensi à nobis avertat, victoriamque pro suis devotis procuret. Non dubito, quin ejus ope illam impetraturi simus.

Et si quis tam firmæ meæ in Maria confidentiæ fundamentum cognoscere exoptet, perlegat antiquas historias, recolat miserrimum a multis sæculis quandoque Matris nostræ Ecclesiæ statum, ut inde quot victorias, quot fœlices contra infideles, Christique hostes, Christiani Principes ope & auxilio hujus Virginis expeditiones prospero cum successu attentârint, quotque sanguinolenta prælia contra inimicos victoriosi commiserint. Ejus enim mirabilia enarrare mihi tempus negat; ne tamen adeò jejunus pertranseam olivæ nostræ heroicos effectus, in memoriam revocare lubet difficillimam illam contra Turcas sub strenuissimo Duce Godefrido susceptam expeditionem, anno, ut dicit Baronius 1095. Ecclesiam moderante Urbano secundo, à quo in Concilio Claremontensi, & illa mandata est Christianis, ad terram sanctam infidelium manibus eripiendam. Ad quem desideratum finem adipiscendum indictæ ad divam Virginem Matrem, per universam Ecclesiam preces, institutæ supplicationes, decreta jejunia, quatenus Maria, tam speciosa oliva, Christianis victoriæ palmam apportare dignaretur. Verùm an forsitan frustrà? Neutiquam sanè. In tantùm enim pia hæc opera Divæ placuerunt, ut illius opitulatione, tota Godefredi armis subjecta sit Palestina, annoque 1099. intercepta Jerosolyma. Qui plura desiderat, legat Nycephorum, ubi prolixè fortunatissima Narsetis Romani Imperii exercitus ab Augusto Imperatore supremi præfecti deputati, stupendas in hostes ope hujus Virginis (hic enim numquàm, ut ipse ait, bellum inimico intentabat, nisi Maria tamquam vexillifera appareret, exercitumque quasi præcederet) & præcipuè in Imperii infestissimum hostem Totilam, in potentissimos Duces Buselinum, Salduildum, in barbaros Gothos Tarentum obsidione strictè cingentes, enarrat victorias. Legat inquam illas & alias per Mariam Virginem impetratas, & à doctissimo Carthagena recensitas victorias lib. ultimo de mirandis Deiparæ Virginis. Ego ut tempori parcam, iis modò supersedeo, & ad aliud olivæ transeo hieroglyphicum.

Baronius c. 10. ad annum 1095.

Niceph. l. 17. c. 13.

Quod quamvis pro ultimo adjiciam (omnes enim hujus arboris proprietates ad amussim explicare nimis longum foret) non aliis minùs, sed multò excellentiùs existimo olivæ hieroglyphicum: scilicet pacis, quod ei à veteribus indubitâter attributum testatur Pierius: *Pacificum inprimis oleæ hieroglyphicum esse, tam apud Poetas, quàm Oratores vulgarissimum est, cujusmodi est illud Maronianum.* *Pier. l. 53.*

Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

Hinc, dum Antiochus pro pace ineunda ad infestissimum suum hostem Ptolomæum legatū misit, illi suo nomine virentem olivæ ramum offerri jussit. Undè quoque, cum Hercules mundo persuaderet, sese à Diis missum fore, pacis componendæ gratiâ, respondit Pistotherus: *Oliva in lecytho prorsus nihil.* Hoc dicto indicans, nullum prorsus pacis apparere hieroglyphicum ac indicium. Illud ipsum apprimè comprobant varia Imperatorum numismata. In numo enim Severi Pii Augusti togatum incusum erat simulacrum cum ramo olivæ, & adjunctâ epigraphe, *Fundator pacis*, teste Pierio dicens: *Eisdem penè figuris in ejusdem* Severi Numo visa est inscriptio: *Fundator pacis*, additque, *quam vis verò vidisse juvet in Maximiniani simulacrum, quod oleam prætendit, cum inscriptione, Pax Augusti, illud tamen*, quod & Pierio *magis arridet*, ut fatetur, *quod in numismate Philippi patris sigillum illud est olivæ pacis ramum tolens, cum inscriptione, Pax æterna.* Imò olivam semper pro pacis hieroglyphico habitam fuisse, clarissimè demonstrat fabulosa de Deo Neptuno, & Dea Minerva lis. Cum enim, ut refert Pausanias, in Areopago ille, & ipsa pro tutelari civitatis cura contenderent: Sapientes Athenarum decreverunt, ad hoc dominium assumendum illum, qui magis stupendum prodigium patraret, quo intellecto, Neptunus tridente suo, tamquàm maris dominus aquas conquassavit, è quibus confestim duo furiosi hinnientes prodière equi. Inauditum sanè ac stupendum prodigium, quo viso, cuncti obstupuère. Verùm Minerva virgâ leviter terram percutiens, subitò ramum virentis olivæ germinare fecit. Et quantumvis hoc non tantâ admiratione dignum à populo haberetur, re tamen à sapientibus in hieroglyphicis profundè instructis, maturiùs considerata, perpensisque olivæ significatis, eminentius Neptuni portento judicatum est. Idque ideò, quia hinniens equus, qui bella & seditiones protendit, tumultus est hieroglyphicum. *Oliva* verò pacis & tranquillitatis symbolum. Ob quam rationem Minervæ hujus civitatis attributa est tutela.

Hoc

Pier. l. 53.

Hoc ipsum quàmplurimum confirmat illa, quam refert doctissimus Pierius ex Herodoto Tersichore. Ortum erat apud Epidaurios ob quamdam prægnantem sterilitatem civile, multumque damnosum bellum, ad quod compescendum & sedandum, cum incolæ nullum comperirent conveniens remedium, tandem extremâ compulsi necessitate oraculum Delphicum consuluerunt; quod respondit: *Damiæ & Auxesiæ simulachra ex olea erigenda fore* Etenim moris erat apud Ægyptios Deorum suorum simulacra ex olivæ ligno conficere, quasi benignitatem, concordiam & pacem, *quâ superi sunt præcipuè præditi, ita ad unguem referre videantur.* Quo facto, plenam ac perfectam pacem sunt consecuti.

Quod si ita est, quis modò non videt, quanto cum fundamento Maria semetipsam olivæ assimilet: *Ego quasi oliva speciosa in campis?* An enim illa forsitan & hoc insigne non convenit hieroglyphicum pax? Si est aliquis, qui dubitet, maturè consideret verba cantantis Ecclesiæ Catholicæ: *Virga Iesse floruit, Virgo Deum & hominem genuit, pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis.* Unde cum adimpletum contemplor, quod in ejus figura apud Prophetam reperio cap. 2. ubi narratur Regem Ninivitarum de regali suo throno descendisse, conspersum cinere, indutumque sacco, ut provocatam populi peccatis Dei iram definiret. Unigenitus Dei Filius Rex Regum è cœlesti solio & sinu patris descendit, & in utero virginali abjecto carnis cinere aspersus, indutusque nostræ mortalitatis sacco, in quo infinitus prætiosi sanguinis continebatur thesaurus, ejus pretio pacem emit, & concordiam inter Deum & hominem composuit. Quod, quandoquidem per Virginem Mariam ad affectum deductum sit, nonne meritò illam mundum pacificasse prædicamus, illique, ut veræ olivæ illud attribuimus elogium:

Paciferaque manu ramum prætendit Oliva.

Unde, si Ægyptii strictissimè diem solemnem cultus & honoris tertium cujuscumque mensis Deæ Minervæ, Jovis filiæ, dedicarant, eò quòd illam oleum pietatis contra patris fulmen mundo contulisse credebant; quam reverentiam, quem cultum Minervæ nostræ Mariæ, tam eximiæ ac necessariæ pacis inventrici nos Christiani non demonstrabimus? Et, si Minerva in tanto à mundo habebatur pretio atque æstimatione, quia è terra olivam pullulare fecit; quantum non venerabimur Mariam, quæ longè mirabilius edidit portentum. Ipsa enim, teste Baronio, ad Annum Domini 870. & Arnoldo à Damasco, qui sese ocularem testem profitetur, ex imagine sua in ligno depicta, nunc super lignum incarnata, in Palestina in Ecclesia Beatæ Virgini dedicata, in monte sita Sardanæida, oleum super balsamum odoriferum incessanter distillat, illudque numquam imminuitur.

Baron. anno 870.

Nec dictum meum solummodò intelligo de spirituali pacificatione, (de qua satis prolixè tractatum est suprà) verùm etiam de temporali. Mariam enim sæpè sæpiùs inter discordes Principes, ut fructiferam oleam, attulisse pacis fructum, discordiamque composuisse, non tantùm attestantur annales Aragoniæ, in quibus in tantùm admirabilis illa inter Regem Aragoniæ & Comitem S. Egidii Raymundum pax inita, Virgini cum applausu adscribitur, sed etiam Britannicæ, quæ de Regis Arcturis gestis tractant Historiæ. Quibus supersedens, ne nimiâ prolixitate lectori nauseam pariam, hoc unicum ad te clamo infelix Belgium: tu tanto tempore sub diversorum hostium armis ingemuisti, tamque abundanti Christianorum sanguine tellus tua est conspersa: tu toties quietem & firmam pacem exoptasti: meum in tuis miseriis consilium cape; sequere Epidaurios & erige in corde tuo ô homo, non ut illi, statuam Damiæ & Auxesiæ ex olea, sed Mariam Olivam nostram, id est illam summo zelo & affectu venerare & cole, & indubitanter exoptata effulgebit pax, ac desiderata quies.

Modò me ad te converto, ô piissima Domina! te fertilem tum in militantis Ecclesiæ, tum triumphantis campo fructiferam constitutam esse Olivam abunde satis demonstratum est. Omnimodè enim tibi essentia oleæ, & proprietates quadrant ac hieroglyphica, unicum tamen adhuc intactum relictum est, neutiquam profectò silentio prætereundum. Non ignoras, ô Maria! Olivam symbolum quoque fore supplicationis; Antiquitus enim supplicantes ramum Olivæ gestabant, ut testatur Statius dicens: *Ramumque peccantis Olivæ*, & alibi, *vittata laurus & supplicis arbor Olivæ*, hujus hieroglyphici, ô pia Virgo, te desideramus permanere memorem: offer æterno Patri, ut vera oliva, gratissimum ramum precum tuarum, supplica indesinenter pro nobis miseris peccatoribus dilecto filio tuo, ut è cœlis gratiæ & pietatis effundat

dat oleum atque pacis donum. Quod ut per te impetremus, sis nobis adinstar nobilissimæ matronæ Elpinicis, quæ, ut narrat Plutarchus, Periclem Atheniensium strenuum Ducem à prælio contrà Samias fœliciter, sed non sine magna quoque suorum strage gesto, redeuntem & triumphantem, bello & à sanguine in posterum fundendo his verbis avocavit: *Præclara sunt, ô Pericles ista, quæ gessisti, qui nos tot fortibus viris spoliasti.* Sic inquam nobis, Maria, Elpinices triumphantibus & superbiâ intumescentibus Christianis Regibus & Principibus ob obtentam contra hostem victoriam, devictas civitates, aut subjugatam quamdam Provinciam, cladem divinâ tuâ inspiratione tot Ducum, totque fortissimorum virorum, ac innocentis sanguinis effusionem belligeris animis propone: exhibe quæso illis pias Pyrrhi Epirotarum Regis, quamvis bis contra Romanos victoriosi lachrymas, ac luctuosam, cum tantam à parte sua cæsorum intueretur multitudinem, exclamationem: *Si uno adhuc prælio Romanos vicerimus, actum fuerit de nobis:* ut tandem suorum miserti, pacem per tuum adjutorium amplectantur. Quod, ut assequamur apud filium, te humiliter obsecramus, ut in æternum in cælis sis,

Plutarch.

nobIs MarIa preCantIs aD Instar oLIvæ.

CONCIO XVIII.

THEMA.

Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus. Prov. cap. 3.

ARGUMENTUM.

Probatur Mariam Virginem verè esse lignum vitæ & beatitudinis, eumque beatum, qui eam apprehenderit ac tenuerit, alludendo ad magnificum, quod illi attribuit Ecclesia elogium, refugium peccatorum.

CErtum est, quamvis fortè mirum, quod sive diligenter inspiciamus prophanas Historias, sive politicas, sive ceremoniales leges ac popularia decreta, sive ipsammet nudè naturam, sive etiam infallibilia Sacræ Scripturæ monumenta, reperiemus utrobique, tum authorem naturæ, tum gratiæ, tum politici rerum, publicarum rectores atque legislatores ad cujuslibet status conservationem, vel, ut melius dicam, ad certam individuorum afflictorum fiduciam, locum quemdam refugii & asylum determinasse. Si de statu naturæ tractemus, non tantùm id probat Scriptura Ezech. cap. 17. loquens de cedro in refugium terrestrium ac volatilium animalium ab ipso naturæ authore (secundùm litteram intelligo) plantata: *In monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam: & habitabunt sub ea omnes volucres, & universum volatile sub umbra frondium ejus nidificabant:* Verùm etiam illud ipsum quàm apertissimè millenæ & milsenæ comprobant experientiæ; quis enim umquam naturas animalium indagavit, quin inter ea magnam repererit antipatiam & naturalem hostilitatem, ut de ciconia & serpentibus constat. Narrant enim naturalistæ serpentes maximo odio ciconias persequi, quos, cum eminus accedentes illæ prospiciunt, ad fraccinum arborem illicò confugiunt, cujusne quidem umbram, Plinius testatur, serpentes ausi sunt attingere, sicque ab authore naturæ ciconiæ hæc arbor

Ezech. ca. 17. v. 23.

bor pro asylo concessa est. De pellicano quoque narratur illum fulmine perterritum celerrimo volatu ad cedrum, ab ictu fulminis immunem, ideòque incorruptibilitatis habitam hieroglyphicum, pro vita tuenda convolare. Et idem est de infinitis aliis.

Si verò attendamus ad prophanas historias, nec eæ minus evidenter præfatam stabiliunt veritatem, Annales enim referunt Athenienses, pulchram quamdam navim Athenis summa cum cura custoditam, ac in maximo honore ac veneratione habitam fuisse. Illa sæpè sæpiùs Delphos Apollini homines sacrificaturos vehebat & revehebat, atque illo gaudebat privilegio, ut, si in eam quispiam, cujuscumque sceleris reus, confugisset, etiamsi per sententiam morti jam adjudicatus, ab omni pœna immunis, libertati restitueretur: & idcircò nuncupabatur *navis salutis & refugii*. Hæc autem illi concessa erat prærogativa, quia illâ, dum contra Minotaurum dimicaturus Theseus, cujus victor evaserat) mare transmearet, usus fuerat. De Agislao quoque commemorat Plut. quod ipse, cum hoste jam prostrato, victoriâque adepta, suis viriliter fugientes insequi, atque ad internecionem exercitum hostilem cunctosque superstites delere jussisset: viso, miseros refugium suum ad templum Minervæ, quod paci erat consecratum, & pro communi omnium reorum asylo destinatum, capere, furentem militem revocavit, atque compescuit & illos indemnes dimisit. *Quotquot hostium*, inquit, *in templo Itoniæ Minervæ confugerunt, eos dimitti jussit*. In cultus scilicet & venerationis Deæ Minervæ publicum testimonium. *Plut. in Agislao.*

Nec deficit hujus proba in Sacra Scriptura Josue cap. 21, ubi apertè constituuntur diversæ refugii civitates. *Iericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor & Iasor, & Ichison & Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis.* Constat itaque à Deo, ut authore naturæ omni creaturæ pro sui individui conservatione quoddam asylum esse destinatum, si ergò benignus Deus tantam corporalis vitæ gesserit curam, nónne eum longè majorem, ut authorem gratiæ, spiritualis animæ nostræ vitæ solicitudinem habuisse liberrimè asseremus? An fortè negabimus illum pro læsæ divinæ Majestatis reis, miseris scilicet peccatoribus locum, refugii & asylum constituisse? Absit, absit. Christus enim Mariam Matrem suam, cum in finem dilexisset suos, in cruce pendens, è mundo discessurus, humanæ fragilitatis memor, pro asylo peccatorum destinat, illique curam eorum sedulò commendat, *Iosue c. 21. vers. 36.*

& hominem in testamentum legat c'amans: *Mulier ecce Filius tuus*. O nobile asylum! ô fælix hominum refugium! exultate exultate ô peccatores. Mater vestra a judice pius refugii constitutus est locus. Revera Maria est altissima illa cedrus, de qua Ezech. sub cujus umbra omnia animalium ac avium genera, id est peccatores, omnium scelerum rei, securi quiescunt, cedrus inquam, sub qua latitantes cuncti nocentes, contra ignitum irati Dei fulmen defenduntur. Hæc est pretiosum sanè lignum, de quo Sapiens, qui apprehenderit eam, beatus. Ipsa est salutifera fraccinus infernali serpenti maximè inimica juxta illud Gen. cap. 1. *Ipsa conteret caput tuum*, cujus ne quidem umbram ipse ausus est attingere. Ipsa est navis teste Salomone *Facta est quasi navis institutoris, de longè portans panem*, sed longo intervallo superbâ illa Atheniensium navi præstantior ac eminentior: illa enim tantum Theseum contrà Minotaurum victorem pugnaturum vexit, sed hæc mirifica navis Maria Verbum æternum panem vivum de longè portavit Jesum Christum, qui non Minotaurum, verùm ferocissimum humani generis hostem, dæmonem inquam, prostravit, omnesque prorsus tenebrarum potestates fugavit. Hâc navi quiscumque peccator vehatur, cunctas irati maris mundi hujus procellas incolumis indubiè evadet; unde & ipsa quoque rectè appellari potest navis salutis & refugii. Maria insuper est ornatissimum templum illo Minervæ longè sanè magnificentius, in quo Palladis imago, sed ipsamet divina patris æterni unigenitus filius Christus viva imago tanto tempore quievit. Tandem Maria est vera civitas refugii civitatibus Bosor, Misor &c. multò securior, sub cujus protectione omnis reus liber commoratur teste Dam. in ejus persona dicente. *Ego fons perennis curationum, ego civitas refugii omnibus ad me confugientibus.* Ob quam singularem præ cæteris sanctis prærogativam insigni hoc ab Ecclesia honoratur elogio, Maria *refugium peccatorum*. Verùm antequam hoc prolixius demonstremus, refugium quoque nostrum ad eam capere necesse est, quatenus ipsa sua gratia & favores, Sancto Spiritu cooperante mentem nostram illuminet, linguam dirigat, ut quamvis nihil dignè, saltem minùs indisertè aliquid de ea disserere valeamus.

Ezech.

Gen. cap. 3. vers. 15.

Prov. c. 31. vers. 14.

S. Dam.

Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.

Celeberrimus historiographus Plutarchus commemorat, quòd Romulus, postquàm infinitis *Plut. in vita Romuli.*

nitis sumptibus, atque arduis laboribus superbissimam civitatem Romam (quæ quondam universi mundi extitit caput) exstrui jussisset, jam illam ad summam atque eximiam deductam cernens perfectionem, verùm desertam, habitatoribus vacuam, & in populi penuria constitutam, ingenioso, ut Romam brevi tempore civibus & incolis refertam redderet, usus est stratagemate. Summa celeritate in urbe sumptuosum atque magnificum ædificari fecit templum, illudque Deæ Pythiæ solemni ritu dedicavit. Hæc summoperè à diversis gentibus colebatur, eò quòd ipso (hoc permittente Romulo) vivo oraculo omnibus, cujuscumque delicti reis, veniam, Romam, & ad Pythiæ templum confugientibus infallibiliter impertiretur. *Quo* inquit Plutarchus, *effectum fuit, ut celeriter urbs excresceret*, hujus subtilis Romuli inventionis meminit Ovidius canens.

Ovid. lib. 3. Fastorum.

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Cuilibet huc dixit confuge, tutus eris.

Haud dissimiliter supremus Deus pulcherrimam illam Sanctam Jerusalem civitatem cælestem divinis mentis suæ oculis contemplans, sed ob tot Angelorum apostatarum ruinam vacuam quasi & desertam, adinstar alterius Romuli, eam resarcire, sedesque rebellium spirituum adimplere decernens, templum magnificum undequaque raris & stupendis ornamentis virtutum splendidum, Mariam Virginem scilicet genitricem suam ipsemet omnipotens artifex produxit, hancque tam in Ecclesia militantis, quàm triumphante omnium peccatorum & delinquentium constituit asylum, ipsique tantam contribuit potestatem, ac authoritatem, ut quibuscumque reis divinæ læsæ majestatis, non ut Pythia falsa Dea, sed ut vera mundi, ac cælorum moderatrix, oraculo suo ad se confugientibus gratiam & veniam pro beneplacito concedere posset. Quo etiam Dei, ut ita dicam, stratagemate cælum impleri, Angelorumque ruinas restaurari incepisse claris satis Bernardus verbis affirmat ad Virginem loquens:

Bernard.

Per te cælum impletum est, infernus evacuatus, instaurata ruina cælestis Ierusalem. Unde idem S. P. maturè considerans hunc locum Davidis: *Astitit Regina à dextris tuis in vesti tu deaurato circumdata varietate*, Mariam omni hominum peccatorum genere, tamquam splendidissima pretiosissimaque veste ornatam esse dicit, quæ maximè in cælis illius reputatur gratia, gloria & beneficium.

Et sanè non sine fundamento, si enim à republica Romana quàmplurimùm laudatus & exaltatus fuerit invictissimus ille Dux Sertorius, quia in Hispania Imperio rebelles quosdam pertinaces absque ullius militis casu cinere devicerat, & cum exigua suorum internecione universum illud regnum debellarat, quæ gloria, quis triumphus quis applausus à cælesti illa republica, cælo inquam empyreo Mariæ non exhibetur, cum tanta Christianorum comparenti multitudine, quorum tam sedulam curam gessit, ut etiam æternis inferni flammis destinatos, tamquam animosa Amazon, pro suis devotis dimicans, ex infernalis leonis unguibus eripuerit, teste doctissimo Novarrino de Maria dicente: *Multi in infernum nunc essent trusi, nisi in hunc sacrum locum se reciperent, qui eis est immunitatis causa, ut olim civitas refugii.* Quàm verò infallibile sit, fructusque numquam expers Marianum nostrum asylum, mea neutiquam audeo denuntiare authoritate, sed rogo vos attente audite brevem, at nervosam S. Bernardi de hoc sententiam: *Maria tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, faves, nec deseris, quousque horrendo judicio miserum reconcilies* O admirabile peccatorum asylum! ô pulcherrima refugii civitas! quid ni ergò, si Ovidius Romuli Pythiæ templum, tamquam refugii locum eleganti disticho decorarit, ego quoq; Mariæ nobilissimo templo, atque excellenti asylo illud doctissimi Poetæ Mantuani audacter adscribam.

Plut. in vita Sertorii.

Bernard.

Ipsa est adversis commune in rebus asylum
Cuilibet hoc dico confuge, tutus eris.

Ah nos fælices quibus hoc destinatum tam inviolabile asylum est Mater nostra! etenim, si ipsa Mater, quomodò Materna pietatis officia suis devotis denegare poterit? neutiquam sanè, ut ait Isaias: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum?* Agar, cum dilectum suum & unigenitum filium Ismaelem in deserto languescentem, & præ siti moribundum intueretur, ut narratur Gen. cap. 21. præ nimia anxietate totaliter desoluta, nescia, quo se verteret, ut infantulo morienti suppetias ferret, amor maternus veteris mamillarum lactis illam memorem reddit, subitòque vestimenta disrumpit, pectus & ubera discooperit, illaque non tantùm arctissimè constringit, verùm etiam furibundè manibus concutit, mihique

Isa. ca. 49. vers. 16.

Gen. c. 21. vers. 16.

mihique videtur exclamare : ô ingrata ubera, quare modò ſuccum deficienti præ ſiti denegas Iſmaeli, quem ei aliquando tam abundanter effudiſti ? Sed heu ! cernens exſiccata ubera, amore ardens, ad lachrymas ſe convertit, & gemebunda ſuper terram proſtrata querulas haſce ad cœlum edit voces: *Non videbo morientem filium*, ſed tandem uberrimis afflictæ Matris, puerique lachrymis ad pietatem commotus clementiſſimus Deus, Angelum miſit conſolatorem, ipſiuſque oculos aperuit, ac aquæ fontem demonſtravit, è quo Agar potum hauriens, ſitibundum Iſmaelem læta potavit.

Matris amori Agar ergà Iſmaelem profectò cedere neutiquàm debet Mariæ Matris noſtræ ergà nos filios amor, verùm longo intervallo eum antecellit; ipſa enim, dum miſerum peccatorem in vaſtiſſimo hujus mundi deſerto peregrinantem, præ gratiæ divini ſucci penuria langueſcentem, mortique æternæ proximum miſericors contemplatur, ad divinum velociter SS. Trinitatis properat tribunal pro ſitibundo homine deprecatura, & hiſce Deum interpellat vocibus: ô piiſſime Domine? ah filius meus in mundo derelictus jacet, & defectu divini gratiæ tuæ liquoris præ ſiti periturus in æternum periclitatur! ecquid tam ſevera, & rigoroſâ tuâ juſtitiâ adeò arctè portam occludis miſericordiæ? recordare ô fili, quod me ſub cruce in cruenta tua paſſione cum tanto animi dolore ſtantem, hominum conſtitueris matrem clamitans: *Mulier ecce filius tuus*. Cur ergò pro filio Matrem deprecantem moratis? Fili, ecce ſitibundi homines ad me inceſſanter vociferantur: *Numquid oblviviſci poteſt mulier infantem ſuum*? O pia Mater, tu es noſtrum aſylum & refugium, tu unica ſpes noſtra & fiducia, diſtilla nobis lac divinæ pietatis & clementiæ: ubera tua neutiquàm exſiccata, ſed divino gratiæ ſucco ſunt turgida; effunde, itaque filiis tuis præ ſiti deficientibus vivificum hunc liquorem. O Pater æterne, *non videbo morientem puerum*: non videbo devoti mei interitum. Ideò rurſus ad te clamo, imò & mando tibi, ut altera Regina Eſther quondam Aſſuero: *Da mihi animam, pro qua rogo & populum meum pro qua obſecro*. Et ecce his piis Matris noſtræ precibus & verbis ſuccumbit divina juſtitia, & ut Salomon Berſabee, ait: *Pete mater, neque enim fas eſt, ut faciem tuam avertam*, ejuſque petitioni annuit. Nec mirum, inquit Dam. *Quomodò enim illa poteſtas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tua, carnis ſuſcepit originem*? Manet itaque inconcuſſa hæc veritas, quod Maria ſit lignum vitæ, quod ſi

Eſther c. 7 verſ. 3.

3. Reg. c. 2. verſ. 20.

quis apprehenderit, erit beatus: quia ipſa eſt ſecuriſſimum pietatis aſylum.

Cæci ac inſani gentiles terram ob quam plurima illius in homines beneficia magnam Matrem nuncupabant, eamque idcircò, ut ſupremam Deam venerabantur. Unde infantem jam natum gremio terræ in ſummum magnæ matris cultum ſuperſtitioſè tradebant, & poſt in altum illum ſublevantes Deæ, quam *Lovonam* vocitabant, dedicabant. Eundem infantulum in cunabulis jacentem Deæ *Cuninæ* curæ committebant, & quia cibo, & potu pro nutrimento & educatione puer indigebat, etiam Deam *Eduſſam* & *Potinam* adorabant. Quia tamen omnes iſtæ Deæ terræ fructibus veſcebantur, eam Deorum Matrem eſſe firmiter credebant. Præter hoc nomen plurimis aliis gaudebat, ſcilicet Cibalis, Veſtæ, Cereris, Opis &c. dicebatur Cibale, quia homines paſcit cibumque ſubminiſtrat, Veſta, quia veſtit, Ceres, quia frumentum producit, Ops, quia cunctis mundi egenis opitulatur. Hinc Homerus *illum vitæ largitricem appellat*. Pauſanias terræ ſumptuoſum ac magnificum ab Acaiæ incolis exſtructum fuiſſe refert ſimulachrum in modum cujuſdam aræ, quam *auri ſternam* vocitarunt, quod vocabulum ampliſſimum puteum interpretatur; idque ideò, inquit, *quia nullus adeò miſer & abjectus eſt, quem ipſa non capiat & amplectatur*. Imò nullum cadaver tam fœtidum, quod ipſa omnium miſerta in ſuo gremio non recondat, hincque commune apud Archivos habebatur & nominabatur hominum aſylum.

Non denego hæc falſa & futilia eſſe ethnicorum figmenta: fateri attamen cogor, ſi ea ad veritatem Catholicam detorqueamus, præſenti inſtituto quàm appoſitè deſervire. Etenim honorificum, quod cæca gentilitas terræ dedicabat elogium *magna Mater*, longè potiori jure Mariæ Virgini illud adſcribam, dicamque eam eſſe propriiſſimè Matrem terram, de qua ait Pſalmiſta, *benedixiſti Domine terram tuam*; magna enim Maria Mater, non quia, ut gentiles de terra ſentiebant, falſorum Deorum eſt authrix, ſed quia ſummum Deum Chriſtum Jeſum peperit cœli terræque Dominatorem, proprioque ſuo ſanguine enutriit, unde ei quoque quàm optimè præfatarum Dearum nomina quadrant. Ad quod alludere videtur Bernardus Virginem alloquens hiſce verbis: *Magna in Domina, quæ eum, quem cœli capere non poterant, cepiſti & concepiſti, portaſti, & non defeciſti, genuiſti, aluiſti, paviſti, mammaſti, & educaſti*. Nec

Bern. ſer. 3. ſuper Salve Regina.

ideò

ideo dumtaxat magna Mater Maria, sed verè etiam magna, quia omnia illa beneficia, obsequia ac materna pietatis officia, quæ decepta Gentilitas falsis illis Deabus affingebat, sola hæc magna Mater Maria, nobis filiis suis affluenter exhibet. Ipsa enim ad instar alterius Deæ Cuninæ ab infantiæ cunabulis materno benignitatis gremio nos suscipit, & sua intercessione filios diaboli natos, per salutare sacri Baptismatis lavacrum mundatos, in adoptionem filiorum Dei admitti diligenter curat. Est etiam Dea Potina, quia nobis potum divinæ misericordiæ sitientibus subministrat. Est quoque Dea Cibalis, quia nos famelicos cibo sacro-sancti Filii sui corporis, & pretiosi potu sanguinis in vitam æternam in Venerabili Eucharistia pascit. Est Dea Ops, quia nulli indigenti, qui ejus opem implorat, illam denegat. Est insuper Dea Vesta, quia animam nostram gratiâ, spiritualibus donis, ac cælestibus charismatibus omnino nudam exornat, ac pretiosâ sanctificantis gratiæ veste induit: hæc toto divinarum gratiarum thesauro nos pauperes ditat. Tandem vitæ est elargitrix Maria, quia ipsa mortem æternam, mediante filio Christo, destruxit, & vitam mundo donavit; unde ait S. P. N. Augustinus: *Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit, Eva percussit, ista sanavit, illa superbiâ, hæc humilitate.*

Augustin.

Non minori itaque ratione Mariæ convenit erectum ab Achaiæ Incolis simulacrum; ipsa enim salutis vera est ara, & auri sterna, quæ puteum in se gratiæ continet profundissimum, è quo ad hanc aram confugientibus potum perabundè elargitur; ideoque ei potest illud quoque terræ nostræ benedictæ appropriari, quod Archivi terræ attribuebant nomen, *commune hominum asylum.* Quia ipsa omnes quantumcumque fœtidos & obstinatos peccatores in gremio suæ pietatis benignè suscipit; & hinc ab Ecclesia hoc honorifico decoratur encomio, *Refugium peccatorum.* Sic clarissimè attestatur Blosius: *Citiùs cælum & terra perierint, quàm aliquem ipsam seriò implorantem suâ ope destituat.* Pro cujus ampla confirmatione accipite quæso ô auditores, digna sanè auditu melliflua, & ad omnium peccatorum solatium, & ad Mariæ laudes verba: *O beata ergo fiducia! ô mirum refugium! Mater Dei est Mater nostra, Mater ejus, in quo solo speramus, & quem solum timemus, est Mater nostra. Quàm magnum quàm admirabile est, quod video per te evenire nobis? quod videns gaudeo, quo gaudio, dicere non audeo; si enim tu Domina es Mater ejus, nonne alii filii tui, sunt fratres ejus? Sed qui fratres, & cujus ejus? loquar unde jucundatur cor meum: sed quod credo amando, cur non confitear laudando? quâ igitur certitudine debemus sperare, quâ desolatione possumus timere, quorum, sive salus, sive damnatio, de boni fratris, & piæ matris pendet arbitrio? quo enim affectu hunc fratrem, & hanc matrem amare debemus, quâ securitate ad illos confugiemus?*

Bern. ser. 2. super Missus.

Antiqui Poëtæ mirabilem inter fortissimum Herculem, & maximum gigantem Anthæum finxerunt luctam, quæ adeo pertinax extitit, ut Anthæus ab Hercule devinci nequierit, quò enim sæpius Hercules illum in terram prosternebat, ipse hoc casu fortior, celeriter sese rursus erigebat, atque audaciùs resumptis antiquis, novisque additis viribus, contra hostem dimicabat. Hujus autem rationem fabulosi assignabant, quòd terra, (cujus Anthæus filius credebatur, utpote potentissima Dea) cadentem filium erigeret, eique matrem osculanti, ejusque subsidium imploranti, novas continuò vires subministrabat: ideoque Anthæus in terra matre sua omnem spem & refugium collocabat. Hoc sane purum commentum est, sed concinne rursus præsenti discursui deserviens: etenim Maria mater nostra terra est, & Dea verè potentissima, quæ filios suos devotos famulos in peccatum lapsos, suo auxilio & gratiâ elevat. Hinc potest ei appropriari, quod cantat Ecclesia: *Surgere qui curat populo.* Unde si ô peccator, fortissimus ille Hercules, divina inquam justitia, sceleribus tuis provocata, & ad vindictam excitata, te in profundum barathrum dejicere attentet: ad instar gigantis Anthæi ad benedictam illam terram Mariam, invincibilem Deam, matrem tuam refugium cape, illam osculare osculo devotæ invocationis, hanc venerare, hanc cole, & hæc infallibiliter te à divinæ justitiæ fulmine immunem reddet, & contra omnes tuos hostes tuebitur dimicantem, & victorem efficiet. Audite quàm apposite ad hoc dicat Richardus: *Protegit Maria: quis enim apud filium accusare audebit, cui Matrem viderit patrocinantem? Et si Maria pro nobis, quis contra nos? & si ipsa est, quæ justificet, quis est, qui condemnet? & replico, peccator es, ad Mariam confugias, ipsa sola sufficit ad medendum; nulla est pestis tam efficax, quin ad Mariæ nomen cedat continuò.* Et luculentiùs Bernardus: *Irascatur dæmon, imperverse tur in nos Deus, Maria ab his omnibus intercessione nos liberat, & defendit.*

Rich. lib. de laud. V.

Bern. ser. 3. in Cant.

Pro

Pro hujus confirmatione pulcherrima mihi occurrit historia, quæ in annalibus Britannicis habetur. Commorabatur in regia Arcturis Britanniæ Regis aula aulicus quidam, nomine Leander, hic, ab Anglis Arcturis infestissimis hostibus, pecuniâ corruptus, se Regem Dominum suum veneno necaturum spoponderat; quod facinus, ut adimpleret, prandenti Regi vinum intoxicatum porrexit; verùm in vanum. Nequitiâ enim ac nefanda fraude, nescio quo casu detectâ, furore accensus Arctures è mensa illicò in medium prosilit, arreptoque gladio, Leandrum fugientem velocissimè est insecutus, illum infallibiliter propria manu interfecturus. Leander tam inopinato casu consternatus, & quo tandem fugeret planè ignarus, in anteriori aulæ cubiculo matrem Agrippinam, ibidem fortuitò præsentem, conspexit, ad quam celeriter currens, caput suum in sinu illius collocavit. Hunc, cum Arctures propiùs accedens, ense confodere jamjam attentaret, exclamavit Agrippina: *Siste O Rex, parce filio huic ingrato, & fœdifrago; fateor morte dignus est, sed matris sinus filio est asylum.* Et ecce obstupefactus ob tantum Matris in filium affectum Arctures, quasi immobilis substitit, sentiensque viscera sua Agrippinæ verbis mirabiliter ad pietatem commoveri, omni ferocitate, aut potiùs justissimâ ira depositâ, reo læsæ majestatis veniam impertitus est, statimque vitam concessit. Ob quod, cum indignarentur cæteri aulici, eique tantam clementiam improperarent his verbis: *Tam facilè adeo scelerato parcis?* Suaviter respondit, *vindictam Mater inhibet.*

Haud aliter pro nobis miseris peccatoribus divinæ reis læsæ majestatis nunc in Ecclesia triumphante patrocinatur Mater nostra Maria Virgo. Deus summus ille Rex justissimè ad iram in fœdifragum, & ingratum Christianum tot sceleribus concitatus, acutissimum divinæ justitiæ gladium stringit, eumque horribili æternæ damnationis fulmine prosternere meditatur, & jamjam feralis anxii peccatoris ictus imminet capiti; ah! quò fugiet miser homo tanta anxietate percitus? Undequaque enim à divina justitia circumcingitur, nec ullus patet refugii locus; unde concinnè cum Regio Propheta exclamare potest: *Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quid ergo afflicto in tanta angustia constituto superest spei? Aut unde ei aliquod affulget remedium? Eja peccator, attende, illud tibi suppeditat & indigitat S. Bernardus mellifluis hisce verbis: *Advocatam vis adhibere ad ipsum? ad Mariam recurre, exaudietur & ipsa pro sua reverentia.* Utere ô homo! Leandri stratagemate ad matris vestræ Mariæ benedictissimum sinum, tamquam unicum & securum peccatoris asylum confuge, illique te totum devove, & hæc infallibiliter irati Dei minantem manum coercebit, fulmenque rigorosæ justitiæ procul avertet. Hæc adinstar alterius Agrippinæ ad Arcturem, ad Patrem æternum exclamabit: *Siste O benignissime Deus! parce filio huic ingrato, & fœdifrago:* Fateor morte dignus est hic lascivus, & luxuriosus homo ob tot enormia carnalia scelera, & æternæ gehennæ reus. Hic vindicativus vindictam tuam, ingenuè protestor, promeruit, & ut uno dicam verbo, hic peccator divinam ultionem in caput suum incessanter provocavit, *sed matris sinus filio est asylum.* Compesce ô piissime pater! furorem tuum, manibus excute dirum rigoris fulmen, ecce sub mea delitescit filius meus peccator protectione, ego sum illi, ut civitas refugii & indemnitatis locus; de me enim sponsa tua indies cantat Ecclesia, *refugium peccatorum.* Quid ad hæc ô auditores Deus! Ecce quasi immobilis hæret, divinam vindicativam retrahit manum, & reo peccatori delictorum veniam & remissionem elargitur. Et si divina eum interroget justitia; ô supreme monarcha! quare tu toties reiteratis peccatis justè offensus, tot nefandis sceleribus provocatus *tam facilè adeò sceleratis parcis.* Benignè adinstar alterius Regis Arcturis respondit: ô justitia! quid me ad vindicandum impellis? *Ecce vindictam mater inhibet*, Maria meam manum retinet, meque à vindicta abstrahit. Et hoc meum dictum doctissimus Novarinus, ad hanc fortè, & ad alias de mulierum, ad iratos animos componendos potentia, historias alludens, dilucidè confirmat his verbis: *Potuere hoc in homines mulieres: potuit Virgo in Deum ipsum, qui immortales sceleribus provocatus, justè sæviebat iram & indignationem unius Virginis interventu deposuit.*

Psal. 138. vers. 7. 8. & 9.

Bernard.

De Rhea Numitoris Albanorum Regis filia, quæ & Ops appellatur, veteres fabulantur Poetæ, quod ipsa, viso, Saturnum ex pacto cum fratre Titani majore natu inito, liberos suos masculos, cùm primùm nati essent, devorare, dum uno

partu, Jovem ac Junonem edidisset, Junonem Saturno ostenderit, Jovem verò illius pia mater misertа, inter folia magnæ lauri amplissima, ut plurimi arbitrantur abscondèrit, clamque ad Amaltheam enutriendum ablegaverit. Cumque Saturnus, ob suspectam Rheæ fraudem, puerum ad devorandum exposceret, ei mater petram pannis involutam ostendit, sicque totaliter ab omni furore cessavit. Rheam verò cum Jove filio prudenter ad laurum confugisse asserunt authores, quia ipsa extimescens Saturni furentis iracundiam, ejusque ferox fulmen, non ignara occultæ lauri virtutis, experientiâ tamen utcumque cognitæ, scilicet eam à fulmine consterni non posse, infantulum foliis illius involvit, ut sic ab eo reservaretur immunis. Hanc autem innatam esse huic arbori fulmini resistendi vim, apertè indicat doctissimus Pierius: sedulus rerum naturalium proprietatum indagator dicens: *Accedit & illud ad suspitamentum, quod ejus arboris folia fulmen non icit, eaque de causa Tiberius, cum fulmina, coruscationesque suprà modum expavesceret, cœlo nubilo lauream sibi solitus erat imponere.* Alii id Rheam rectè fecisse autumant, quia laurus est custodiæ & certæ incolumitatis symbolum, quod & idem author fatetur: *Pro custodia verò,* inquit, *laurum poni, & incolumitatis esse symbolum ex Proclo didicimus, qui veteres ait laurum tutelæ consecrasse, & in sacrificiis & in locis ubicumque sata, vel affixa fuerit, incolumitatem præbere, cujus rei non ignarus Ovidius cantat de lauro.*

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Ad instar alterius Rheæ profectò misero peccatori est Maria Virgo æterni Regis electa filia, hunc enim, cum à divini irati Saturni summi Dei justitia deglutiendum quæri conspicit, sempiternam filii sui mortem præveniens, à divino rigore & judicio, ut ita dicam, illum abscondit, & inter suavissima precum suarum folia potenter defendit, sic ut lignum vitæ, verissimaque laurus, præparatum in illius interitum fulmen procul avertat. Unde illud quàm optimè præallegatum ex Piet. Mariæ Virgini lauri convenit hieroglyphicum *custodia & incolumitas*; quia omnes, ad se confugientes defendit, ab æterna morte custodit, & incolumes à severi furoris ictibus misericorditer conservat, ut apertè in Marianas laudes erumpens protestatur mellifluus Doctor Bernardus: *Tu peccatorem toti mundo despectum, materno affectu amplecteris, foves, nec deseris, quousque horrendo judici reconcilies.* Unde rectissimè ei quadrat suprà citatum Poetæ Mantuani distichum.

Ipsa est adversis commune in rebus asylum,
Cuilibet huc dico confuge, tutus eris.

Quod si, quandòque justus Dominus per divinam suam justitiam miserum peccatorem irremissibiliter ad pœnam deposcat, & vindictam instantissimè urgeat, divinis illius oculis Verbum incarnatum, ut Rhea petram, Christum filium suum de quo dicitur, *petra autem erat Christus,* 1. Cor. c. 10 vers. 4.
quondam in præsepio pannis involutum, furibundo Saturno, æterno inquam patri, exponit, atque per eum, ejusque sanguinem & vulnera veniam atque misericordiam implorat. Et ecce tanti amoris spectaculi intuitu severus Dominus mansuefactus, reo delicta condonat, vitamque impertitur, atque ab omni protinus furore cessat. Quia, ut ait S. Bernardus: *Non potest esse repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia.* S. Bernard.

Dixi jam statim, Mariæ lauri illud rectissimè posse appropriare hieroglyphicum *custodia & incolumitas*, ideòque jure meritò posse lauro assimilari; ipsa enim peccatorem contrà furoris divini fulmen tutatur. Nec sanè ob hoc tantùm, plurimæ enim aliæ juxtà hieroglyphicos ipsi perfectissimè quadrant illius proprietates. Quis enim ei denegabit magnificum illud, quod Pierius sub hac epigraphe lauro adscribit elogium: *Authoritas imperatoria, & triumphalis honos.* Ibidem.
In quo alludit ad consuetum triumphantium Romanorum morem, qui ob illam, quam summi Jovi attribuebant authoritatem, omnisque triumphi honorem, coronam suam è lauri foliis contextam ei consecrabant: *Illud quoque,* ait, *satis constat Imperatores triumphi lauream ad Iovem capitolinum ferre solitos, atque in ejus gremio relinquere, hinc cantat Ovidius.*

Tu ducibus lætis aderis, cum læta triumphum
Vox canat, & longas visent capitolia pompas.

Quis inquam, Mariæ illud denegabit? etenim ipsa, profectò in miserorum peccatorum emolumentum, in rigoroso SS. Trinitatis tribunali Imperiali pollet authoritate, accedit namque ad illud juxtà Richardum: *Non rogans, sed imperans, domina non ancilla,* illique etiam triumphalis exhi-

betur

betur honos, quia omnes sancti triumphantes, ut olim Romani Jovi cæleste capitolium ingredientes, ipsi coronam, è variis ab hac lauro (sicut superius dictum est) gratiarum & donorum ramusculis contextam, in æternæ gratitudinis mnemosynon offerunt.

Insuper Pierius illud lauro appropriat hieroglyphicum, *boni scilicet & felicis Dominii.* Unde ejus arefactionem pessimi infortunii esse symbolum asserit idem author. Pridie enim ante Julii Cæsaris cædem in laureto, insignis laurus ab ipsomet plantata, exaruit, imò addit, *novissimo verò Neronis anno, in quo Cæsarum progenies defecit, sylva illa Vejentana* (quæ laurorum erat fertilissima) *radicitus omnis exaruit.* Et pergit, *tali portento fuit Alexandro Severo laurea illa ingens, & antiqua, quæ in palatio cujusdam civitatis, è qua proficiscebatur ad bellum, quod contrà Germanos paraverat, subitò collapso, mortis itidem ejus indicium habita. Contrà non temere boni ominis lauri folia, quæ circà Pompei fasces illigata fuerant, cum longo itinere per arida & inculta loca jam exaruissent, eo tempore, quo in vico quodam Galatiæ cum Lucullo in colloquium descendit, detracta, & à Lucullianis lictoribus recentia & viridia, quæ penes eos plurima erant, liberaliter suffecta: quod summam gloriæ rerum à Lucullo gestarum, ad Pompeium transituram interpretatum & paulò post secutum.*

Lauro nostræ Mariæ neutiquam prædictum quoque denegari potest hieroglyphicum; etenim, si ipsa quoad benignos, quos nobis pia demonstrat, gratiam effundendo, effectus, exareat, infortunatissimi eventus, æternæ scilicet damnationis est præsagium; si verò laurus hæc folia suæ pietatis dilatet, & nos peccatores adinstar Rheæ inter illa contra Saturni irati Dei furorem protegat, infallibile fœlicissimi ominis, scilicet æternæ salutis indicium, ut supra ex S. Germ. probavimus dicente: *Quem vult ipsa, salvus erit, & à quo ipsa faciem suam avertit, vadit in interitum.* Fœlices itaque & plurimum beati, qui hoc lignum vitæ apprehenderint Mariam, & sub illius alis, tamquam in asylo & securo refugii loco requiescunt.

Unde si labyrinthus à Dedalo summâ arte exstructus à Poetis fingebatur certissimæ mortis locus, eò quòd in eum rei ad mortem condemnati immissi, errabundi à Minotauro dilaniebantur: ita Maria Virgo, lignum vitæ verissimus est securitatis & incolumitatis cunctis peccatoribus locus. Et sicut Theseus, arrepto ab Ariadna filo, labyrinthum ingressus, horrendum hoc monstrum Minotaurum devicit, sicque cæteris intrantibus formidabilitatem, à qua abhorrebant, ademit: ita invictus ille Theseus Christus Jesus labyrinthum hujus mundi ingressus, purissimæ humanitatis filo à sacrosancta Virgine accepto, infernalem Minotaurum dæmonem devicit, & ita nos ab hujus terrore liberavit. Hinc si Cretenses, ob tantum ab Ariadna reis præstitum beneficium, clamabant, *nil sine Ariadna:* audeo ego clamare, *nil sine Maria.* Quia illa est unicum omnium peccatorum refugium.

Curiosè inquirunt quàm plurimi sacræ Scripturæ interpretes, quo die creatus & productus sit infernus, formidabilis sanè & horrendus eum intrantibus labyrinthus, in quo miseri peccatores à ferocissimo illo Minotauro diabolo continuò crudeliter devorantur, nec umquam consumuntur. Hunc diem Lunæ fuisse communiter asserunt, quo etiam die Mariam Virginem ab æterno quidem primam creaturam in divina idæa prædestinatam, in tempore productam esse, plurimi opinantur, idque, ut ipsa sicut altera Ariadna filo gratiæ suæ nos ex hoc labyrintho eripiat, nobisque sit æternæ damnationis causa evasionis. Ita sentit doctissimus Galatinus: *Non alienè*, inquit, *aliqui dixerunt die Lunæ, quo conditus infernus fuit, eodem & Mariam conceptam, ut statim colligeremus per eam nos evadere flammas posse furoris Dei, sine ea in illas facilè casuros, simulque nobis & pœnam minaretur Deus, & evadendæ pœnæ auxilium in Virgine porrigeret.* Maria itaque ab æterno verissimum peccatorum destinatum est refugium.

Famosissimus artifex Phidias rogatus, ut Deæ Minervæ (quæ & Pallas nuncupatur) pro exigentia & debito decore artificiosè sculperet simulachrum, omni adhibitâ industriâ, eam, quam potuit efformavit formosissimam. Sed, de quo ego miror, formidabilem pedibus ejus subjecit draconem, ut testis est Pierius: *Sanè Phidias*, inquit, *draconem Palladi apposuisse perhibetur.* Pier. l. 4x. Quorsum autem id Phidias fecerit (cùm Minerva apud gentiles Dea clementiæ sit habita, draco autem hieroglyphicum vindictæ) planè nescio. Aliquam hujus rationem ex Marone subnectit Pierius, cujus verba citat, quæ sunt hæc: *Dracones illos geminos à Tenedo in terram dilapsos, post facinus in Laocoontem, & ejus liberos perpetratum, ad summa Palladis delubra confugisse dicit, sub pedibusque Deæ, clypeique sub orbe locum tutelæ sibi elegisse.* Sed quòd maximè mirandum est, nullus invadentes Laocoon, ejusque liberos bestias, sub Palladis pedibus prote-

ĉtas, ausus fuit attingere. Verùm quomodò dictum Pierii cum Virgiliana simul consisteret Poetica enarratione lib. 2. Æneid. primâ fronte, *Pier. l. 15.* plurimum dubitabam, eò quòd ipse serpentes fuisse apertissimè asserat. At sese claré satis explicat in alio loco dicens: *Nam inter serpentum genera, dracones hi vocitantur, qui corpore sunt immaniore, vastioreque magnitudine, tametsi pro quocumque angue plerumque nomen hoc authores usurpent.*

Ego quidquid sit, nolo de animalium genere, vel specie hîc disputare. An enim dracones, an serpentes Laocon deglutierint & devoraverint, nil meo conducit proposito. Idcircò hoc unum assero, artificiosum hoc Phidiæ simulacrum, in honorem Palladis erectum, propriissimè Mariæ Virgini convenire. Ipsa namque divinum est, non à celeberrimo sculptore Phidia, sed à summo illo artifice Deo productum simulachrum, sub cujus pedibus, imò umbra, dracones, serpentes, id est omnes peccatores delitescentes, adeò ab omni hoste sunt immunes, ut nec ipsemet Deus eos, quantumcumque iratus, justitiæ suæ fulmine possit consternere, ut clarissimè ex supra citatis S. Bernardi verbis constat: *Irascatur dæmon, imper vertetur in nos Deus, Maria ab his omnibus intercessione nos liberat & defendit.* Nec id mirum, quia sicut sub Minervæ pedibus decumbentes (quia eam Deam asyli & protectionis autumabant, & omnium habebatur miserorum refugium) serpentes, nullus præsumebat attingere, ita nec Deus noster morte æterna dignos peccatores vindictæ suæ fulmine quatere potest, qui Mariæ tutelæ sese ipsos per pios actus, continuamque erga eam venerationem, ex intimo corde commendarint, ac ad ejus pedes, gratiam deprædicaturi, se prostraverint; quia & à cælo, dicente Christo, *pasce hædos tuos*, & à terra militante Ecclesia constituta est, & destinata refugium peccatorum.

Nec alicui mirum videri debet Mariæ Virgini tantum à filio suo concessum esse privilegium, ut quoslibet, quorumcumque scelerum reos, ad se confugientes, à divinæ justitiæ rigore liberet ac tueatur; si enim Rex Demetrius tantum detulerit respectum templo Jerosolymitano, ut omnibus reis illud securum concesserit asylum, & immunitatis locum, ut habetur lib. 1. Machab. *Quicumque confugerint in templum, quod est Ierosolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxii regi in omni negotio dimittantur, & universa, quæ sunt eis in regno meo, libera habeant.* *Lib. 1. Mach. c. 10. v. 43.* Quid non dicemus de admirabili & speciali à Deo filio matri attributo privilegio? Quæ non inanimatum, ut Jerosolymitanum, sed vivum & animatum Christi Domini extitit templum. Sanè summus ille Demetrius hujus templi infinitâ suâ sapientiâ maturè contemplans eminentiam ac dignitatem, in ejus reverentiam exclamat: *Quicumque confugerint ad Mariam Matrem meam, quantumcumque rei ac scelerati regique æterno obnoxii absolutè liberentur ac indemnes dimittantur.* Hanc enim securissimum constitui omnium peccatorum asylum, ideòque ex meo instinctu canit Ecclesia de Maria, *refugium peccatorum.*

Hæc dum attente perpendo, videtur mihi, quòd Deus dilectam matrem suam eo modo tractaverit, quo Regius Propheta David Berzelai. De hoc enim sacra nobis refert Historia 2. Reg. *2. Reg. c. 19. v. 33.* quod David Berzelai seni & octuagenario, ob certa quædam & notabilia præstita obsequia, summam obtulerit quietem dicens, *veni mecum, ut quiescas securus mecum in Ierusalem.* Sed audite, quid regi respondeat Berzelai: *Non indigeo hâc vicissitudine:* *Vers. 36. 37. & 38.* ac si diceret, ô potentissime Rex! pro me nullam gero solicitudinem, nullam habeo curam, quod si tamen Regia sua majestas mihi in aliquo velit gratificari, *est servus tuus Chamaan, ipse vadat tecum Domine mi Rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.* *Vers. 32.* Quod audito, David illicò respondit: *Mecum transeat Chamaan, ego faciam ei, quidquid tibi placuerit, & omne quod petieris à me impetrabis.* Sed unde tanta Davidis in Berzelai benevolentia? Unde tam promptus ad illius petitionem consensus? Scriptura hoc ipsum declarat: *Ipse præbuit alimenta Regi, cum moraretur in castris.*

Haud dissimiliter Christus Filius cum sua egit genitrice Maria, etenim eum ad cœleste Jerusalem illam audio instantissimè invitantem Cant. cap. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano: veni coronaberis*; *Cant. c. 4.* attamen tantam quasi negligens oblationem ait: *Fuge dilecte mi*, *Cant. c. 8. v. 14.* ac si diceret charo suo sponso Christo Domino, ad instar alterius Berzelai Davidi, ô æterne ac supreme Monarcha! *non indigeo hâc vicissitudine*, pro me enim neutiquam sum sollicita, sed meis maximè invigilo, est servus meus Chamaan, peccator scilicet, ut plurimum mihi devotus, *ipse vadat tecum Domine mi Rex, & fac ei gratiam & misericordiam.* Quid quæso ad hoc Mariæ quæsitum respondebit Deus? Estne forsitan aliquis, qui de favorabili tam pio & tam piæ matris libello suppli-

supplici assensu dubitet? Ego sane neutiquàm dubito; si enim unus David Berzelai pro servi sui fœlicitate deprecanti responderit: *Mecum ascendat Chamaan, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, &c.* Et hoc, quia ipsi subministraverat alimentum, dum moraretur in castris: nonne Christus benignus & mansuetus David matri suæ pro misero peccatore suffraganti respondebit, mecum transeat Chamaan intret in paradisum peccator, intret ô mater lascivus, carnalibus repletus sceleribus, intret homicida, cujus manus proximi sanguine plenæ sunt, intret injustus Judex, viduarum ac pupillorum sanguisuga, intret vindicativus in inimicos inhians ultioni, & ut uno verbo absolvam, intret ô Maria in cœleste Jerusalem omnium scelerum reus: *Ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne quod petieris à me impetrabis.* Quia tu non ut alter Berzelai David in castris commorantem aluisti, sed me tanto zelo, tantâque curâ infantulum educasti, peperisti, lactâsti, & tanto tempore victui necessaria suppeditasti, ascendat Chaaman mecum, veniat mecum peccator.

O gratum nuntium! ô suave plane responsum! ô fælices nos peccatores, qui tam piam matrem nobis tam efficaciter habemus patrocinantem! eja ergò Christiani, Mariam in patronam nostram, advocatam, atque in securissimum asylum eligamus. Sane hæc sacrosancta Virgo dicere non poterit, ut ille, de quo Isaias ait, principatum super Israel recusante: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere Principem populi:* hoc inquam nobis, eam in nostram protectricem ac gubernatricem assumentibus, respondere nequit Maria: ipsa enim veraciter prudentissimus dici potest medicus, quia animæ nostræ mortalia vulnera divinæ pietatis suæ oleo sanat, illa ardentes vehementissimæ febris flammas, id est, libidinosos carnalis & indomitæ concupiscentiæ calores, tamquam vera aurora & aura irorans, cœlesti gratiæ suæ rore refrigerat, imò extinguit: illa non tantùm huic pestifero, verùm etiam non minùs animæ pernicioso ignorantiæ vulneri, tamquàm illuminatrix totius universi, ac lumen indeficiens medelam confert, & nos à tantis tenebris, quibus ita sensus nostri involvuntur, *ut non sciamus,* inquit S. P. N. Augustinus, *quid agere debeamus,* potenter liberat; quæ duo mala fontem & originem agnoscit idem S. P. *duabus de causis peccamus: aut non videndo, quid agere debeamus, & hoc ignorantiæ malum est, aut non faciendo debere fieri, quod jam videmus, & hoc est infirmitatis.* Et contra hæc hominis vulnera clamat pro suppetiis ad Deum David: *Dominus illuminatio mea, & salus mea ut illuminatio,* inquit Augustinus, *detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.* Ipsa ex his duobus fontibus omnia erumpentia nocumenta, scilicet appetitus irascibilis & præteritarum injuriarum reminiscentiæ, damnosum impedit progressum, ut facilè ex sacris PP. liquet historiis, quas modò brevitatis causâ omitto.

Isai. c. 3. v. 7.

S. August. de lapss. c. 21.

Ps. 26. v. 1

Nec sane Maria dicere potest *in domo mea non est panis*: ipsa enim est ardentissima illa fornax flammis divinæ charitatis vehementer accensa, in qua cœlestis ille panis Christus Jesus coctus est, quo saginantur Spiritus Angelici & quotidie venerabili Sacramento justorum animæ spiritualiter in vitam pascuntur æternam. Panis apud Ægyptios hieroglyphicum pacis & concordiæ habebatur. Unde dum Principes aut Reges Legatos suos, de fœdere componendo tractaturos, mittebant, panem patri offerri mandabant. Ex quo agendi modo vulgare ac tritum apud omnes irrepsit adagium, *panem ne frangito.* Sane Deipara Virgo nobis mirabilem illum panem, stupendo quodam modo confectum, Verbum incarnatum famelicis protulit, quo inter Deum & hominem pax, dudum à SS. PP. in Limbo commorantibus, ac à toto mundo desiderata, composita est; ideoque Christus ab Apostolo pax nostra nuncupatur. Tandem nec Maria dicere potest: *in domo mea non est vestimentum.* De ea enim ait Propheta David: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato* id est, ornata & circumamicta purissimo omnium virtutum & perfectionum auro, astat tribunali divino, atque vestimento meritorum suorum reos peccatores à divinæ justitiæ oculis abscondit, eosque sub umbra alarum suarum protegit. Clamemus itaque unanimes, ô Christiani! Maria sit Princeps nostra, sit tutela, sit rectrix nostra & refugium nostrum, hæc enim nobis à cœlo destinata est, à Christo in cruce demonstrata, clamante: *Ecce Mater tua:* & hoc indies repetit Ecclesia, illud de ea decantans elogium: *Refugium peccatorum.* Ideoque ut ad illam confugias, ô peccator! te excitat Sapiens dicens: *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus, investiga illam & manifestabitur tibi, & continens factus, ne derelinquas eam, in novissimis enim reperies requiem.*

Psalm. 44. v. 10.

Eccl. c. 6. v. 27.

Audi-

Audistis ô Auditores! Mariam Virginem tutissimum esse omnium reorum asylum, illamque nullum peccatorem, quantumcumque fœtidum, & enormem spernere, sed quemcumque ad se confugientem in sinum suæ misericordiæ benignè recipere; quid nos illi in grati animi mnemosynon & tesseram retribuemus? Gratitudinis simulacrum olim apud Ægyptios erat homo annulo ferreo rupi alligatus, significatque *gratam*, inquit in
Lib. 1. Pierium commentator, *accepti beneficii memoriam, in eo præsertim cui delicti pœna condonata est.* Quod ortum suum sumpsisse autumo ex certa quadam, quam Poetæ de Prometheo effinxerunt fabula: *Ajunt enim hi*, inquit idem, *Prometheum ob ignem Diis surreptum, & cum mortalibus communicatum, à Iove Caucasi montis rupi ferreâ catenâ alligatum fuisse.* Et paulò post ab eodem, ejus miserto, solutum. In hujus beneficii memoriam, dicunt illum unum ex illius catenæ annulis cum saxi portione ex rupe desumptum digito alligasse; quo innuere volebat, sese in æternum ob prædictum acceptum beneficium Jovi devinctum, atque alligatum remanere. Audistis Christiani, quanta nobis suprema cælorum Regina Maria contulerit, continuòque conferat cœlestia beneficia, sequamini Ægyptiorum de gratitudine simulacrum: alligate corda vestra fortissimo ardentis charitatis ac amoris erga Mariam annulo, illam incessanter colite; eique omnem exhibete reverentiam, atque honorem, ut sic inseparabiliter huic ligno vitæ genitrici Dei devincti, sub ejus umbra quiescatis, sub ejus tutela incolumes persistatis, & postea summo cum gaudio in æternum possitis attestari, quòd Maria sit lignum vitæ, & qui apprehenderit eam, & qui tenuerit eam, sit verè beatus, quod vobis omnibus, & mihi concedat benignus & pius per Mariam Virginem Dominus.

CONCIO XIX.

THEMA.

Data est mihi potestas in cælo & in terra. Matth. cap. 8.

ARGUMENTUM.

Ostenditur hæc, quæ de se Christus Dominus protulit verba, quàm optimè Mariæ ejus genitrici convenire, datamque esse ipsi filii potestati similem potentiam, sicque matrem, & in hoc filio fuisse æqualem.

CUm tùm Romanorum, tùm aliarum gentium nationum perlego Historias, inter cæteras ab iis cultas Deas, in maxima veneratione habitas fuisse reperio Ageriam & Angeronam; hanc propter eximiam, quam ipsi stultè affingebant potentiam, & sedulam pro avertenda Deorum ira in humani generis favorem, curam. Ageriam verò, quia illam tantâ apud Jovem pollere autumabant authoritate, ut illum, furore accensum, subitò placare posset. Sic testatur doctissimus historiographus
Plut. in Numam. Plutarchus his verbis: *Dicunt Numam ab Ageria ita instructum, Iovemque propitium factum dis-cessisse*; & subjungit: *Hæc ut sunt fabulosa & ridicula: ita ostendunt, quam de iis opinionem consuetudo ejus ætatis hominibus indiderit.* Hinc illa, cum jam in mortales Jovem iratum fulmina vibrare attentantem conspiceret, velociter accurrebat, manumque ejus retinebat; ad quam se convertens Jupiter, exclamabat: *coactus cedo*; imò cum Romani fortissimos sibi hostes imminere videbant, vicinamque patriæ ruinam verebantur, auxilium ab Ageria flagitabant, illique solemnia sacrificia offerebant. Quibus peractis, vocem de cælo dimissam audire imaginabantur: *Ego rem curabo.* Sic insinuare videtur idem author dicens, *cùm*

eum ei aliquando renuntiaretur hostes ingruere, dixit: at ego rem curabo. Hanc Deam Romæ summo in honore fuisse quoque attestatur eruditissimus Quivera, quia ipsa pro suo arbitrio & voluntate, manus Jovis, magni ponderis petras in terram pluere minantis, cohibebat. Idcòque, dum tonitruabat, catervatim omnes ad templum, in ipsius honorem erectum, confluebant, ac ibi in ejus venerationem & cultum candelas quàmplurimas accendebant, quo facto, confestim tonitru cessabat. Et hinc eam etiam Tutilinam vocitatam fuisse autumat hic author, patetque satis ex honorifico illius templi frontispicio insculpto elogio *Dea tutelaris.*

Quivera l. 1. de horologio Principū.

Angeronam verò summopere venerabantur, quia illa omnes afflictorum angustias, & miserias depellebat, ut affirmat Valerius Maximus dicens: *Angerona angorum animorum sollicitudines propitia depellebat.* Sed nonne Mariam Virginem duabus illis deabus comparare mihi licebit? Sanè id optimâ ratione fecero; ipsa enim est verissima Angerona, quæ omnibus afflictis, & in necessitate constitutis misericorditer opitulatur, atque mœstos benevolè consolatur, teste Ecclesiâ de ea cantante, *Consolatrix afflictorum.* Est quoque nobis Maria adinstar alterius Ageriæ, summi in peccatores irati Jovis, filii sui, jamjam ferum severæ justitiæ fulmen vibrare minantis, manum retrahit, illudque ab iis piis suis precibus avertit. Desinat itaque nunc Propheta Isaias lamentari & miserum mundi statum deplorare clamans: *Non est, qui consurgat & teneat te.* Scilicet ne furoris tui flagello peccatores percutias. Ecce enim surrexit Maria Virgo, & continuò in cælis surgit: imò parata quasi immobilis stat juxta illud Davidis: *Astitit Regina à dextris tuis,* ut manum iracundi Dei fortiter cohibeat. Quod & ipsamet confitetur Cant. 3. *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*; sed, ut inquit Richardus: *Continuâ precum instantiâ furorem illius retinebo, nec eum dimittam, nisi benedixerit mihi:* id est, nisi homini misericordiam fuerit impertitus. Hoc & Bonaventura divinis hisce verbis confirmat, considerans illa Ecclesiastici verba: *In plenitudine Sanctorum detentio mea; Non solùm,* ait, *detinetur, ante Mariam non fuit, qui sic detinere Dominum auderet.* Et hoc fatetur ipsemet Christus ad illam dicens: *Tenuisti manum dextram meam & in voluntate tua deduxisti me.*

Val. Max.

Isai. c. 64. v. 7.

Psal. 44. v. 10.

Cant. c. 3. v. 4.

Bonav. in spec. Virg. Eccl. c. 24. Psal. 72. v. 24.

Imò nec Maria dumtaxat deabus Ageriæ & Angeronæ potest assimilari, illæ enim solummodò, in fictum Jovem authoritate gaudebant, verùm Maria Virgo verissima Dea, quasi in summum Jovem Christum Dominum extremâ pollet potestate, imò non tantùm in illum, sed etiam in infernum ac purgatorium illi à filio concessa est potentia. Unde ei quàm optimè conveniunt prææallegata thematis mei verba: *Data est mihi potestas in cœlo & in terra,* quòd in præsenti discursu, imploratâ per hanc potentem Virginem priùs Spiritus sancti assistentiâ, clarè demonstrabo. Ave.

Data est mihi potestas in cœlo & in terra.

MEllifluus Doctor Bernardus pulcherrimam ad præsens propositum instituit quæstionem, scilicet, an mundo gaudendi & exultandi, an verò lugendi & gemendi detur materia, dum Maria Virgo, è terra erepta, cum corpore in cælum assumpta est? Fundamentum id inquirendi S. P. habet, non sane debile; etenim, si tanto cum desiderio regnum cœleste anhelaverit hanc recipere Reginam, ut unanimiter omnes illius incolæ summo cum gaudio & exultatione deorsum in terram descenderint, ad triumphalem illius in cælum ascensum cohonestandum teste Damasceno: *Omnes ei aderant splendenti facie spiritus cœlestes, nullus enim ordo, ex his, qui in cælis sunt, qui non unanimiter adfuerit, nec quisquam inventus est, qui descendere recusaverit.* Imò & Verbum ipsum incarnatum Matris suæ triumpho non exiguæ fuit gloriæ, ut ipsemet per Prophetam Davidem attestatur: *Tenuisti manum dextram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Quam prophetiam tunc adimpletam fuisse, dum Maria in cælum assumpta est, asserit Bernardus his verbis: *Quod verè hodie fuit completum, quando omnes cæli cives viderunt eam ascendentem, & deliciis affluentem, innixam super dilectum suum.* Quod idem adhuc clarius ibidem confirmat dicens: *Etenim non solùm tota cœlestium legionum multitudo in Mariæ occursum prodiit, illamque ad thronum gloriæ magno devotionis affectu deduxit, sed & filius placido vultu, serenâ facie divinis amplexibus eamdem suscepit, & super omnem creaturam exaltavit & denique dulciter osculatus est.* Nec de hoc miratur S. Hieronymus, quia tale tamquam filius matri coram tota cœlesti curia præstandum obsequium, talemque exhibendam reverentiam, plurimum obligabatur. Audite illius verba: *Nec immeritò creditur, quod ipse Salvator per se totus festivus occurrerit, & eam cum gaudio secum in throno collocaverit.*

Bern. ser. 1. de Assumpt.

Damasc. orat. de dormitione Christi.

Psalm. 72. v. 24.

Bernard.

Hier. ser. ad Eustoch.

caverit. Alioquin quomodò crederetur implesse, quod ipse in lege præcepit. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Hoc enim summopere in Mariæ cedebat honorem, ut rursus ipse testatur: *Super hunc innititur Mater illa fœlicissima, & in aureo reclinatorio divinæ majestatis recumbens, inter sponsi, imò filii sui brachia requiescit, ô quanta dignitas! quàm specialis gloria inniti super illum, quem reverenter colunt angelicæ potestates;* si inquam tantopere cælum, dum hunc pretiosum thesaurum Mariam suscepit, gavisum est, quem luctum, quam desolationem atque tristitiam miser mundus non exhibebit, inæstimabili hâc margaritâ privatus? Audite quæstionem hanc proponentis S. Bernardi simul & ad illam divinè respondentis verba: *Meritò*, inquit, *resonat in excelsis gratiarum actio, & vox laudis, sed plangendum nobis, quàm gaudendum magis esse videtur. Quantum enim de ejus præsentia cælum exultat: Numquid consequens est, ut tantùm lugeat noster mundus inferior hic ejus absentiam:* Et respondet: *Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tamquam Iudicis Mater; & Mater misericordiæ; suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia tractabit.*

Bern. ser. 1. de Ass.

Lætemur itaque & exultemus, quia Virgini non tantùm data est potestas, in terra existenti, sed etiam in cælo, sicque ex eo, quòd ad cœlestia ipsa translata sit regna, non exiguum profectò mundo diffluit emolumentum. Quod subtiliter assecutus est S. Bonaventura dicens: *Magna fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exultantis in mundo; sed multò major est erga miseros misericordia ejus regnantis in cælo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magìs nunc videt innumerabilem hominum miseriam.*

S. Bonav. in spec. Virg. c. 8.

S. Bernardus ad dicti sui firmiorem confirmationem. *Advocatam præmisit, &c.* duo acutè annotat sacræ Scripturæ loca. Primus est Psalm 109. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.* Alter Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Ex primo eruit hanc veritatem, scilicet Christum Dominum nostrum à Patre æterno supremum omnium constitutum esse judicem. Quod & ex illis satis clarè patet Evangelistæ verbis: *Pater non judicat, sed omne judicium dedit filio.* Ex altero verò illam, nimirum Mariam à SSS. Trinitate deputatam esse, in sedulam peccatorum advocatam; etenim sedere in justitiæ tribunali judiciariam indicat potestatem, stare verò patrocinandi curam juxta S. P. N. Augustin. dicentem, *sedere Christi ad dextram Patris, judiciariam ejus significat potestatem, adstare autem adjuvantis & auxiliantis est, atque advocati officium gerentis.* Unde in advocatæ nostræ apud iratum Deum laudes & encomia, atque in miserorum peccatorum levamen & solatium diserte ait præfati Psalmi 44. contemplans verba *astitit Regina, &c.* S. Athanasius: *Ea nunc non tantùm, ut Regina, sed etiam advocata assistens dextris filii ubique regnantis, quasi in vestitu deaurato incorruptionis ac immortalitatis circumcincta varietate peccatorum, eorum causam agit;* & quidem tam potenter, ut Richardus audeat dicere: *Tam prudens & discreta est Advocata Maria, quod non possit filius vindicare in eos, pro quibus ipsa allegat.* Ac proinde Diva Virgo, judiciariam sedentis Filii potestatem, & justitiæ Dominum, stans tamquam misericordiæ & pietatis Domina, compescit, & quasi enervat. Est enim ei *data omnis potestas in cælo.*

Psal. 109. v. 1. — *Psal. 44. v. 10.* — *Ioan. c. 5. v. 22.* — *Augustin. libro 1. de symbolo.* — *Athanasius in hunc locum.* — *Richard. lib. 2. de laudib. Virgin.*

Unde, si iratus Deus quondam Prophetam Jeremiam clamaverit: *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Id est, ut communiter explicant sacræ Scripturæ Interpretes, si dilecti mei amici Moyses & Samuel, tamquam advocati, populo Israëlitico, mihi rebelli, atque infamia idola colenti, patrocinentur, *non est anima mea ad populum istum:* neutiquam in eum sævire potero, sed misericorditer illius flagitia & iniquitates tollerabo, imò & condonabo. Haud aliter Christus Dominus omnium mundi scelerum judex, ità accensus exclamat: si steterit Maria, electa illa amica, sponsa mea & genitrix coram me, peccatori patrocinans, *non est anima mea ad illum:* id est, quantumcumque enormem peccatorem justitiæ fulmine non attingam, sed ei misericordiam impertiar, atque clementiam demonstrabo. Ex quo deducitur, Deiparam Virginem falsis supra commemoratis Deabus Egeriâ & Angeronâ longè potentiorem fore; si enim ad illarum petitionem fictus & imbellis Jupiter iratam manum, voraci fulmine armatam, compellebatur retrahere & exclamare: *Coactus cedo;* non dissimiliter verus & potentissimus ille Jupiter Deus, cujus potestati nemo potest resistere, ob Mariæ preces iram suam cogitur compescere, & in hæc verba prorumpere: *Coactus cedo.* Hoc clarissimè & breviter attestatur S. Antoninus: *Non tantum tenetur audire Matrem, sed illi obedire,* quia data est ei in cælo plenaria potestas.

Ieremias c. 15. v. 1. — *Antoninus 4. p. tit. 15. c. 17. §. 4.*

Sed

Sed unde tanta manibus Moysis provenit potentia & virtus, ut ab eo detentus, imò ut ita dicam devictus ille Deus, qui omnipotens, & cujus potentiæ nemo potest contravenire, coactus fuerit exclamare: *Dimitte me ut irascatur furor meus.* Ex quibus Dei verbis maximam Moysis in eum S. Hieronymus elicit authoritatem. *Cui dicitur*, inquit, *dimitte me, consequens est, quod tenendi habeat potestatem.* Hanc Moysis manibus concessam, communiter sacræ Scripturæ autumant interpretes, ex eò, quòd ipse illis tabulas decalogi, à Deo confectas, meruerit attractare. Ex hoc ego sic arguo: si, Moyse Prophetâ manus deprecatorias pro Israelitici populi delictis extendente, furor & ira Dei coërcebatur, quam potentiam Virgini Mariæ non attribuemus Deum iratum compescendi, quæ non Regis inanimatas tabulas, sed Christum Deum vivum, non tantùm manibus suis bajulavit, verùm etiam in sacrosancto utero tot mensibus portavit? Sic mecum argumentari videtur S. Leo super illa Psalmistæ verba: *Tenuisti manum dextram meam & in voluntate tua deduxisti me*, dum dicit: *Propter tuam dignitatem, quasi acceptor personarum factus, extensionem manuum veritus, quæ tamquam vehiculum Deum gestarunt.*

Verum hîc aliquis curiosè posset objicere. Nonne sufficiebat hanc advocatam in cælum præmitti quoad animam tantùm, ut cæteri sancti, peccatorum quoque aliquatenus patroni, præmissi sunt? Quorsum quæso non in terra incorruptum Mariæ cadaver Deus ex speciali privilegio conservavit? Ex hoc rursus nostrum eruitur emolumentum, ac major Mariæ in Deum elucescit potestas.

Quæ veritas ut clariùs percipiatur, non absonum fore, sed quàm maximè congruum judico, pulcherrimam quamdam historiam, in Romanorum annalibus contentam, de irati magnanimi istius Ducis Coriolani iræ sedatione commemorare, cujus apprimè meminit Valerius Maximus & Plutarchus, quorum verba in majorem fidem subjicio. Sic enim ait Valer. *Coriolanus maximi vir animi & altissimi consilii, optimèque de Republica meritus, iniquissimæ damnationis irâ prostratus, ad Volscos, infestos tunc Romanis confugit. Magno utique pretio virtus æstimatur. Itaque quo latebras quæsitum venerat, ibi summum adeptus est imperium; evenitque, ut quem pro se salutarem Imperatorem cives habere noluerunt, penè pestiferum adversus se Ducem experirentur. Frequenter enim, fusis exercitibus nostris, victoriarum suarum gradibus aditum ad mœnia urbis Volsco militi struxit. Quapropter fastidiosus ille in æstimandis bonis suis populus, qui reo non pepercerat, exuli coactus est supplicare. Missi ad eum deprecandum Legati, nihil profecerunt. Missi deinde Sacerdotes cum infulis, æque sine effectu redierunt. Stupebat Senatus, tremebat populus, viri pariter & mulieres, exitium imminens lamentabantur. Tunc Veturia Coriolani mater* (alii illam Volumniam appellant, sed abusivè, quia illo nomine ipsius uxor nuncupabatur) *Castra Volscorum petiit, quam ubi filius aspexit: Expugnasti*, inquit, *& vicisti iram meam patria, precibus hujus admotis, cujus utero te, quamvis meritò mihi invisam dono, continuòque Romanum agrum hostilibus armis liberavit. Ergò pectus dolore acceptæ injuriæ, spe potiundæ victoriæ, verecundia detrectandi ministerii, metu mortis refertum, totum pietas superavit; uniusque parentis aspectu bellum atrox salutari pace mutavit.* Hactenus Valerius Maximus.

Valerius Max. l. 5. c 4.

Plutarchus verò hanc historiam narrat (dum matrem Coriolanum filium, pro Romanorum salute, immotum tamen in sua obstinatione persistentem, deprecantem inducit) his verbis: *Quid taces fili? irane & cupiditati ulciscendi omnia indulgere pulchrum? Et demum Martius* (quod & ei nomen erat) *exclamavit ô Mater, ut mecum egisti, obtinuisti Patriæ salutem & victoriam, à te enim primùm devictus discedo.* Politanus autem Scriptor non infimus & hoc addit: Veturiam ut filii sui Coreolani acerbitatem & radicatum in Romanos odium, aut deliniret, aut totaliter extingueret, vestimenta sua rupisse, uberaque illi ostentantem, ad eum exclamasse: *Coriolane si te materno hoc utero novem mensibus non portassem, si te hisce uberibus non lactassem, si te non peperissem, modò te hostem Patria non haberet.* Ad quæ quoque matris verba (in quo puncto omnes præfati conveniunt authores) ira penitus cessavit, maternæque petitioni benignè annuit filius. Ob illam Matris Veturiæ in filium Coriolanum potentiam, per quam imminentem, quam à Volscis timuerant, Romani ruinam evaserant, non tantùm ipsi in gratitudinis symbolum in civitatem Romanam triumphalis ingressus concessus est: verùm etiam in ejus honorem pro æterna memoria artificiosa erecta est statua (quod Romani non nisi ob maxima in Rempublicam merita facere solebant) cum hac insculpta epigraphê *Veturia salus Patriæ.* Verum est, mundani & carnales gentilium filiorum hi fuêre ergà matrem

 affectus,

affectus, sed tamen quàm plurimùm laudabiles. Quod si mihi liceat hanc prophanam historiam ad spiritualia pro meo instituto divertere, non tantùm Mariam Virginem nobis peccatoribus à divina justitia undequaque arctissimè circumcinctis, verissimam esse Veturiam, audacter asseram: verùm etiam eam in potentia longo intervallo antecellere. Ipsa enim Coriolanum filium hominem contrà Romanos offensum, à communi urbis clade avulsit, ejusque conceptam in patriam iram compescuit; sed hæc nostra Veturia Maria summum illum Deum, cujus nullus resistere valet potestati, justissimè, ob tot enormia scelera, in mundum, totumque genus humanum furore excandescentem, potenter delinivit. Illa insuper generosa Matrona Romana unicâ dumtaxat vice Patriæ suæ Romæ præstitit illud beneficium: Hæc verò indies advocatæ nostræ apud filium fungitur munere, nobisque iratum continuò reconciliat Deum. Ipsa enim à peccatore pro patrocinio invocata, adinstar alterius Veturiæ castra Volscorum accedentis, rigorissimo SS. Trinitatis sese sistit tribunali, & sic ad illum clamat: *Qui taces fili?* Ego pro reo mundo, & peccatore veniam expostulo. Quid vultum abnuis? quid obmutescis? sonet vox tua in auribus meis fiat, vox enim illa dulcis. Quid moraris fili? *Irane & cupiditati ulciscendi indulgere pulchrum?* Et denudatis uberibus, ostensoque pectore, suam instanter prosequitur interpellationem: *O Christe! si ego te non peperissem, si te materno in hoc utero novem mensibus non portassem, si virgineis hisce uberibus, quæ conspicaris, non lactassem, te mundus judicem non haberet omne enim judicium, O fili, tibi dedit pater, quia filius hominis es.* Ah quid ad hoc pius Mariæ respondebit filius? non aliter profectò quàm Coriolanus matri Veturiæ: *Expugnasti & vicisti iram meam O perverse munde, O inique peccator.* Vicisti furorem ô sacrilege, adulter, blaspheme, & cujuscumque sceleris conscie meam expugnasti misericordiam, *precibus matris meæ admotus, cujus utero te, quamvis meritò mihi invisum dono.* Et delicti veniam misericorditer impertior. O mirabilis Veturiæ nostræ Mariæ in filium Deum potentia! verè ei data est omnis in cœlo potestas. Hanc maturè perpendens S. Bernardus ad peccatorem clamitat: *Securum O homo! accessum habes ad Deum: ubi Mater ante filium, & filius stat ante Patrem. Mater ostendit filio* (hic alludere videtur Bernardus ad commemoratam historiam) *pectus & ubera, & filius ostendit Patri latus & vulnera, nulla ergo ibi poterit esse repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia.*

Bernard. serm. 3. de Assumpt.

Et ex hoc nobis apparet gloriosæ Mariæ Virginis in corpore assumptionis utilitas, sanè non exigua, si namque ejus in terra corpus remansisset, in cœlis patri æternò tot charitatis insignia, pro misero peccatore interpellantia, demonstrata non fuissent, quæ S. Bern. enarrat.

Hæc divina melliflui doctoris Bernardi sententia alterius pulcherrimæ Romanæ me memorem reddit historiæ. Eloquentissimus Orator Marcus Antonius ab afflicta quadam matre obnixè rogatus, ut reo filio, & ob grave delictum ad mortem condemnato, dignaretur patrocinari, ac in ejus favorem coram Magistratu orationem disserere, illud onus in se recepit. Die itaque statuto rostrum ascendit, tantaque eloquentia, & linguæ promptitudine rei causam peregit, ut tota Roma obstupesceret. Quo tamen non obstante, cernens nec judicum animos ad pietatem & misericordiam commoveri, è rostro exiliit, discerptâque rei militis veste (hic enim dudum sub Reipublicæ Romanæ vexillo strenuè militaverat) omnes corporis illius cicatrices iis ostentans, exclamavit: si mea nil huic reo profit oratio, si inania in aere vento dissipentur verba, *moveant vos illæ cicatrices, quas ipse pro Romani Imperii salute ab hoste recepit.* Quo inexpectato spectaculo attoniti Judices, condemnatum, liberum & indemnem dimiserunt. Haud aliter in divino justitiæ tribunali modò ait Christus summus ille Orator, æterna ipsamet Patris sapientia; hic enim à matre instanter requisitus, ut filii sui, devoti inquam Christiani, rei tamen & peccatoris causam acceptet, atque apud patrem pro eo interpellet, cernens, illum ad justitiæ partem totaliter inclinatum, latus ei ostendit & vulnera, ut ait Bernardus, & ad patrem clamitat: si te non moveant supplicantium pro reo preces, *flectant te ad misericordiam hæc sanguinolenta vulnera, quæ in cruento illo prælio in monte Calvariæ pro mundi salute recepi.* Et ecce ad hoc spectaculum paterna succumbit ira, accedit pietas, & reus peccator æternas pœnas evadit: *Quia nulla potest esse repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia.* Sicut ergò Maria apud filium mundo patrocinatur adinstar Veturiæ, Christus à matre quasi compulsus, nostram causam agit, ut alter Marcus Antonius.

Sed modò te admonitum volo, ô homo! ut pro tuo officio mentis tuæ oculos in laudabilem Romanorum erga Veturiam gratitudinem convertas;

vertas;

vertas; hi enim in perpetuam, tanti accepti ab illa beneficii, memoriam, in foro statuam ad illius honorem erigi curarunt cum insculpta hac epigraphe. *Veturia Salus Patriæ.* Tu imitare gratos Romanos, exstrue in corde tuo immobilem Marianæ devotionis, cultus, ac venerationis statuam, insculpite illi epigraphe: *Maria salus hominis:* Quia verè Maria salus hominis est: ipsa enim continuò & incessanter iratum Coriolanum filium suum Christum judicem, nobis mitem & benignum reddit; quia data est ei summa potestas in cœlo.

Pallas Jovis filia olim apud Gentiles summa in veneratione erat, quia omnium pacificatrix & moderatrix habebatur. Quod ipsi ex vulgari, quam antiqui Poëtæ de Achille Pelæi, Achillis & Thetidis filio effinxerunt, fabula deducunt. Is, Captâ jam Lernesso urbe, sibi Briseidam pulcherrimam puellam in uxorem accepit, cujus amore paulò post, tempore belli Trojani: ob eximiam ejus venustatem vehementer accensus Agamemnon, illam invito Achille, violenter rapuit; propter quod enorme scelus, tantum odium Achilles in Agamemnonem concepit, ut nec precibus, nec minis ad expugnandam Trojam adduci potuerit. Quo viso, Agamemnon, cum ex Oraculo didicisset: Trojam non nisi per Achillem fore intercipiendam, à cœlo remedium expostulavit, *Atque ita Pallas de cœlo descendit*, inquit Pierius, *incitationem Achillis iram compressura.* Hoc ut dixi fabulosum est commentum, verùm illud Mariæ Virgini, quam sæpe sæpiùs Palladi comparavimus, optimè quadrat, ipsa enim è cœlo, à summo Jove in terram delegata, descendit: *Ego ex ore Altissimi prodivi,* non, ut Achillis, sed veri Dei, in totum humanum genus, ob Adæ peccatum irati, furorem compesceret, & pacem inter Deum & hominem componeret, quæ per nullum, nisi per Mariam stabiliri poterat. Sed nec hic sistit Mariæ potestas, sed ipsa quoque hanc toties per hominum peccata ruptam, atque violatam, suâ intercessione in cælis continuò redintegrat. Unde de hoc ipsamet per Sapientem gloriatur: *In habitatione sancta coram ipso,* scilicet filio meo, *ministravi,* peccatoribus nempè meum auxilium implorantibus, succum divinæ pietatis & misericordiæ (justâ illius irâ compressâ) abundanter effundens. Unde Ambr. ait Mariam alloquens: *Te enim brachium & manum extendente pro nobis, divinæ ultionis gladius elevatus contrahitur.*

Pierius lib. 32.

Eccles. 24. vers. 5.

Eccl. cap. 24. v. 14.

S. Ambros.

Generosus ille Dux militum Thebanus Alcibiades, ut Atherus historicus commemorat, in prœliis clypeum aureum & eburneum portabat, in cujus medio amor depictus erat, in manu fulmen tenens in duas partes bipartitum, quod ipse suâ potentia ruperat & infregerat, hoc Alcibiadis scutum veteres hieroglyphici verum amoris symbolū esse autumabant, quibus adstipulantur quamplurimi Poëtæ. Hinc enim, cum Alciatus Jovem in judiciali suo throno sedentem, fulminantem exprimit, vibrato tamen fulmini amor obvius occurrens, impetum cadentis retardat, & flammas extinguit, quam amoris victoriam videtur insinuasse Virgilius, cum cecinit:

Alciat. emblem. 17.

Virgil. lib. 1. Æneid.

Nate Patris summi, qui tela Typhoia temnis.

Sanè instar Ducis Alcibiadis generosa nostra Amazon in bellum contrà quoscumque hominum sibi devotorum hostes, contra ipsum etiam Deum iratus progrediens, clypeum portat aureum, scilicet charitatis ergà adoptivos filios suos, fulgore coruscantem, & eburneum vi innata flammas ignivomi divinæ justitiæ fulminis extinguentem, & tamquam in abstracto sincerus amor, hæc Virgo, iracundi Dei minis obvia facta, omnem ejus furorem dissipat ac refrenat: unde illi summo jure applicari potest ille Virgilii versus,

Nata Patris summi, quæ tela Typhoia temnis.

Hinc S. Hieronym. loco, quod legat, *astitit Regina à dexteris tuis in vestitu deaurato,* legit, *astitit Regina à dexteris tuis, in scutulatis;* cujus generis vestimentorum meminit Ezechiel, dicens: *Propter multitudinem operum tuorum, gemmam, & purpuram, & scutulata.* Nec non & Plinius lib. 8. qui hanc vestem scutis plenam intertextam esse dicit, quibus majorum suorum præclara facta imprimebantur, sic enim ait: *quam scilicet virtutem, sola ars scutulato textu commendat,* Varro autem sic hoc interpretatur: *Scutulata vestis dicta est, quasi sit veluti scutulis quibusdam distincta, in illis autem scutulis visebantur depicta propria heroica gesta, quæ gerentes personam plurimum commendabant.* Secundùm hanc, quam amplector interpretationem, sub præfatis Davidis Verbis: *Astitit Regina à dexteris tuis in scutulatis,* summam Mariæ Virginis comperio delitescere celsitudinem, ac potentiam; ipsa enim adstat à dexteris filii sui, amicta pretiosa veste, in qua ad vivum depicta sunt mirabilia illius in Ecclesia, tùm militante, cùm triumphante, gesta, & præclaræ atque raræ

Ezech. c. 27. v. 16.

omnium virtutum varietates, quæ quàm maximè Dei genitricem commendant, & depredicant. Insuper & insuperabilis illius sub illis verbis, *in sculatis* comprehenditur potentia; ipsa namque, undequaque scutis munita, omnium inimicorum tela retundit, & nos imbecilles viriliter protegit. Ad quod alludere videtur sponsus dicens: *Mille clypei pendent ex ea.* O fælices profectò, qui Divæ Mariæ potentiæ scuto tutantur: ipsi enim ab omnibus cunctorum hostium jaculis indubitanter conservantur illæsi.

Olim generosi ac eximii belli Duces, viri Martiales, qui sub bellonæ vexillo juveniles annos insumpserunt, celebrem, militarique ingenio dignam, hanc, (ut referunt Historiographi excitarunt controversiam) quæ arma, inter omnia armorum genera, militem contrà omnium hostium tela & insultus securius tuerentur, ac plus tutelæ & præsidii conferrent? Verùm sicuti varii erant militantium genii, ita & in varias abiêre sententias; hi namque loricam, isti gladium, nonnulli galeam, alii lanceam, plerique acinacem, præ cæteris protectionis armis, extollebant; tandem quasi unanimes eò condescenderunt, ut clypeum cunctis prævalêre, sit determinatum. Hanc opinionem, tùm Romanorum, tùm Græcorum, qui bello clari extitêre, testimoniis stabiliebant, ad scutum enim hi omne initii robur, & exitum referebant: quia ea antiquitus viguit consuetudo, ut qui in prælio strenuè hosti resistendo occubuerant, eodem, quo usi fuerant, clypeo, ad funerale bustum, tamquam feretro impositi portarentur. De Lacena quadam muliere refertur, eam filium clypeo armatum ad bellum proficiscentem hisce adhortatam fuisse verbis, clypeum indigitantem: *Cum hoc, aut in hoc.* Ac si diceret, ô fili! militiæ te accingis, dimica strenuè, pugna viriliter, ut te patria cernat matrem habere præclarorum virorum nutricem, ecce arma, quæ præsidium dabunt & exitium: hic clypeus sit tibi victori in thronum triumphalem *cum hoc*, aut hic sit tibi cadenti in feretrum, *aut in hoc.* Hujus meminit quoque Basilius: *Lacenæ mulieres*, inquit, *liberos hortantur, ut scutum è prælio salvum reportarent, aut in eo reportarentur, cum hoc, aut in hoc redi.* Magno namque militi apud Romanos & antiquos vertebatur opprobrio, si in prælio clypeum amisisset; unde graviter læsi jamjam quasi spiritum exhalantes, in solatium adstantes interrogabant, an salvus foret clypeus? Ex quibus omnibus clarè deducitur, clypeum cunctis armis à veteribus fuisse prælatum.

Basil. orat. 40.

Certum est, idque Propheta Job apertè testatur, quod vita hominis sit continua militia super terram, quodque ei contrà quàm plurimos tàm internos, quàm externos fortiter dimicandum sit hostes; ac proinde validis illi opus sit armis. Quod, si ego modo interrogarer, quænam arma melius hominem contrà omnes horum inimicorum insultus tutare valeant, cogor respondere esse armaturam Dei. Apostolus namque hominem, in periculosa hujus vitæ militia prudentiæ & cautitiæ admonens, ait: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs Principes & Potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum.* Sed quæ quæso est armatura Dei? Audeo sanè dicere, securissimam armaturam, quâ infernales spiritus potenter debellabimus, fore Mariam Virginem; illa enim mundo à Deo constituta est armatura, ut ea in hac militia viriliter dimicemus: ipsa est clypeus fortium quo cuncta hostium jacula facilè contunduntur ac refringuntur, ideòque de ea ait sponsus: *Mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium.* Hâc, si quis militet, indubiè non tantùm contrà invisibiles: verùm & visibiles hostes insignem reportabit victoriam. Nec vereor dicere, ô homo! hac pugna, & in hoc inflexibili & forti clypeo vinces.

Ad Ephes. c. 6. v. 11. & 12.

Cant. c. 4. vers. 4.

De Arcture piissimo Rege Britanniæ (ut ex illius regni annalibus constat) narratur, quod ipse sese ab infestissimis undique hostibus Anglis circumdatum, & penè jam regni Imperio exutum cernens, sæpè sæpiùs ad tanto vulneri medelam ferendam de congruo modo consultarit: verùm, nullo sufficiente ad iis resistendum reperto, tandem sese ad Divam Virginem convertit, atque in illa omnem suam spem firmiter collocavit. Unde in inferiori scuti parte pulcherrimam ejus imaginem depingi curavit, & quoties cum hoste congressurus erat, brachium elevans, in quo scutum pendebat, oculorum aciem in Mariæ imaginem conjiciens, ab illa opem implorabat; qua continuò impetratâ, acriter hostiles exercitus profligebat. Contigit enim in quodam certo cruento certamine, quod Arctures viribus impar, dextrum exercitus sui cornu totaliter deletum esse, sinistrumque fugam meditari conspiciens, ad milites, inverso clypeo, ostensaque Mariæ Virginis imagine, exclamarit: ne formideris ingruentem humanis viribus hostem, *ecce quâ nos militamus.* Ad hujus intuitum, ac Regis sui verba, resumpto animo

mo, ut furibundi leones in hostiles phalanges irruerunt, & totum exercitum prostraverunt. Ob quam memorabilem victoriam post clypeo illi insculpta sunt hæc verba: *Maria salus patriæ*, estque Deo consecratus, ac in templo in Virginis honorem exstructo, appensus: & hoc Arcturis successores dudum in cunctis prælиis usi, & insignibus sæpe sæpiùs potiti sunt victoriis.

O stupenda Deiparæ Mariæ potestas! ô inexplicabilis devotorum suorum hujus Virginis protectio! ô Belgæ præ oculis imminentem patriæ ruinam intuemini: undique misera Flandria à potentibus hostibus, Francis & Anglis opprimitur, hic Hispanorum profligitur exercitus, illic fortissima expugnatur civitas, nec spes ulla extremam evadendi cladem in humanis viribus elucet. Quid in tanta necessitate remedii? Quid in præsenti facto opus? Ah Arcturis Regis consilium arripite, & ad Mariam Virginem confugite: ipsa enim est sola spes nostra, hoc scuto militate, id est, devotionem ergà hanc Virginem in cordibus vestris plantate, sub hac patrona & invicta Amazone, tamquam Duce viriliter contrà hostes dimicate, & indubiè victoriam impetrabitis: etenim *data est ei potestas in cælo & in terra.*

Ad Ephes. c.6. v. 11. & 12.

Cant. c. 4. vers. 4.

De Myrtillo generosissimo Græcorum Duce narrant Historiographi, quod ipsi adeò in cunctis præliis fortuna arriserit, ut numquam, nisi adepta victoria, & ad internecionem deleto hostili exercitu, è campo egressus fuerit. Myrtillus omnem hanc fælicitatem Minervæ, quam incessanter colebat Deæ adscribebat; ad quod innuendum clypeo utebatur, in quo depictum erat Medusæ caput, serpentibus circumcinctum, qui Palladi à gentilibus consecratus, in summo honore habebatur, quod veteres Scriptores colligunt ex Domitiani Imperatoris numismate, cui Medusæ effigiem imprimi jussit, ut testatur Pierius: *Clypeus hujusmodi serpentum horrore præmunitus, in primis Palladi dedicatus erat.* Ideòque tantam Domitianus in Minervam habebat fiduciam, ut non solùm cunctos hostes ejus ope devinceret, sed etiam quodcumque beneficium obtinere speraret. Palladi autem Medusæ caput à veteribus Poëtis ob duas præcipuè rationes attributum esse asserit Pierius: prima est, quia in omni negotio præ stupore quemlibet ad suum arbitrium alliciebat: *Omnino stuporem*, inquit, *quem de se omnibus in negotiis, quæcumque tractaret, concitatum, volebat, significasse tradunt.* Secunda verò est, quia formidabili Medusæ capitis intuitu hostibus terror sanè non exiguus incutiebatur. *Apud Poetas*, inquit, *Pallas Medusæ caput ad incitandum, vel ad terrorem incutiendum prætendit, ut tradit Ovidius loquente Perseo.*

Pier. l. 16.

Nunc quoque ut attonitos formidine terreat hostes
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

Hinc cum Myrtillus post tot adeptas victorias campestres, classis navalis Dux destinaretur (quod quàm plurimi Historici ex invidorum consilio factum esse autumant) prædictum clypeum in publicum protulit, eique accepto maritimo imperio, hoc epigraphicum insculpi jussit elogium, *auxilium indeficiens.* Ipse hoc armatus, jam navalem expeditionem aggressus, classe horrendâ tempestate dissipatâ, propriâque, quam ipse gubernabat, nave submersâ, cum in summo mortis discrimine versaretur, ultimam in clypeo suo spem collocavit, cui insidens, procellosis concitati maris undis sese commisit, & adeò feliciter, ut incolumis ad optatum portum non sine ingenti omnium stupore appulerit: ob quod magnificum beneficium clypeo isti aliud imprimi mandavit elogium juxta Leonidem.

Effugi geminum clypeo discrimen in uno
Cumpremererque solo, cum premererque salo.

Mariam quàm optimè Myrtilli clypeo assimilari posse, non est quod dubitem: ipsa enim ad se confugientibus *auxilium est indeficiens*, & hominibus in necessitate atque angustia constitutis, opem infallibiliter confert: ipsa maxima ad militandum pollet virtute; continuò namque iratum Deum Filium suum ad misericordiam commovet & flectit, iramque illius potenter confringit: per ipsam indies contrà hostes nostros internos, id est contrà pravas nostras concupiscentias, & inordinatos animi appetitus, tùm externos, scilicet infernales spiritus, reportamus victoriam. Unde sicut Myrtillus omnem prosperum in præliis successum Palladi in cultus & reverentiæ Mnemosynon attribuebat: sic profectò huic Palladi nostræ Mariæ Virgini omnes, in periculosa hujus vitæ militia, adeptas victorias adscribere debemus; nil enim possumus (ut suprà vidimus) sine Maria. Deinde hæc divina Pallas infernalem illum serpentem, tenebrarum inquam Principem, sub pedibus suis contritum prætendit, totique se ostendit formidabilem inferno, atque ita sum-

summum dæmonibus incutit terrorem. Unde si fabulosa antiquitas, ut refert Pierius, Junonem mundi Dominam fore effingebat, cum Juno ipsa dominii præses apud gentes haberetur, incederetque ut ipsa de se apud Virg. dicit:

Divum Regina, Iovisque
Et soror, & conjux.

Idque ideò, quia illius simulachrum visebatur manu dextra serpentis caput comprimens, *judicandi*, inquit, *dominii causâ in Iunonis quoque dextra serpentis caput statuebatur*; & quia quandoque ejus effigies efformabatur leva hastæ adnixa teste eodem, dextra anguem in spiras convolutum porrigens, ubi anguis omninò imperium, hasta defensionem *indicat*; & idcircò quoque conservatricis totius universi honorabatur elogio, ut in numo Juliæ Mammiæ Augustæ apertè constat, in quo hæc legebatur inscriptio: *Iuno conservatrix*. Id, quod ob præfatas prærogativas gentiles Junoni adscribebant, verissimè & propriissimè ego Mariæ Virgini attribuam, dicamque audacter, divinæ illi Junoni, non falsorum Deorum, sed summi illius Jovis viventis Dei Matri, sorori & sponsæ dominium, Imperium, ac totius universi defensionem convenire, ideòque & ei rectè appropriari posse Junonis elogium; *Maria conservatrix*. Ipsa namque, non tantùm anguem illum infernalem, infestissimam humano generi viperam, manibus comprimit, verùm etiam illius caput pedibus suis conculcat, & conterit, nosque contrà iram Dei, & hostiles dæmonum insultus mirabiliter tuetur, ut attestatur Bernardus: *Fremat terra, irascatur dæmon, imperversetur in nos Deus, Maria ab his omnibus intercessione nos liberat & defendit.* Unde non minori cum fundamento, ob tot præclaras adeptas & reportatas in Deum victorias, tum in Diabolum mediante mystico hoc clypeo Mariâ, quilibet Christianus in hac vita sub illius tutela acriter dimicans, ut olim Myrtillus in Marianas laudes exclamare potest,

Pier. l. 15.

Bernard.

Effugi varium clypeo discrimen in uno
Cum premorerque solo, cum premerque salo.

Id est, tam furentis Dei minas, & iracundiam, quàm insidiantis dæmonis astutias, atque callidos persuasionum & tentationum impulsus securus sub hoc potenti clypeo, Deipara Maria protectus, evasi, nec mirum, *data est ei potestas in cœlo & in terra.*

Hic prætereunda non est subtilis quædam, præsenti instituto non incongrua, Doctissimi Theodoreti speculatio. Inquirit ipse, cur Spiritus Sanctus, Christum sponsæ suæ Mariæ labia, vittæ coccineæ comparare tam præcisè annotet, & cur non corallo, aut alteri materiæ ab ipso assimilentur? *Sicut vitta coccinea labia tua.* Pro qua difficultate enodanda advertit hic Doctor, id quod contigit in antiquo testamento, tempore Josue Israëlitici populi Ducis. Cap. enim 2. narratur à communi Jerichontinæ civitatis clade & interitu fuisse præservatam meritricem Raab, idque per ostentationem funiculi coccinei, è fenestra extensi, *Dimittens*, ait Scriptura, *eos, ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.* Sicut itaque Raab & universis, qui in domo ejus erant, funiculus ille coccineus signum erat securitatis & immunitatis, ita divina Mariæ Virginis labia (quæ ideo coccinea appellantur) id est sanctissimæ ejus preces miseris peccatoribus infallibile à furore Dei, à diaboli insidiis, ac ab æterna damnatione securitatis sunt indicium, ut apposite confitetur jam citatus author dicens; *Signum hoc sponsus in ore sponsæ, tamquam in fenestra collocatum intuetur, & sicut funiculus coccineus, inquit, labia tua, & eloquium tuum decorum, quo ab æterno certò liberamur supplicio.* O mira Mariæ potestas! ô ineffabilis sanctissimorum hujus Virginis labiorum efficacia! de hac ipsamet sese jactitat: *Leva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* Id est justitia ejus, per levam intelligitur, sub capite meo blandè quiescit, & dextrâ, id est misericordia & pietas amplexatur me, mihi in illam absolutum dominium & plenariam concedendo jurisdictionem.

Cant. c. 4. vers. 3.

Josue c. 2. vers. 21.

Theodoretus in hūc locum.

Cant. c. 2. vers. 2.

De Mariæ in Deum ipsum potentia hic per transennam tantùm (& alibi fusius tractavimus) modò restat, ut parumper de illius in infernalem potestatem agam virtute ac dominio. Veteres fingunt Poëtæ, Deam Palladem ex Jovis cerebro natam, galeâ & lorica armatam, & fortissimam hastam manu tenentem, atque mundo formidabilem foras erupisse. Hujus fortitudinem tantam esse firmiter credebant, ut quemlibet ingentem veneficum draconem facilè necaret. Ah quàm apposité fabulosam hanc enarrationem veluti verissimam historiam Mariæ Virgini appropriare possumus; ipsa enim in divina idæa ab

æterno

æterno præconcepta, in tempore producta, adeò armata prodiit, & inferno summopere formidabilis, ut dicat de ea Scriptura, *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, scilicet ad propulsandos, imò & consternendos humani generis hostes.

Unde, si tantopere, ut Plutarchus refert, ab antiquitate olim illata fuerit, ac æstimata ars atque potentia Archimedis, cujus industriâ Syracusani impetum Marcelli evaserunt; quam admiratus ipse Marcellus, in hæc prorupit verba: *Archimedes centimanos superat, tot nobis simul immittens tela*, (incognito enim artificio Romanorum naves, procul etiam distantes incendebat.) Sanè audeo longè magis Mariam Virginem extollere, quæ centimanos procul antecellit; *mille namque clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, ad quoscumque hostes debellandos.

Inter alios Mariæ Virginis clypeos & arcana, quæ ipsi, tamquam tutrici attribuuntur, omnium prorsus armaturam & clypeum æstimo fortiorem Christi Domini carnem, quæ est Mariæ, quâ ipsa callidè Divinitatem obtexit, ac humani generis infensissimo hosti, diabolo scilicet, objecit: quâ deliciosâ escâ allectus, eam in acerbissima Christi Domini passione deglutire præsumens, Divinitatis hamo captus est; juxta illud Joannis: *Nunc princeps hujus mundi ejicitur foràs*; & ille Leviathan, qui à nullo puro homine extrahi poterat, potentissimo Christi brachio (de quo vaticinatus fuerat David, *Fecit potentiam in brachio suo*) expiscatus est. Audite quàm pulchrè hoc asserat S. Thomas noster: *Cœpit enim ipsum Dominus hamo, dum ei escam humanitatis manifestam objecit, sub qua hamus Divinitatis latebat, quo suspensus est, degluticns escam.* Illi apposite concinit S. Gregorius: *In hamo Incarnationis Dominicæ cetus iste ad omnium hominum mortem inhians, vitam penè omnium vorans, captus est. In Christo enim erat humanitas, tamquam esca, quæ ad se devoratorem duceret, & erat ibi Divinitas tempore passionis latens, cujus aculeus mordentem cetum tenuit, & perforavit: dum enim ipse Christo injustè mortem intulit, nos, quos quasi justè tenebat, amisit.*

Ioan. 12. v. 31.

S. Thom. à Villa Nova Conc. 3. de Nat. Virg.

S. Greg. lib. 33. moral. cap. 10.

Unde, si Vulcano summi Jovis & Junonis filio, qui patri suo fulmina confecit, atque Diis in bello adversus rebelles gigantes suppeditasset, in illos à plerisque Poëtis adscribitur victoria, quid ni & ego Mariæ Virgini insignem illam, quam Christus contra mortem, infernum, cunctosque malignos spiritus in monte Calvariæ reportavit victoriam, attribuam; etenim illa filio arma, Vulcani armis sane longe potentiora, scilicet purissimam suam & intemeratam carnem, quâ infestissimum hunc hostem summus athleta Christus prostravit, lubenter subministravit, ergo & hic Maria potenter diaboli caput contrivit.

De Minerva quoque fabulantur Poëtæ, (ut diximus supra,) illam ex Jovis cerebro galea & hasta armatam, procreatam esse, ac mundo penitus formidabilem advenisse, ideoque quamplurimæ gentes, ac ethnicæ Respublicæ ejus tutelæ sese commiserunt, firmiter credentes, armatam hanc Deam tutelarem, à suis mœnibus & patriæ confinibus omnes hostes suos procul propulsare, & quoscumque temerarie aggredientes, validâ suâ hastâ consternere. Maria Virgo ex Altissimi ore armata prodiit, sacro sancta sua scilicet carne in mundum & in infernum maximè horribilis, quâ, tamquam fortissimâ lanceâ, mediante Christo, humani generis hostem dejecit. Quod si ob fictam & falsè creditam potentiam, ab Ethnicis habebatur Minerva contra hostes Dea tutelaris, dico ego audacter, si animam nostram tutelæ Mariæ, atque protectioni consecremus, omnium infernalium spirituum insultus & insidias longe depellet, si civitates nostras & propugnacula ei devoveamus, illiusque præsidio nostras munitiones confidenter committamus, contra quoscumque inimicos cuncta invicta persistent; ipsa enim fortissima turris est, ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium. Id est, Maria mille modos, artesque novit devotorum suorum hostes debellandi, *quia data est ei potestas in cælo & in terra.*

Cùm jamjam mentio de clypeo inciderit, proposito præsenti non erit adeò absonum, certum quoddam, quod clypeo Veteres adscripsére hieroglyphicum, teste Pierio, annotare; scilicet, illum fore firmissimæ tutelæ, imperii, & incolumitatis prognosticum. Quod ipsos eruisse arbitror ex illa fabulosa, quam Poëtæ narrant, historia de Palladio. Cùm enim Trojæ arx fortissima in honorem Palladis ædificaretur, rarum & stupendum visum est prodigium. Artificibus namque jam templi illius consecrationi intentis, è cælo scutum, (quod Palladium nuncupabatur, ut ait Pierius) nondum æde coopertâ in templum

cecidit, ſibique quaſi in eo locum elegit. Trojani tanta novitate, ac tam inſolito eventu perterriti, Apollinis oraculum conſuluerunt, quidve hoc portentum præſagiret, ſedulò indagaverunt. Quod ſubitò reſpondit, illud iſtius civitatis exitium futurum prætendere, ſi hoc ſimulacrum extrà mœnia ejus portaretur: ſecùs verò, ſi ibidem reſervaretur, illam futuram penitus inexpugnabilem, ut ſatis inſinuat Ovidius, ob hoc inquam, clypeus ſalutis & tutelæ habitus eſt hieroglyphicum: *Cùm Palladium cælo delapſum ſcutum fuiſſe diceremus*, inquit Pierius (quod ipſe in Pallantis filiæ dotem Dardano traditum autumat) *ſignificatum ejus ad Imperii tutelam ſpectare, interpretati ſumus.* Hoc ipſum cùm ab eodem Apollinis oraculo reſciviſſent Græci belli Duces, Diomedes & Ulyſſes, arcem per cuniculos, aut ut alii volunt, per ſubterraneas cloacas aſcenderunt, & cuſtodibus interfectis, Palladis ſimulacrum abſtulerunt, ſicque Troja Deâ tutelari deſtituta, flammis & gladio miſerrimè periit. Alii quidam ſalutis hieroglyphicum ſcuto attributum eſſe credunt, ob illud, quod tempore Numæ Pompilii de cælo delapſum refertur, nominatum Anilium: unde Maro dixit: *Et lapſa Anilia cælo.* De quo Apollinis præſagiit oraculum prodigio, tam diu Romanorum Imperium in ſumma felicitate, ac ſupremo dominio perſeveraturum, ac Anilius clypeus in honore ac veneratione à Romanis haberetur. In hoc quàm plurimi arbitrantur exarata fuiſſe hæc verba: *In hoc clypeo ſalus.*

Fateor ingenuè, hæc omnia meram fabulam, & Poëticum redolent figmentum, quamvis aliquid hic veritatis commiſceri putent, quidquid ſit de hoc, totam hanc narrationem appoſitè Mariæ Virgini convenire conſtanter aſſero, & probo. Maria namque myſticum illud eſt Palladium de cælo delapſum, non in civitatis Trojanæ, ſed totius mundi tutelam ac munimentum. Maria eſt ſcutum Anilius, quod non in Romani Imperii, ſed totius humani generis ſalutem, cælum emiſit. Hoc ſcutum, ſi in honore ac veneratione à quocumque regno, Republica, ſeu civitate habeatur, contra cunctos hoſtes inexpugnabilis perſiſtet; è contra verò, ſi callidus Diomedes aut Ulyſſes diabolus, Palladis noſtræ ſimulacrum, id eſt, Mariæ cultum, & reverentiam ex incolarum, ſeu civium cordibus auferat, in manus inimicorum indubie tradetur, juxta illud,
Iſa. 60. 12. *Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* Nec Maria tantummodò contra viſibiles, ſed inviſibiles, fortiſſimum eſt ſcutum, & contra omnem, tam corporis, quàm animæ fortunæ caſum firmiſſimum munimentum, quia, ut rectè ait S. Bernardus jam citatus: *Tremat terra, iraſcatur dæmon, &c. Maria ab his omnibus interceſſione nos liberat & defendit.* Hinc de Maria canit Petrarcha:

Tu clypeus miſeris firmus mortalibus una es,
Ictus fortunæ, contra mortiſque cruentos.

Unde ſi clypeo Anilio inſculpta fuerit honorifica hæc epigraphes, *In hoc clypeo ſalus*, longe potiori ſane jure Mariæ Virgini myſtico noſtro clypeo eamdem adſcribemus: *In Maria ſalus*; ipſa namque contra animæ noſtræ inſidiatores dæmones potenter nos tuetur, & ad inſtar veriſſimi clypei omnia infernalia tela retundit, ut clariſſimis
verbis atteſtatur S. Germ. *Tu nequiſſimos hoſtes* S. Ger. de
contra ſervos tuos ſola tui nominis invocatione Zona D.
ſanctiſſima repellis, & tutos ac incolumes ſervas. Virg.
Quia data eſt tibi poteſtas in cælo & in terra.

Ad hoc notatu digna eſt illa, quam ſacra Scrip-
tura 2. Reg. narrat, hiſtoria. David in Jebuſæos 2. Reg. 5.
plurimùm ſtomachatus, jam unctus Rex ſuper u- v. 6.
niverſum Iſraël, illos bello aggredi, ipſiſque arcem Syon eripere ſtatuit. Ad quod convocato omni populo, ipſemet Rex in campum prodiit, rebelles vi debellaturus. *Abiit Rex, & omnes viri, qui erant cum eo in Ieruſalem, ad Iebuſæum habitatorem terræ.* Quo nihilominus magno apparatu, ac copioſo militum circumcirca urbem conſpecto exercitu, Jebuſæi Davidis potentiam exploſerunt, omneſque ejus minas irriſerunt, è mœnibus clamantes, *Non ingredieris huc.* O David! fruſtrà civitatis noſtræ muris potentes admoves militum copias, in vanum repetis arcem hanc Syon, illamque jaculis impetis. Nil tibi proderunt ponderoſi ad mœnia conquatienda, atque in terram dejicienda arietes, nil prorſus te adjuvabunt faſtus militares. Hanc temerariam jactantiam annotans doctiſſimus Abulenſis, inquirit, in quo Jebuſæi tantam collocarant fiduciam, ut tam audacter Regis Davidis potentiam contemnerent? Reſponſum ex mox ſubſequentibus verbis ille colligit: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos.* Sed quid hoc? An in milite forſitan cæco & claudo tantùm ſubſidium; hoc ſane omninò eſt ridiculum; ad urbem enim contra ho-

ſtem

ſtem propugnandam, inepti ac prorſus incapaces ſunt cæci & claudi; dum hi fugientem celeriter inſequi militem, illi aggredientem minime, viſu carentes, repellere à mœnibus poſſint. Quomodo itaque tantopere Jebuſæi in cæco & claudo, inquit Abulenſis, confidunt?

Ad hanc difficultatem diſſolvendam curioſe annotat præfatus author, Jebuſæos in portis civitatis Patriarcharum duas ſtatuas, unam Iſaac cæcutientis, & Jacob claudi, tanquam patronorum illius tutelarium collocaſſe; quibus perſiſtentibus, firmiter credebant, urbem fore inexpugnabilem; ideoque audacter vires Davidici exercitus irridentes, clamabant: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos.* Eam, quam Jebuſæi virtutem & fortitudinem tutelaribus arcis Patriarchis Iſaac & Jacob adſcribebant, jure meritò Mariæ Virgini Deæ noſtræ tutelari appropriare poſſum; a quocumque enim, ô Chriſtiani! impetamur hoſte, auſim ego clamare, nihil efficies, *niſi abſtuleris Mariam*, niſi devotio & cultus erga hanc Virginem cordibus noſtris evellatur, ac eradicetur, regnum hoc, hæc arx, hæc civitas invicta, & inſuperabilis perſiſtet, omneſque furentis inimici inſultus explodet ac ſpernet. Nec hoc tantùm de externo hoſte intelligo, verùm etiam auſim clamare ad divinam juſtitiam, in nos reos & ſceleratos peccatores ad furorem concitatam, & vindictæ jacula jam jam emittere minitantem, ſiſte impetum, ô juſtitia! non intrabis huc, id eſt, mundus, nec homo, quantumvis nocens, ſeveri furoris tui ſagittas minime perſentiet, niſi auferatur potentiſſima noſtra protectrix Maria: *Imperverſetur*, inquit Bern. *in nos Deus, ab omnibus Maria nos liberat & defendit.* Auſim quoque clamare ad hoſtiles in maximo numero undique in afflictam Flandriam irruentes phalanges, non intrabitis huc, niſi abſtuleritis Mariam, id eſt, niſi illius in nobis diminuatur reverentia, ac ſolitus erga eam exhibitus honor tepeſcat. Hæc tantùm adoretur, hæc invocetur, hæc patriæ noſtræ patrona, & Dea tutelaris eligatur, contra quoſcumque hoſtium impetus immota ſtabit, nec ullum prorſus inimicum reformidabit. Etenim Maria cæleſte nobis eſt Palladium, non illud ſanè fictum, quod è cælo in templum Minervæ cecidit, quodque jam diu contra potentiſſimos Græcos Trojam conſervavit invictam, donec ab Ulyſſe & Diomede fraudulenter fuerit ſurreptum: ſed verum è cælo, mundo in hominum ſubſidium & fulcimentum demiſſum; quod, ſi in arce cordis noſtri & animæ propugnaculo indeſinenter conſervemus, inexpugnabilis contra omnes infernalium inimicorum inſultus perſeverabit, viteſque eorum facile eludentur. Quòd ſi verò ſacrum hoc Palladium Mariam, id eſt, illius venerationem ſubdole ab aſtuto Ulyſſe, id eſt, diabolo ſuffurari permittamus, actum eſt de nobis, & ut miſera Troja interibimus.

Maria quoque nobis clypeus eſt Myrtilli, Arcturis, ac illi planè ſimilis qui è cælo quoque tempore Numæ Pompilii elapſus eſt, Romani Imperii perennitatis indicium. Huic enim ſi inſideamus, id eſt, ſi in ea omnem ſpem noſtram conſtituamus, ad inſtar alterius generoſi Ducis Myrtilli, procelloſas hujus mundi maris undas irridebimus, & ſub ejus tutela ad optatum cælorum portum feliciter appellemus; & ſi hoc clypeo Mariâ militemus, ad inſtar quoque Regis Arcturis, contra hoſtes tam viſibiles, quàm inviſibiles victoriam reportabimus, & pacem acquiremus; ſi denique clypeum hunc Mariam, ut Romani illum Numæ Pompilii in honorem conſervarunt, veneremur & honoremus, invictum quoque, & in fœlicitate perenni noſtrum perſeverabit Belgium. Unde non tantùm rectè & concinnè in duobus primis commemoratis clypeis, Arcturis ſcilicet & Myrtilli inſculpta Mariæ quadrant honorifica epigraphica elogia, ſed etiam illud ſcuto Numæ Pompilii impreſſum convenit, *In hoc clypeo ſalus*; quia data eſt huic Virgini talis ac tanta poteſtas, ut S. Anſelmus, conſiderans illud Eccl. *In Ieruſalem poteſtas mea*, Mariam alloquens, auſus ſit dicere: *Te ſic Deus exaltavit, ut omnia ſecum poſſibilia eſſe donaverit: tu velis, & nequaquam fieri non poterit.* Quod, ſi ita eſt, ô Chriſtiani, hunc clypeum Mariam in omni prælio, quod aggreſſuri eſtis, ſive contra carnem, ſive inordinatos veſtros appetitus, ſive mundum, ſive dæmonem arripite, & indubie ſub hac protectrice, ac ſtrenua propugnatrice victoriam adipiſcemini. Imò ſit Deus ipſe, ô peccatores! veſtris ſceleribus ad iram provocatus, hoc ſcutum, Mariæ inquam devotionem, ac cultum dito ejus fulmini & acutis vindictæ telis objicite: clamate cum Damaſceno & S. Ephraim: *Tibi nos quoque hodiernâ die aſſidemus, ô Domina, Domina, atq; iterum dicam Domina, Dei genitrix Virgo, animas noſtras ad ſpem tuã, non ſecus, atq; ad firmiſsimam quandam anchoram alligantes, mentem, animam,*

Eccl. 24. v. 15.
Anſel. l. de B. Virg. c. 12.
Damaſc. orat. 1. de dormitione B. Virg.
Eccl. c. 23.
Anſelm. l. de D. Virg. cap. 12.

corpus tuum denique nos tibi dicantes ac consecrantes, Psalmis & hymnis spiritualibus, quantum possumus honorantes. Clamate inquam cum S. Ephraim, Virginem divinis hisce verbis piè deprecantes: *Sub alis tuis custodi me, & protege, miserere mei, qui sum luto inquinatus, ne adversus me glorietur Satanas exitiosissimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus, non mihi alia est fiducia, ô Virgo sincera! tu enim meus portus, ô Virgo inviolata & præsens auxiliatrix! denique sub tutela & protectione tua totus sum, crebris lachrymis te, ô celeberrima Mater! imploro, & advolvor tibi*, & certissime æternum evadetis exitium, & sub hujus subsidio æternam consequemini gloriam, quam vobis & mihi concedat misericors Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Ephraim orat. de B. Virg.

CONCIO XX.

THEMA.

Mirabilis potentia ipsius. Eccl. cap. 43.

ARGUMENTUM.

Prosequimur jam inceptam de Mariæ mirabili potentia materiam, atque illam, non tantùm in dæmones, sed in purgatorium, & infernum, imò quod ampliùs est, ad peccatores obduratos convertendos, plenariâ pollere potestate, breviter demonstratur.

IN præcedenti discursu eminùs aliquantulum stupendam Mariæ Dei Genitricis aspeximus potentiam, quam cùm debilibus mentis & ingenii mei oculis intimiùs perscrutari tentabam, tantam, tamque eximiam illam comperi, ut vix scitem, cui potentissimam hanc Virginem strenuo heroi, aut generoso belli Duci convenientiùs comparare possem; verùm quando tum in Poëtarum, tum Oratorum scriptis potentem, & fortem Herculem appellari reperi, invictissimam nostram Amazonem Mariam insuperabili illi Herculi, Jovis & Alcmenæ filio (ob fortitudinem & gloriam inter Deos, ut Poëtæ fabulantur, relato) assimilare non piget. Nec sanè absque solido fundamento, cuncta enim heroica, quæ invictissimus Hercules gessit facta, omniaque, quæ contra hostes, & indomita monstra, ac varia ferocia animalia, (quæ illi ex invidia implacabilis Junonis furor concitavit) commisit prælia, Mariæ quàm optime conveniunt; etenim, si Hercules adhuc in cunabulis jacens, geminos angues, à Junone missos, manibus eliserit! Maria sane Virgo longe Hercule est potentior; in primo namque suæ conceptionis instanti omnes infernales angues, ab orco concitatos, illius animæ lethifero originalis noxæ veneno insidiantes, potenter contrivit. Et, si Hercules jam adultus, hydriam abscissa continuò capita reproducentem, ferro & face in lerna palude prostravit, ita Maria Virgo jam provectæ ætatis, per totum vitæ suæ curriculum infestam illam hydriam, lethale peccatum, omniaque capitalia crimina potenti divini amoris igne, atque sanctimoniæ ferro procul à se abegit, nullamque prorsus, ne venialem quidem maculam umquam admisit.

Verùm inter cætera præclara Herculis gesta atrocissimum ac famosissimum, plurimumque à Poëtis celebratum fuit illud, quod ipse cum Acheloo, terræ & oceani filio, pro pulcherrima Deianira, Oenii Calydoniæ Regis filia, certamen inivit,

vit. Etenim cum Achelous viribus Herculis sese imparem fore cerneret, in venenosum serpentem se transformavit, lethali suo afflatu ac exitiali veneno illum enecare præsumens. Ast nec se tortuosis suis giris, continuòque virulentæ spumæ vomitu in Herculem quidquam valere expertus, in formidabilem taurum se commutavit, ut eum fortissimis cornibus ventilando in terram prosterneret; sed amputato uno cornu, tandem ab Hercule devictus est, Deianiraque illi in prædam cessit, ac cum ea summa cum pompa triumphavit. Haud dissimiliter Herculea hæc Virgo cum infernali hoste pro formosissima illa omnipotentis Regis Dei filia scilicet anima nostra, continuò prælium committit; ille enim hujus prædæ quàm maximè avidus, omnes struit insidias, cunctasque ad illam decipiendam ac prosternendam induit larvas. Nunc, ut ferocissimus taurus, carnalium tentationum cornibus illam dejicere, nunc, ut callidus serpens, levi vanæ gloriæ ac superbiæ sibilo inficere studens. At Maria Virgo, adinstar Herculis, potentiâ suâ illum devincit, ac pedibus suis conculcat, juxta illud Gen. *Tu insidiaberis calcaneo illius, & ipsa conteret caput tuum.* Et animam hominis suâ gratiâ & auxilio à venenoso hujus serpentis morsu liberat, sicque illi in prædam cedit, & cum ea in Ecclesia triumphante juxta illud Davidicum: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*, id est peccatorum multitudine, gloriosa triumphat.

Gene. c.3, v.16.

Illud quoque memoriâ dignum est celebre Herculis factum, quod Alcestem Admeti Regis conjugem ex inferis ad virum, Cerbero devicto, tribusque catenis vincto reduxit. Nec in tam præclaro profectò facinore ullatenus Herculi Herculea nostra Virgo Maria in minimo cedere debet, sed illum longo intervallo antecellit; ipsa namque suâ intercessione & precibus ex inferni faucibus, Cerberiq; diaboli unguibus peccatoris animam, æterni illius Admeti summi Dei sponsam, juxta illud, *sponsabo te mihi in fide*, per peccatum à sponso deviantem potenter eripit, ac salvam & incolumen ad illum reducit. Denique, ut finem imponam, fertur etiam Herculem Hesionem Laomedontis filiam formidabili marino monstro, ad eam deglutiendam expositam, illo occiso & prostrato à morte liberasse. Hoc quoque invicta hæc Virgo in Ecclesia militante operatur, ipsa enim animas orco & infernali monstro devotas, & totaliter obstinatos peccatores (in quo maxima consistit potentia) quasi diabolo consecratos, suâ stimulante gratiâ atque illuminante adjutorio à tenebris peccatorum, ad lucem gratiæ tutissimè deducit. Hæc Mariæ Herculea gesta, illique convenire admirabilem potentiam in præsenti discursu clarè demonstrare mens est. Pro quo gratiam & auxilium per potentem hanc Virginem à Spiritu sancto unanimiter efflagitemus, salutantes illam Angelicis verbis, ave gratiâ plena.

Osee. c.2. v.20.

Mirabilis potentia ipsius.

DUm me ad probandam stupendam Dei genitricis Mariæ in totam mundi machinam potestatem, & supremum dominium, accingerem, judicavi me illam ex nullo veriori ac fundatiori, quàm ex illo quod de seipsa plane veridica Virgo pronuntiat, eruere posse testimonio per Salomonem Eccl. *Gyrum cæli circuivi, profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti, & in omni populo & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium virtute corda calcavi.* Ex quibus clarè satis verbis Mariana in cælo, in terra, in inferni abyssis plenaria jurisdictio, & invincibilis in infernalia monstra, adinstar fortissimi Herculis, declaratur potentia. In omni enim terra pro Ecclesia militante, continuò dimicans, stetit Maria, tamquam stella fixa & immobilis: numquam enim miseris hominibus, cum tanto naufragii discrimine procellosum depravati hujus mundi pelagus transmeantibus, lumen suæ gratiæ, & anchoram firmam auxilii denegat, sed constans suum exhibet subsidium, ac benignitatis suæ radiis è tenebris peccatorum errantes, ac in scyllas & charybdes illidentes ad fœlicem patriæ portum deducit: ipsa quoque gyrum cæli circumiit, id est, Christum filium suum (quem per gyrum plurimi sacræ Scripturæ interpretes intelligunt, qui gyrus est mirabilis, continens universa) sanctissimis suis intercessionibus, & instantibus precibus circumdat, ne vindicatrici dextra fulmen in peccatores vibrare possit. Imò iis patrocinari non cessat, nisi ipsis misericordiam & delictorum remissionem impetraverit. Unde Richardus Mariam comparat mulieri Chananææ, quæ instantissimè pro salute filiæ suæ pietatem adipisci, & Jesum ad commiserationem commovere studens clamavit: *Miserere*

Eccl. c.24. v.8.9.10. & 11.

Matth. c. 15. v.22. 23. v.25. 26.27. & 28.

mei, Domine fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur. Ecce (quod hîc summoperè annotandum) non ait, ô piè Domine, miserere afflictæ filiæ meæ dæmoniacæ, sed mei, ac si totum in filiam beneficium conferendum, ipsa acceptum referret. Verùm ad hos clamores quasi surdus Dominus pertransiit, teste Scriptura: *Qui non respondit ei verbum.* Nec tamen ob hanc Christi taciturnitatem desperans Chananæa: *Venit & adoravit eum, dicens: Domine adjuva me.* Jesus, visâ tantâ mulieris fiduciâ, illi respondit: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sed nec ad hanc apparentem repulsam destitit constans mulier: verùm altius vocem attollens, replicavit: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Cujus constantiam demiratus Jesus, respondit: *O mulier! magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.*

Quàm optimè sanè doctissimus Richardus Mariam Virginem Chananææ assimilat; ipsa enim cernens filium suum peccatorem ab infernali dæmonio sub severa premi servitute, & miserè torqueri, eumque illi æternam intentare ruinam, ad rigorosum divinæ justitiæ tribunal, pro salute ejus, sicut altera Chananæa, deprecatura accedit, & ad Deum clamat: *Miserere mei, filius meus malè à dæmonio vexatur.* Et benè profectò ait Maria *miserere mei,* ac si diceret, ô clementissime Domine! hic infamis peccator tuam non meretur misericordiam, quia illam toties à te oblatam protervè contempsit: non nego dignus est pœnâ, reus est gehennæ, verùm miserere ô fili! matris tuæ, quæ te novem mensibus in sacrosanctis suis visceribus portavit, & purissimo uberum suorum sanguine tanto tempore potavit. Et ut ait Anselmus: *Etsi merita invocantis non mereantur ut exaudiantur, merita tamen matris intercedunt.* Quod si nimirùm iratus filius respondeat, ô dilecta Mater! non est bonum panem filiorum, gratiam & gloriam mittere ingratis illis canibus, impiis peccatoribus, qui tot divina à me in illos collata beneficia, & dona aspernati sunt: non desistit Maria, sed urget cum muliere Chananæa: imò Domine gloriosum est, & divinâ tuâ clementiâ dignum, etiam catellos hos, id est famelicos & obstinatos peccatores de micis cælestis tuæ gratiæ satiare. Sed quid ad hoc poterit respondere pius filius, nisi, ut Chananææ: magna est fides tua, magna est potentia, *fiat tibi sicut vis?* Audite jam divina Richardi verba:

Rich. l. 6. de laud. D. Virg.

Maria est mulier Chananæa, quæ clamat ad Deum pro filio, id est, pro peccatoris anima, cujus etiam personam in se misericorditer transformat, dicens: miserere mei fili David, & cui misericorditer respondet Dominus: mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.

Maria quoque excellentium corda calcavit, id est dæmones (qui hîc juxta SS. PP. per excellentes intelliguntur) suâ virtute mirabiliter contrivit, secundùm divinum illud prognosticum Gen. cap. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum.*

Gen. c. 3. v. 16.

Unde sicut Vagoo Holofernis cubicularius, viso eo capite truncato, ejulans, & vestimenta sua scindens, ad Assyrios exclamat, ut habetur Judith cap. 14. *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor:*

Iudith c. 14. v. 16.

sic & infernalis spiritus fremens & stridens dentibus, caput suum a potentissima illa Judith contritum & confractum sentiens, ad inferni principes & potestates horribili voce vociferatur: *Una mulier Hebræa,* scilicet Maria Dei genitrix, *fecit confusionem in domo Luciferi,* quia ipsa totum infernum continuò conturbat, ac omnes tenebrarum dominationes deterret, ideòque de ea ait optimè S. Bonav. *Virga virtutis Maria contra inimicos infernales, quibus magnâ virtute dominatur.*

Bonav. in spec. Virg. cap. 13.

Et benè sanè Maria Virga virtutis nuncupatur, quoniam ipsa revera est illa Virga, de qua Isaias vaticinatus fuerat: *Egredietur Virga de radice Iesse,* E cujus radice pulcherrimus ille flos Christus Jesus pullulavit, cujus suavissimi odoris fragrantiâ mundus respiravit universus.

Isa. c. 11. v. 1.

Ipsa est illa Virga Deorum, quam gentiles fatalem vocitabant, ut testatur Cicero; idque ideò, quia per illam, non tantùm omnia bona fortunæ, opes, honores, fortitudo, pulchritudo, & salus mundo proveniebant: verùm etiam, quia illâ dii delinquentes & reos severè puniebant, eisque in signum terroris ostentabatur.

Lib. 2. de officiis.

Maria Virgo etiam est, tamquam virga fatalis, quia, non tantùm omnia dona cœlestia, & divinæ gratiæ divitiæ ab illa nobis promanant teste Bernardo: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret,* sed etiam formidabile summi terroris inferno, cunctisque ejus incolis est portentum. *Ad ejus,* inquit, Bonaventura scilicet Mariæ Virginis *memoriam dæmones contremiscunt, & eam omninò sustinere non valent.*

Bern. in Vigilia Nativit. Christi. S. Bonav. ibidem.

Sed

Sed nec huic Deorum fatali virgæ tantùm nobilissima hæc Virga Maria propriè assimilari potest, verum etiam illi, quam antiqui Poetæ stultè affinxerunt Mercurio, imò & isti aureæ virgæ, quam Homerus Palladii attribuit. Quia sicut Mercurii virga (quam soporiferam appellabant) eâ pollebat virtute, ut mortalium animos, in quamcumque vellet partem flecteret: ita hæc potentissima virga Maria Deum ipsum pro suo libitu in peccatores irâ & furore excandescentem flectit, & ad misericordiæ & benignitatis partem facillimè attrahit. Et rursus, sicuti Palladis aurea Virga hominem è sene, & deformi, in pulchrum, & juvenem convertere suâ virtute poterat, ut in Vlysse contigisse fabulantur Poetæ: ita & Maria divina virga tantâ gaudet potentiâ, ut senes, id est inveteratos peccatores, & iniquitatis plenos convertat, & illos, qui in oculis divinis deformes & detestabiles sunt, secundùm gratiam juvenescere faciat, atque animabus illorum antiquam sanctificantis restituat gratiæ pulchritudinem & decorem, ut infra mox ostendam. Unde rectè ei potest applicari illud, quod de Christo Domino dicit Propheta David: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra.*

Psal. 134. v.6.

Ad hoc idem non incongruè meminisse oportet diabolicæ illius Circis potentiæ, de qua tractat Plin. l.7. c.2. ratione Marsorum qui erant quidam gentium populi descendentes à Marso, filio Circis, Regis Sarmatarum uxoris, sororisque Aætæ Colchorum Regis, quam S.P.N. Augustinus famosissimam fuisse magam asserit, quod probat ex mirabilibus ejus incantationibus apud Homerum; Virgilium, Theocritum, aliosque Poetas apprimè cognitis. Hæc filium suum Marsum adeò magicâ sua arte atque diabolicæ unctionis viribus præmunivit, ut nequaquam contra eum ferocia, ac venenosa animalia quidquam attentare possent, imò ne quidem aspides ipsæ prævalerent. Sanè Circis potentiæ Mariana nullatenus cedere debet potestas: ipsa enim non falsis & abominandis incantationibus, ut ipsa Marsum, sed filium suum Christum, serpentum Dominum, infernalium monstrorum victorem, dulcisona voce: *Ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum*, protulit. Unde si ob hoc Circes vocabatur serpentum domitrix, quia eorum destructoris erat genitrix, quid ni & rursus Mariam appellem diabolorum refrenatricem.

Plin. l.7. cap.2.

Inter Ajacem Telamonis & Hesionis filium, & Vlyssem Regem Ithacæ exortam fuisse maximam de armis Achillis litem commemorant Poetæ, quæ ille prætendebat, quia cum Hectore ab Achille devicto, prælio congressus fuerat: hic verò, quia Achilli, sub alieno habitu delitescenti, & incognito, astutiâ suâ deprehenso, arma dumtaxat assumere, & ad Trojam expugnandam pergere persuaserat: ob quod sibi cuncta heroica facta, egregiaque Achillis facinora, atque ipsam fortissimi Hectoris cædem audacter adscribebat; ideòque contra Ajacem in illo Græciæ Ducum conventu, ipsius arma deposcebat. Poeta sic eum de illo loquentem introducit.

Injecique manum, fortemque ad fortia misi,
Ergo opera illius mea sunt, ego Thelephon hasta.
Pugnantem domui, victumque, orantemque refeci
Quod thebe cecidère, meum est, &c.

Quòd si ergò Vlysses ob hoc Achillæam victoriam sibi attribuendam arbitrabatur: quanto majori cum fundamento divæ Virgini inaudita illa, quam Christus Jesus in sanguinolento prælio, in Calvariæ monte commisso, contra Satanam reportavit, victoria adscribenda erit? utpote, quæ non tantùm consilio Christum ad bellum incitavit, verùm etiam eum concepit, & genuit, ipsique carnem & sanguinem, fortissima profectò ad dæmonem consternendum, arma subministravit? rectè sanè. Ideòque de ipsa vaticinata fuit prima veritas. *Ipsa conteret caput tuum*; ô diabole Maria te, qui tamdiu totius universi egisti dominatorem, prosternet & domabit. Gen. c.3. v.18.

Ob jam dicta non incongruè profectò Mariam Virginem comparari autumo cuidam pretioso hyacintho, cujus meminit Fabritius Dadaranus, qui ex una parte pulcherrimam Regis effigiem lauro redemiti, ex altera verò Virginem sub umbra palmæ quiescentem continebat. Illa quoque manu dextrâ scorpionem tenens, & turribus coronata Leoni insidebat. Ferunt Scriptores nonnulli ex veteribus hac imagine hyacintho artificiosè impressâ antiquitatem describere, ac præfigurare intendisse Africam, quam magnam matrem nuncupabant. Sed revera subscriptio sive epigraphes illi attributa, *tu ne cede malis*, ei non rectè congruebat, utpote, quæ quam plurimis cessit malis. Veriùs tamen ac aptius hæc imago Mariam Virginem adumbrat & deno-

denotat; etenim si illam prægnantem divinoque fœtu gravidam contempleris, splendidissimum, purissimumque hyacinthum, non effigiem unius Cæsaris, sed æterni Patris expressam figuram in se continentem, ut Apostolus attestatur, *figura substantiæ ejus*, reperies. Intueberis quoque castissimam Virginem, cujus statura, ut Salomon ait: *Assimilata est palmæ*, eamque insuper conspicies leoni insidentem, id est ferocissimo diabolo dominantem, imò & pedibus suis eum conculcantem, juxta illud Davidicum: *Conculcabis leonem & draconem.* Quod si illa Virgo scorpionem dexterâ tenebat. Maria purissima Virgo serpentem manu potentiæ suæ ita compescuit, ut voce Domini attestante, caput ejus confregerit, *ipsa conteret caput tuum.* Nec adeò incongruè Deipara hyacintho comparatur; nam ut medici norunt, sicut in extrema infirmi necessitate, omnibus adhibitis imaginalibus remediis, pro ultimo vitæ ejus conservandæ antidoto, illi pillula ex hyacintho confecta diglutienda præbetur: sic in evidenti spirituali animæ nostræ morte, ultimum & unicum nostrum ad hoc pretiosissimum hyacinthum Mariam nobis superest refugium, quia illa etiam desperatos peccatores è dæmonum faucibus potens est eripere. *Mirabilis enim potentia illius.*

Ad Hebr. c.1. v.3.

Psal. 90. v.13.

Narrat Joannes Patriarcha Jerosolymitanus stupendum quoddam in Mariæ Virginis nativitate contigisse miraculum, scilicet, quod ubi sanctissima hæc puella jam in lucem prodiit, delphicum Apollinis simulacrum in terram corruerit, tam horrendam ac formidabilem edens vocem, ut universa mundi machina totaliter interire videretur. Sed id mirum illi non apparet, quia ut annotat, dum Propheta Elisæus natus est, bos quidam aureus, qui de mandato idololatræ Regis Jeroboam pro Deo colebatur, in frustra concisus est, tam tremendo edito mugitu, ut tremefacti Hebræi à summo Pontifice sciscitaverint, quid hoc stupendum portentum portenderet? Ad quod ipse respondit: illum, qui nunc nascitur, futurum zelosum destructorem infamium & execrandorum, quæ ab Israelitico populo colebantur idolorum; hoc inquam prodigium in potentissimæ hujus puellæ Mariæ Virginis ortu neutiquam alicui esse debet admirationi: quia illa talis, & tanta futura erat, ut non tantùm idolorum, verùm etiam inferni & dæmonum, qui per falsum illud Apollinis simulacrum respondentes, cœcam illudebant & decipiebant gentilitatem, à Deo Domina constitueretur & zelosa destructrix. Hanc admirabilem Mariæ in dæmones considerans potentiam S. Ephraim: Virginem deprecatur aureis his verbis: *Adesto mihi nunc auxiliatrix, hostiles quoscumque impetus à me avertens, & in via salutis me constituens ac in extremo vitæ articulo miseram meam animam conservans & tenebrosos atque horrendos pessimorum dæmonum aspectus ab ea procul repellens: in tremendo etiam judicii die ab æterna me perditione liberans, & postremo, in numerum justorum me referens, atque inaccessibilis tui filii Domini & Dei gloriæ me hæredem efficiens.*

Lib. de opere Monachorum to.9. Bibl. PP.

S. Ephr. in lament. Deiparæ.

Mirabilis, quam effinxerunt nobisque narrant Poetæ fabula est de Prometheo ignis cœlestis raptore, instituto meo apprimè adaptata. Hic enim primus dicitur, qui hominem è luto efformavit, cujus mirificum artificium ingenii sagacitatem, & solertiam admirata Minerva, sese illi concessuram pollicita est, quidquid apud superos reperiretur, quod ad tanti operis plenam perfectionem requireretur; cumque respondisset illi Prometheus se non posse divinare, quæ apud superos incepto operi suo essent utilia, nisi singula præsens foret intuitus, Minervæ operâ in cælum sublatus est. Ubi, cum corpora omnia cœlesti igne cerneret animata, operi suo utilissimum esse ignem ratus, facem, quam secum attulerat rotæ solis admovit, eâque accensâ ignem detulit in terram, luteumque suum hominem eo animavit. Quod Promethei furtum egertimè ferentes dii, de justa in ignis fraudulentem raptorem vindicta sumenda tractarunt, eaque post longam deliberationem à Jove, (cæteris unanimiter consentientibus) demandata est cura Pandoræ. Quam functionem, ut quàm optimè obiret, illi dii diversa necessaria dona impertiti sunt, ut testatur Esiodus: Apollo nimirùm sapientiam, Mars fortitudinem, Mercurius eloquentiam, Jupiter denique summam potentiam.

Esiodus l. intitulato opera & dies.

Dubium non est, quin hæc omnia fabulosa sint deliria, ac figmenta: verùm si fictitium quid ad veram & Catholicam veritatem pertrahere liceat, totam jam enarratam fabulam Mariæ Virgini quam optimè quadrare comperiemus, quippe cum non multi dii, sed unus Deus & summus Jupiter, in tribus personis tamen subsistens, humani generis hostem, dæmonem inquam, à protoplaste Adamo justitiæ originalis ac sanctifican-

tis

tis gratiæ ignem fraudulenter furatum fuisse conspiceret, de justa & potenti vindicatrice consultavit; cumque in SSS. Trinitatis conclavi ad illud munus Pandora nostra Maria deputaretur. Pater æternus illi potentiam, Verbum sapientiam, Spiritus sanctus ardentem zelum communicavit, ut insolentem hunc furem diabolum providè & potenter compesceret, atque ejus caput contereret. Unde sicut potentiam Pandoræ expertus Prometheus contremuit, ita ad minimum Mariæ nutum omnes totius inferni contremiscunt potestates.

Bonav. ibidem.

Ad istius, inquit Bonavent. scilicet Mariæ, *memoriam dæmones contremiscunt, & eam omninò sustinere non possunt, quia mirabilis est potentia ipsius.*

Bonav. in spec. Virg.

Et clariùs in speculo Virginis: *Maria mare est gratiâ affluendo, & amara filio compatiendo, & amarum mare est diabolum submergendo; quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptiis in ipso submersis. O quàm amarum & tremendum est hoc mare Ægyptiis! ô quàm amarum & tremenda est dæmonibus Maria! non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum ejusque patrocinium. Fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicumque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, solicitam imitationem.* Idipsum confirmat S. Brigitta dicens:

Brigitta in revel. cap. 20.

Super omnes etiam malignos spiritus ipsam sic Deus potentem effecit, quod quotiescumque ipsi aliquem hominem, Virginis auxilium ex charitate implorantem, impugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illicò pavidi procul defugiunt; volentes potiùs pœnas suas & miserias sibi multiplicari, quàm ejusdem Virginis potentiam super se taliter dominari. Quia mirabilis est potentia ipsius.

Maria insuper profundum abyssi penetravit tam purgatorii, in quo justorum animæ peccatorum suorum reatum pœnæ persolvunt, quàm inferni, in quo damnati in æternum ob reatum culpæ ignivomis flammis cruciantur, suisque devotis potenter opitulatur. Unde de sua in purgatorium potentia ipsamet Virgo gloriatur per Sapientem

Prov. c. 8. v. 20.

Prov. c. 6. *In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Quod & Isaias indicare videtur dum ait:

Isa. cap. 9. v. 2.

Populus, qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regionibus umbræ mortis, lux orta est eis. Ubi notandum Spiritum sanctum bis vocabulum lucis usurpare, comprehendens scilicet lucem illam incomprehensibilem Christum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & Mariam dilectam ejus genitricem, quæ omni totius firmamenti luce splendidiore coruscans, afflictas justorum animas intercessionis suæ splendidissimis radiis ad lucem perducit inaccessibilem. *Misericordia Mariæ*, inquit Bernardus, *in profundo & in tenebris sedentibus, & in umbra mortis obtinuit redemptionem.*

Narrat doctissimus Tertullianus, antiquitus moris fuisse apud Romanos, quod antequam eorum Imperatores ad solemnem coronationem & Regium triumphum ducerentur, omnes totius civitatis publicos carceres ingrediebantur, quadam togâ veste talari induti, à Græcis vocata *pelagos*, & cunctis ibidem reis atque criminosis detentis, pristinam libertatem, ac immunitatem impertiebantur. Quo facto, tota hæc captivorum caterva, sonantibus interim tympanis, & clangentibus tubis, populoque Romano acclamante: *Principem decet clementia.* Imperatorem ad triumphum & coronationem procedentem lætabunda comitabatur. Ob hanc illis nocentibus impertitam gratiam, maximè gloriosus & triumphalis dies ille apud Romanos æstimabatur.

Haud aliter sanè sese gessit suprema illa cæli & terræ Regina Maria. Illa enim, cum jamjam ad cœleste regnum triumphatura, comitante totâ cœlesti curiâ, eveheretur: priùs luctuosum purgatorii ergastulum ingressa est, ibidemque detentas justorum animas captivas, prædam sanè gloriosam, quàm plurimùm triumphali suæ in cælum ascensioni deservientem eduxit, & in vestitu deaurato, circumdata peccatorum varietate, coram SSS. Trinitate comparuit: mirabilis enim est potentia ipsius in cælo & in terra. Hanc attentè considerans devotissimus ejus servus Idiota verba S. Bernardi secutus ait: *Ad hæc omnia fecit te Deus, Virgo Maria, sanctissimam, ut ex tuo superbenedicto fructu angelica natura repararetur, humana reformaretur, inferior à servitute liberaretur. Ædificavit ergo Angelis te Reginam, hominibus medicinam, creaturæ inferiori libertatem.* Idiota. Et paulò post addit: *Ideò dicitur sapientia ædificavit sibi domum, id est, te Virginem Mariam, ut in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem, & non tantùm sibi ipsi soli, te fecit, sed te Angelis dedit in restaurationem, hominibus, in nostræ naturæ reparationem, in inferiori*

creaturæ liberationem, sibi in matrem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo ereptionem. Nam in principio, cum ceciderunt Angeli, natura erat corrupta, Deus offensus, & diabolus victor, sed per te, ô benedicta Virgo Maria! innocentia reparatur, vita Angelica reducitur, Deus homini pacificatur & unitur? diabolus vincitur, atque conteritur, sedentesque in tenebris & in umbra mortis liberantur.

Gerson. tr. 4. super magnif.

Ideò doctissimus Gerson piè autumat eam totum purgatorium evacuasse, animasque cunctas, comitante quoque unigenito filio suo Christo, qui è cælis maternum gloriosum triumphum divinitatis suæ splendore glorificaturus, omnibus Angelorum associatus choris, descendit. *Omninò credibile est,* inquit, *Christum fuisse ibi, cujus currus erat decem millibus multiplex, per Angelos ducens secum ex purgatorio captivitatem ob memoriam novæ coronationis ipsius, quæ Regina misericordiæ, & Dominæ gratiæ, sub cujus Imperio sunt omnia jura regnorum, constituta est.* Hinc quoque Mariam arcæ antiqui Testamenti comparat Dam quæ dum circumcirca Jerichuntinos muros portaretur, clangentibus tubis, illos corruisse narrat Scriptura: *Iubilemus,* inquit, *in arca Domini toto animo, & muri cadent Ierichuntini & contrariarum potestatum infestæ munitiones.* Et alibi clariùs & disertiùs Gersoni adstipulatur idem indicans matris assumptioni, triumphali Christi filii sui in cælum, secum prædâ Patrum è limbo deductâ, ascensioni correspondêre debere. *Si diligenter,* inquit, *attendamus ascensionem filii & matris assumptionem, inveniemus profectò aliquid, quod nos invenisse gaudebimus: ascendenti quippe Domino egressa est obviam omnis illa beatorum spirituum gloriosa societas, quo natura superiori prætulit inferiorem, & inconvertibili Sacramento susceptum hominem in ipsa divinitatis clausis identitatem, occurrentibus etiam Angelis electorum animas quas secùm adducebat adjunxit, & sic omnium triumphali pompâ deductus ad Patrem, sedet ad dextram majestatis. Attolle jam oculos ad assumptionem Virginis, & salvâ filii majestate, invenies occursum hujus pompæ non mediocriter digniorem. Soli enim Angeli redemptori occurrere potuerunt: Matri verò cælorum palatia penetranti, filius ipse cum tota, tam Angelorum, quàm justorum curia solemniter occurrens, evexit ad beatum consistorium sessionis.* Unde, sicut Christi in cælum ascensionem præda SS. PP. è limbo deducta

Dam or. 2 de dormitione Virg.
Iosue c. 7.
Dam. ser. de Ass.

quàm plurimùm glorificavit; ita omninò decuit ut Mariæ gloriosa assumptio prædâ animarum è voracibus purgatorii flammis ereptâ cohonestaretur.

Nec hic silentio involvendum est id, quod ad mirificam Mariæ Virginis erga defunctorum animas in purgatorio cruciatas potentiam declarandam, contigisse narrat Dionysius Carthusian. cujus verba in pleniorem fidem hic subjungo. *Duo socii,* inquit, *erant se invicem diligentes, quorum unus circa festum omnium Sanctorum defunctus est, alius verò continuis fletibus se affligens, nihil pro defuncto exoravit. Cui post festum Nativitatis Christi defunctus apparuit dicens: nihil mihi profecisti solùm plorando, & quasi improperans et fletum: ecce inquit, Beatissima Virgo Maria singulis annis in festo Nativitatis Christi ad purgatorium cum multitudine Angelorum descendit, & multas inde animas eripit: quoniam in nocte solemnitatis illius Christum Regem gloriæ peperit. Cumque in proxima Nativitatis Christi solemnitate descenderet, & multas eriperet animas, sperabam quod precibus tuis fuisset me etiam eductura, sed non fecit; verùm quoniam proximâ nocte Dominicæ resurrectionis solet descendere pro eductione animarum, eò quòd Christus nocte illâ Sanctos è limbo eduxit, rogo necesses pro me cum lachrymis orare, ut nocte illâ me dignetur eripere: & in hoc scies te exauditum, si tibi ultrò non apparuero. Et quia defunctus ille ad viventem non rediit, creditur per virginem gloriosam nocte illâ fuisse ereptum.* Hactenus Dionysius Carthusianus.

Dionysius Carthus. ser. 2. de Assumpt.

Verùm non tantùm potentissima hæc Regina Maria hâc in purgatorium, sed etiam in infernum ipsum pollet virtute, ac potentiâ, ut quàm plurimi Historiographi attestantur, asserentes, Mariam Virginem efficacissimâ suâ intercessione apud filium ab ipsis etiam inferis, ubi damnati cruciantur, nonnullos eduxisse. Etenim quamvis verissima & infallibilis sit sententia S. Thom. adeò ab inferno damnatorum liberationem, vel eorum pœnarum mitigationem exhorrescentis, ut nec per acerbam Christi Domini passionem, nec per illius ad inferos descensum à pœna infernali immunitatem vel consolationem ullam in eo degentes, assecutos esse affirmet; quæ etiam constans est magistri illius Augustini sententia dicentis: *Nimis præsumptuosum est dicere, cuiquam eorum supplicium æternum non futurum, quos Deus in supplicium ituros dixit æternum,* juxta illud,

D. Th. 3 p. q 72. a. 6.
Aug l. 2. de civ. Dei cap. 24.

illud, *in inferno nulla est redemptio.* Attamen cum hoc rectissime consistit, Deum ex occulto suo judicio quosdam in mortifero criminis statu discedentes, ad vitam revocasse, eosque peractâ legitimâ pœnitentiâ, susceptisque Sacramentis, tandem ad æternam beatitudinem transtulisse. Tales mundi peccatores, licet interim (ut plurimi arbitrantur) in inferno ad tempus puniti fuerint secundùm præsentia eorum delicta, simpliciter tamen ad æternam salutem, per medium illud prodigiosum ex immensa Dei clementia & Virginis interventu prævisso, prædestinati fuerant, quæ quoque habet, ut Deus, licet diversimodè, (ipse enim per essentiam, illa per gratiam) claves mortis & inferni, ut docent S. Thom. & Rotilius Benzonius Episcopus Lauretanus, qui testatur quosdam ad vitam ex inferno fuisse revocatos, & ex statu æternæ damnationis ereptos, cum ad illum non essent tunc finaliter destinati. Quapropter neque prædestinationis, neque reprobationis ratio ullo prorsus modo variatur, sed firma, immutabilis & stabilis perseverat. Id autem actu & de facto mediantibus Beatæ Mariæ Virginis precibus, contigisse dicit in expositione Psalmi 86. his verbis: *Cum autem quædam matrona in territorio Leonicensi, seu Lingonensi, licet aliàs religiosè viveret, in eo defecerat, quod facinus quoddam, in juventute commissum, numquam in specie, sed tantùm in communi atque generaliter confessori in Sacramento Pœnitentiæ aperuisset: ac proinde postquàm è vita decessit, à dæmonibus ad flammas infernalis ignis raperetur: illicò Beata Virgo Iesum filium obnixè exoravit, ut ab ejusdem æternis pœnis eam liberam esse vellet, eo quod, cum viveret, quotidie coram ejus imagine illam piè exorasset, ne ob tale peccatum damnationi addiceretur æternæ. Annuit filius, & mulier vitâ restitutâ occultum, ac tam diu non prolatum peccatum, cum aliis peccatis confessa est, Virginisque precibus iterum moriens, in cœlum recepta est.* In cujus dicti majorem confirmationem & hoc aptè adjici potest; quòd si Apostolis ex speciali privilegio concessum fuerit, ut nonnullos Ethnicos, qui ad infernum jam deducti erant, resuscitarent, qui sic ad vitam revocati, & Sacramentali Confessione purgati, iterum mortui, salvi facti sunt, ut Egesippus & Divus Thomas restantur; & quod si Beatæ Agneti illa à Deo donata sit prærogativa, ut filium præfecti Siciliæ, quem diabolus ob stuprum occiderat, in Virginem intenta, resuscitarit, sicut commemorant Ambrosius & S. Maximus; nec non Sacris S. Stephani reliquiis illa donata potentia, quæ parvulum ante salutare baptismi lavacrum mortuum resuscitarunt. Imò, ut ex Damasceno, pluribusque probatis authoribus refert Alphonsus Ciacconius de vita Trojani, quod precibus B. Gregorii hic Imperator ex inferno ad vitam fuerit revocatus, ut salutarem perageret pœnitentiam & æternam adipisceretur salutem, cur Matri Dei Mariæ Virgini deneganda erit similis potentia & virtus? neutiquam sanè. Illi enim ex speciali filii privilegio concessa est authoritas infernales portas infringendi, & quos voluerit denuò ad mortalem vitam revocandi, ut peracta pœnitentia tandem salvi fierent. Unde ad Mariam potentissimam nostram Amazonem clamat Methodius: *Quid de te dicam, ô benedicta! ignoro: nam ab inferis peccatores eruens, ostendis per tua merita in inferno dari redemptionem, hæc sunt arcana, quæ nec mens, nec ratio valet percipere.*

D. Tho. in quæst. de veritate q. 6. ad 4.

l. 2. de anno jubilæi cap. 43.

Super Ps. 86. cap. 31

D. Tho. in 4. quæst. 2. art. 2.

Ambr. ser. 90. S. Maximus serm. 2.

Præterea, quandoquidem ex D. Thom. sententia, omnium Scholasticorum calculo comprobata, cognoscamus, quod etiam in justa reproborum condemnatione appareat nonnihil divinæ misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter sublevans: scilicet, quando castigat reum citrà condignum, in quo clarissimè adimpleri videtur illud Jacobi: *Superexaltat misericordia judicium*, vel ut alii vertunt, *triumphat de judicio, seu de justitia misericordia*: & ex alia parte SS. PP. ut fusè in diversis locis ostensum est, relatis illorum testimoniis, luculenter doceant, quæcumque beneficia, ab ipso Deo nobis promanantia per Virginis manus transire, manifestè constat beneficium punitionis citrà condignum ex pura ipsius Dei misericordia collatum, beneficentiæ, ac intercessioni Mariæ Virginis adscribi debere, prout affirmat Benzonius dicens: *Quantitas pœnæ damnatorum ex Dei misericordia & intercessionibus Beatæ Mariæ Virginis citrà condignum taxatur*, quia *mirabilis*, etiam in inferno, *potentia ipsius*.

D. Tho. 1. p q. 21. art. 4. ad 1.

Iacobi ep. c. 2. v. 13.

Maria denique etiam optimè de se ait: *In fluctibus maris ambulavi*: id est vastissimos hujus mundi sulcavi vortices, circuivi universos coinquinati orbis angulos, scilicet, ut in eo mutos pisces, cenoque peccatorum involutos, nimirum obduratos peccatores, qui in fabulosis, inanibus, obscœnis historiis, mendaciis, inhonestis

colloquis, ac detractionibus eloquentissimi, sed ad laudes divinas decantandas, pusillanimes, bonis adhortationibus corroborandos, delinquentes fraterna correptione à peccatis deterrendos, propriàque conscientiæ suæ piacula Sacramentali confessione abstergenda, prorsus muti sunt, atque pertinaciter fœdissimo scelerum luto immersi manent, virga suæ potentiæ, & hamo misericordiæ & benignitatis expiscaretur. Quæ quanta sit virtus, quanta potestas, obduratum scilicet & obstinatum in sua malitia peccatorem convertendi, non tantùm ex divina hac Bernardi clarissimè patet sententia dicentis de illo: *Cor durum ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis obduratur, flagellis non eruditur, & ut breviter cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur*; sed ex ipsomet etiam infallibili primæ veritatis oraculo, de hac intollerabili hominum pravitate per Prophetam Ezech. conquerente: *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus nec per ignem.* Pulsat benignus Dominus ad internum animi & cordis obstinati peccatoris ostium, & præveniente sua gratia obduratum emollire tentat; sed heu! *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus.* Hebraicus textus legit, *non exivit rubigo abominationis & obstinationis.* Omnem Deus, divinâ suâ commotus misericordia, memorque acerbissimæ suæ passionis, mediante qua peccatorem redemit, adhibet diligentiam & curam, ut errantem à via devia peccatorem, ad rectam salutis semitam deducat. Quod ipsemet attestatur per eundem Prophetam: *Mundare te volui, & non es mundata à sordibus*: Ac si diceret, morbo animæ tuæ spirituali omnibus modis, & omnibus remediis medelam adhibere studui, nunc infirmitate, nunc bonorum temporalium ereptione, nunc filiorum, quorum te nimius à me avertebat amor, morte attrahere conatus fui, non defuerunt divinæ meæ gratiæ prævenientes & excitantes, nec interni ad bonum motus. Sed heu! omni hoc labore sudatum est, & non exivit de anima tua nimia inveterati peccati rubigo. Ideòque & ipse Deus quasi ingemiscens, à simili peccatore modum, quo cum è ceno peccatorum extrahat, indagat ad eum clamans: *In quo mundabo cor tuum?* hoc considerans S. Thomas à Villa Nova ait: *Peccatores obstinati & obdurati in peccatis quasi miraculosè salvantur.*

Bern. l. 1. de consideratione.

Ezech. c. 24. v. 12.

C. 56. v. 37.

Ezech. c. 16. v. 30.

Thomas à Villa-Nova in Domin. Sept.

Et sanè tantam conversionis pertinacis peccatoris difficultatem non tantùm omnes SS. PP. sed etiam sacra Scriptura, imò ipsamet naturalis docet Philosophia; hæc enim illius est infallibilis regula, *ex frequentatis actibus fit habitus*, unde per necessariam consequentiam sequitur, qui continuò peccat, acquirit habitum peccaminosum: Cumque dicat Philosophus, *habitus est qualitas difficulter à subjecto mobilis*, rursus legitimè infertur, ergò habitus peccaminosus ab anima indurati peccatoris est difficulter mobilis. Imò ex repetitis sæpè sæpiùs per vitæ decursum, ad similes actus habitu inclinante, à quibus productus est actibus tandem gignitur & inducitur peccandi consuetudo, quæ ab Aristotele *altera natura*, a S. P. N. Augustino natura fabricata nuncupatur. Hanc Aristotelicam doctrinam approbans Theodoretus ait: *Verus profecto sermo, consuetudo est altera natura: omnia enim, quæ longa consuetudine animus comparavit, paria censentur cum naturalibus.* Cum itaque natura prorsus sit immutabilis & invariabilis, peccatorem inveteratum & peccandi consuetudine imbutum immutabilem quasi esse, & ad sanctam vitam vix convertibilem, liquidò constat. Quod totum clarissimè unicus hic Scripturæ declarat locus: *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, vos poteritis benefacere, cum didiceritis mala.*

Aristotel.

Theodor.

Ierem. c. 13. vers. 23.

Sed modò hoc tum ex sacra Scriptura, tum ex SS. PP. ad majorem invictæ Amazonis nostræ Mariæ extollendam potentiam efficacius corroboremus. Evangelista Marcus cap. 9. de afflicto quodam, ob filii sui miserrimum statum, patre refert, quòd ipse primò ab Apostolis Christi auxilium & opitulationem obnixè expetierit, quatenus obsessum ab infernali spiritu liberare dignarentur, verùm hi, adhibita omni cura, omnique, qua pollebant potentia, nil efficere potuerunt, ut apertè indicat textus: *Dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt.* Quo viso, miser pater ultimum arripit remedium, & ad supremum & potentissimum medicum Christum Jesum capit refugium, illumque humiliter, filii his verbis exponens miseriam, alloquitur: *Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit.*

Marc. c. 9. v. 16.

Vers. 17.

Super

Super quæ Scripturæ verba maximè hìc annotandum occurrit, quòd discipuli Christi hunc diabolum ab obsesso depellere non potuerint, cùm tamen ipsimet de hac sua supra dæmones potestate sese jactaverint: *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* Luc. 10. v. 17.

Pro hujus difficultatis enodatione Glossa Interlinearis curiosè advertit sequentia quædam Scripturæ verba. Et petit, cur Christus Dominus à patre diuturnitatem temporis obsessionis inquirat? *Et interrogavit patrem ejus, quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* Cùm enim ipse sit infinita æterni Patris sapientia, cui nullum momentum & tempus occultum est, sed omnia nuda & aperta sunt oculis ejus: quare de tempore rogitat? Respondet Glossa: *Non quasi ignorans interrogavit, sed ut diuturnitas infirmitatis ostensa cautionem faciat.* Sed quam quæso? S. P. N. Augustinus asserit sæpe sæpiùs, omnes infirmos à Christo sanatos, omnesque mortuos ad vitam revocatos, expressissimum fore peccatoris symbolum, & quia inter peccatorem & peccatorem, malitiam & malitiam, magna est differentia: ita ad eum convertendum major & major requiritur potentia ac efficacia. Christus itaque, audito discipulis suis vires defecisse dæmonem expellendi, appositè indagat: *Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* ut ex patris responso, *ab infantia*, infirmitatis & mali radicatio innueretur. Vers. 20. Cùm ergo hic ab ipsis incunabulis obsessus, peccatorem inveteratum, & in iniquitate obduratum repræsentet, potentia Christi & divina exigitur, juxta dictum Bern. peccatorem obstinatum ad rectam piæ vitæ semitam reducere, *non humanæ infirmitatis, sed divinæ est potestatis.* Hinc & Christus manum suam, etiam hoc perpetrans miraculum, adhibet, ut notat Scriptura, illumque à terra elevat: *Iesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit*: ut indicaret, huic operi divinam manum planè necessariam fore. Vers. 26.

Pulcherrimam hujus reperiemus confirmationem, si oculos mentis nostræ in tres diversos mortuos, quos Scriptura à Christo resuscitatos fuisse commemorat, conjiciamus. Maximè enim notatu dignæ sunt circumstantiæ, & ceremoniæ, quas Salvator noster in his miraculis, non absque magno mysterio adhibuit, Lucæ cap. 7. pius Dominus in civitate Naim lachrymis afflictæ matris, unigeniti mortem amarè deplorantis, commotus, ad feretrum accedens, illud leviter tangit, Lucæ c. 7. v. 14. & simplici voce ait: *Adolescens, tibi dico, surge*, & sic defuncto vitam restituit, matrique mirabilia Domini opera magnificanti tradidit. Marci cap. 5. rursus in domo Archisynagogi mortuam illius filiam ad vitam revocat. Verum notandum quàm maximè est, eum hic voci etiam divinam suam manum admovisse: *Et tenens manum puellæ, ait illi; puella tibi dico, surge, & confestim surrexit puella.* Marci c. 5. v. 41. Tandem Joannis cap. 11. fætidum & quatriduanum resuscitat Lazarum; sed antequam stupendum hoc opus Christus adoriretur, plurima, ut accuratè Scriptura animadvertit, prodigiosa ostendit signa. Ioan. c. 11. Primò enim *infremuit spiritu, & turbavit semetipsum*; V. 33. deinde internam animi atque mentis innuens amaritudinem, lachrymas effudit, *& lachrymatus est Iesus.* V. 35. Postea æternum Patrem pro Lazari resuscitatione exorans, oculos ad cælum direxit: *Iesus elevatis sursum oculis*, eumque his verbis est deprecatus: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.* V. 41. Quibus peractis, tandem voce magna clamavit: *Lazare veni foràs. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus.* V. 43. Hìc subtilissimum illud Africanum ingenium S. P. N. Augustinus obstupescit, quid sibi velint tam insolitæ ceremoniæ, & tam prodigiosa Salvatoris nostri animi commotionis signa portendant, vix capiens. Nec sanè immeritò, nonne enim ille, qui adolescentem unicâ voce ad vitam reducere potuit, eâdem quatriduanum Lazarum suâ cooperante potentiâ valuit resuscitare? indubiè. Quid itaque sub his ceremoniis delitescat mysterii, sedulò est inquirendum.

Pro quo recurrendum est ad tria alia Scripturæ loca, quæ nobis declarant, quàm diversimodè Deus in suo ministerio tres celeberrimos tractaverit Prophetas: scilicet Moysem, Jeremiam, & Isaiam. Hic precibus & lachrymis populi Israëlitici, sub severa & dura impii Regis Pharaonis servitute ingemiscentis, ad pietatem & commiserationem commotus, illum in brachio forti, & in manu potenti ex Ægypto educere statuit, eique libertatem reddere. Quod, ut opere compleret, fidelissimum suum servum Moysem vocat Exod. c. 3. ipsumque electi populi sui præfectum & ducem declarat, dicens: *Clamor filiorum Israël venit ad me: vidique afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur: sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israël, de Ægypto.* Exod. c. 3. v. 9, & 10 Moyses, tantâ novitate perculsus, sese tanto oneri imparem judicans, humiliter illud hu-

meris suis excutere conatur, & ait: *Quis sum ego,*
ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël
de Ægypto. Ac si diceret, ego Domine non sum
armis assuetus, nec militiæ gnarus, quomodo ita-
que potentissimo Regi resistere potero? Omnes
indubie in prælio occumbemus, si Pharao contra
nos imbelles exurgat. Deinde Domine, quomo-
do ego divinam tuam tanto Monarchæ, in iniqui-
tate sua obstinato, denunciabo voluntatem, atque
ab illo in illam extorquebo consensum? Et maxi-
me, *quia non sum eloquens ab heri & nudiuster-*
Exod. 4. *tius: ex quo locutus es ad servum tuum, imperitio-*
v.10. *ris & tardioris linguæ sum.* Ad hoc replicat Do-
minus, ô Moyses, quid hæsitas? quid moraris?
quid dubitas? dic mihi, *Quis fecit os hominis? aut*
V.11. *quis fabricatus est mutum & surdum, videntem*
& cœcum? nonne ego? perge igitur, ne expavescas
V.12. à facie Pharaonis, *ego ero in ore tuo: doceboque te*
quid loquaris. Ecce Deus (quod hîc maximè an-
notandum est) defectum balbutientis linguæ di-
vino suo verbo tollit.

Alia quadam vice Deus Jeremiam ad se vo-
cat, illumque Prophetam in Israël constituit, di-
cens: *Priusquam te formarem in utero, novi te: &*
Ierem. 1. 5. *antequam exires de vulva, sanctificavi te, & Pro-*
phetam in gentibus dedi te. Eique mandat, ut ido-
lolatrias, & abominanda scelera populo Israëlitico
audacter improperet, illumque graviter repre-
hendat: *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, &*
loquere ad eos omnia, quæ præcipio tibi. Ne formi-
des à facie eorum. Jeremias hoc divino mandato
perterritus, tam onerosam curam detrectans,
suam verbi divini deprædicandi imbecillitatem
ac incapacitatem ob linguæ defectum, ad instar
alterius Moysis, allegat, dicens: *A, A, A, Domine*
Deus, ecce, nescio loqui, quia puer ego sum. Verùm
nec hac Jeremiæ Deus contentus excusatione, in-
V. 6. stat: *Noli dicere, quia puer sum, quoniam ad om-*
nia, quæ mittam te, ibis: & universa, quæcumque
mandavero tibi, loqueris. Quod ut facilè exequi
valeret Propheta, illius Deus teneram & balbu-
tientem linguam subitò disertam reddidit, om-
nemque loquendi defectum prorsus depulit. *Et*
V. 9. *misit Dominus,* inquit Scriptura, *manum suam &*
tetigit os meum & dixit Dominus ad me: ecce dedi
verba mea in ore tuo Ecce hîc (quod rursus adver-
tendum) Deus verbo manum adjungit, sicque
Prophetam ad divinum præceptum promulgan-
dum habilem efficit.

Pro tertia vice à Deo citatur Propheta Isaias, &
mirabili visione excitatur, ut patet ex cap. 6. ad
verbum Dei, & legem justitiæ iniquo populo
denunciandam; verùm & ipse taciturnus hæret,
cujus ipsemet subjungit ibidem rationem: *Væ*
mihi, quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum. Isaia 6. 5.
Ast modò annotate, ô Auditores, quomodo à
Domino hæc Prophetæ labiorum coinquinatio
tollatur: *Et volavit ad me,* inquit, *unus de Sera-*
phim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tu- V. 6. & 7.
lerat de altari. Et tetigit hoc labia tua, & aufere-
tur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.
O admirabile mysterium! trium Prophetarum lo-
quelæ defectus, ac imperitia à Deo aufertur, sed
valde dissimiliter. Etenim Moyses solo verbo, Je-
remias divinâ manu, Isaias verò ignito carbone
curatur. Sed cur tantam Deus hîc remedii adhibet
differentiam?

Mihi videtur Deum in hoc agendi modo Me-
dicorum usum fuisse stratagemate, aut, ut veriùs
dicam, in ægrotis curandis Hypocratis & Galeni
regulis. Hi leviter infirmo levia, graviter labo-
ranti fortia, extreme verò ægrotanti, & quasi a-
gonizanti, extrema medicamenta adhibenda esse
docent, juxta tritum illud apud Medicos axioma:
Extrema extremis remedia adhibenda sunt: Aut
juxta alios: *Extrema extremis vincuntur.* Haud
aliter, inquam, sese gerit cum tribus præfatis Pro-
phetis summus ille spiritualis & mysticus Medi-
cus Deus; malum enim Moysis leve erat, &
nondum radicatum, quia parumper tantùm dura-
verat, ut patet ex textu: *Non sum eloquens ab heri*
& nudiustertius. Et ideò levi remedio, unico
scilicet verbo sanatur: *Ego ero in ore tuo,* ad
Jeremiæ verò malum auferendum manus ip-
sius Dei exigitur, quia aliquantulum erat invete-
ratum: *Nescio loqui, quia puer ego sum.* Durave-
rat enim usque ad pueritiam. Quia autem malum
Isaiæ longo tempore fuerat radicatum, opus est,
ad illud depellendum, extremo & potentissimo
remedio, ideòque ignitus carbo applicatur:
Vir, inquit, *pollutus labiis ego sum:* tres hi Pro-
phetæ, juxta S. Hieronymum, repræsentant
tres diversos peccatoris status. Moyses recen-
ter lapsum, qui bona admonitione & Concio-
natorum, verbi divini semen seminantium, ex-
hortatione, à via prava avocatur, & ad sanio-
rem mentem reducitur. Jeremias iniquitati &
peccato commisso paulisper inhærentem, sibique
in eo quodammodo complacentem, qui tactu
divinæ manus, id est, gravi quadam tribulatione,
ut

ut infirmitate, bonorum temporalium perditione, vel filiorum ex hac vita ereptione, à peccatis suis tandem avellitur, & ad veram pœnitentiam attrahitur. Sed Isaias, quia jam ad virilem ætatem pervenerat, obduratum & obstinatum peccatorem significat, qui non nisi in fortitudine brachii divini, & miraculosè quasi à prava sua peccandi consuetudine liberatur. Nec verbis, nec admonitione, nec precibus, nec minis, nec infirmitate, aut quacumque tribulatione corripitur, sed pertinaciter peccaminosæ insistens vitæ, cuncta pia monita spernit, juxta illud Sapientis: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum,* *contemnit* Scilicet Deum, ejusque leges. Et ut rectè ait Lyranus: *Contemnit supplicia, contemnit correctionem, pœnitentiam, omnemque medicinam.* Cujus genuinam reddit rationem Cæsarius: *De multitudine peccatorum desperatio nascitur, & ex desperatione, absque ulla reverentia peccatorum frana laxantur.* Et impletur illud Jeremiæ: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino* Ideòque non nisi summâ potentiâ, ferro scilicet & igne potest eradicari. audite S. Hieronymi verba: *Quia Isaias perfecta & solida atatis erat, mittitur Seraphim, qui non Dei manu, sed forcipe, & carbone tangat os ejus, ut iniquitates auferat.* *Hìc autem*, scilicet in Jeremiæ curatione, *mittitur Dei manus, ut peccata auferat, qua per pueritiam multa non fecerat.* Hâc itaque mysteriosâ ceremoniâ Deus significat, quam difficulter inveteratus peccator ad meliorem vitæ frugem convertatur, ejusque conversionem non esse infirmitatis humanæ, sed potestatis divinæ. Quia, ut rectè ait Gregorius: *Vsitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur & labitur. Nam ubi diu spontè persistit, ibi cùm noluerit, cadit.*

Prov. 18. v. 3.

Lyranus Cæsarius.

Ierem. 17. v. 1.

Hier. in c. 5. Ierem.

Ex hoc jam facilè dissolvetur jam tacta de tribus mortuis difficultas; hi enim etiam tres spiritualiter mortuos præfigurant peccatores: inveteratum verò, & consuetudini peccandi involutum, fœtens designat Lazarus, qui difficulter à morte hac animæ ad vitam revocatur. *Tertius mortuus*, inquit S. P. N. Augustinus, *Lazarus genus mortis horrenda, & magna consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat, & cominuò corrigitur, citò reviviscit, quia nondum est implicatus consuetudini; qui autem peccare consueverit, sepultus est, & bene de illo dicitur, fœtet.* Et pergit S. Doctor: *Tales sunt omnes assueti sceleribus, & perditis moribus.* Et tandem explicans mirabilis Christi in resuscitatione Lazari ceremonias, concludit: *Turbavit semetipsum, fremuit Dominus, & lachrymatus est, & voce magnâ clamavit, ah! quàm difficilè surgit, quem moles prava consuetudinis premit! quid ergo, quòd turbet semetipsum Christus? nisi ut significet tibi, quomodo turbari tu debeas, cùm mole peccati gravaris.*

Augustin.

Audistis auditores utcumque, quàm difficile sit, obduratum peccatorem è cœno & luto iniquitatum suarum eripere: intellexistis credo, divinam requiri, ad talem convertendum, & ad veram pœnitentiam reducendum, potentiam: quia hoc opus, ut incessanter clamat S. Bernardus: *Non est infirmitatis humana, sed potestatis divina.* Sed nonne hac nostra invicta Amazon Maria caret? minime sane: sed & in hoc *mirabilis potentia ipsius.* Unde Damascenus Mariam appellat, *Receptaculum divina potentia*, quia illa derelictos peccatores, & desperatos ad cælestem patriam potenter evehit, teste Bonaventurâ, dicente: *Ruth ergo in oculos Boos, Maria in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, id est, animas à messoribus relictas, colligere ad veniam possit. Qui sunt messores, nisi Doctores & Rectores? O verè magna Mariæ gratia! qua multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & Rectoribus, tamquam incorrigibiles relinquuntur.* Hanc Mariæ potentiam apprime experientiâ edocta, indubie profitebitur Maria Ægyptiaca, quæ in carnalibus deliciis septemdecim annis insumptis, Mariæ Virginis, ut testatur Nicephorus, interventu, pravâ anteactâ vitâ abjuratâ, in summa continentia vitam finiit. Nec illam quoque ipsi denegabit obcæcatus ille peccator Theophylus, qui è diaboli & inferni faucibus per illam potenter, teste eodem, ereptus est. Neque talem potentiam in Marianas laudes milleni & milleni decantare desistent obdurati peccatores, qui sese illius intercessione ab æterna damnatione liberatos, & ad cælestem gloriam evectos, apertissime confitentur. Nec desunt sane quàm præclara SS. PP. testimonia, quibus præfata veritas firmiter comprobatur. In Mariæ enim encomia erumpens S. Bonav. asserere non veretur: *Verè Domina Regina es misericordia, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiã Salvatoris, si ad tuum*

Bonav. in spec. Virg.

Bonav. de stimulo amoris 3. p. cap. 19.

Ansel. orat de Virg.

tuum declinaverit regimen. Et Anselmus audacter ait: *O Maria, tu peccatorem toti mundo despectum, materno affectu complecteris, nec deseris, quousque Deus per te placatus, ipsum suæ gratiæ recuperabit.* Cui constanter accinit Damianus: *Fecit tibi magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cælo, & in terra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis revelare.* Imò S. Catharina Senensis testatur, hæc sese ex ipsomet Mariæ Virginis ore verba, in persona Patris æterni excepisse: *Mariæ unigeniti filii mei genitrici gloriosæ concessum est à bonitate mea, propter Incarnati Verbi reverentiam, quòd quicumque justus, vel peccator, qui recurrit ad eam devotâ reverentiâ, nullo modo deripietur, vel devorabitur ab infernali dæmone: nam ipsa est à me, velut esca dulcissima collocata, & electa pro capiendis hominibus, & animabus peccatorum.* Quibus concinere clarissime videtur rursus S. Anselmus: *Tu Domina per ipsam gratiam, qua te Pater omnipotens Deus sic exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia donavit, quatenus id apud ipsum pro nobis impetres & obtineas. Benignissimus filius tuus Dominus noster Iesus Christus erit ad concedendum, quidquid voles, promptissimus & exaudibilis. Tantummodò velis salutem nostram, & verè nequaquam salvi esse non poterimus.*

S. Dam. ser. 2. de Nat. Virg.

Bonav. de stimulo divini amoris, 3 p. c. 19

Ansel. orat de Maria Virg.

Tract 4. dial. c. 139

Ansel. de excellentia D. Virg. cap. 12.

O mirifica Mariæ Virginis authoritas! ô ineffabilis Amazonis nostræ Dei genitricis in SSS. Trinitatis consistorio potentia! ô mirabilis pro peccatoribus patrocinandi virtus & efficacia! si pia tantùm velit hæc Domina salutem peccatorum, *nequaquam salvi esse non poterimus.* Ob hanc obstupefactus S. Antoninus, cogitur exclamare: *Sapientia advocati, & eloquentia manifestatur ex tribus, scilicet, quòd obtineat apud justum, & sapientem judicem: secundò contra adversarium astutum, & sagacem protegat. Tertiò, quòd in causa desperata vincat: sed Virgo Maria advocata nostra obtinuit apud sapientissimum, & justum judicem Deum, contra astutissimum adversarium diabolum in causa desperatissima, inter Deum & hominem, in qua nullus hominum, qui eam præcesserant, loqui audebat.*

Antonin. 4. p. tit. 15. c. 19. § 2.

Ex omnibus his ausim deducere, & constanter asserere, Mariæ devotionem & cultum infallibile fore divinæ prædestinationis, è contra in ea colenda socordiam & negligentiam reprobationis signum. Unde ô homo, vis expiscari, an electorum, an verò præscitorum annumeratus sis numero? inquire, quomodo Virginem hanc venereris: inspice mentis oculis cordis tui penetralia, & vide, an in eo devotio erga Mariam resideat; quam si invenis, perire neutiquam potes; sin minus, æternas flammas non evades. Hoc sese ab ipsamet Virgine attestatur didicisse B. Alanus: *Secretum,* inquit Maria, *Alane pandam jam tibi divinæ providentiæ: scias enim, & securè intelligas, quòd deinde latè aliis patefacias, quod videlicet signum probabile & propinquum æternæ damnationis, horrere, & attædiari, & negligere Angelicam salutationem, totius mundi reparativam; habentibus verò devotionem ad hanc, signum est ordinationis permagnum ad gloriam.* Hanc eandem doctrinam amplectitur S. Bernardus, dicens: *O homo! securum habes accessum ad Deum, ubi mater stat ante filium, & filius ante patrem: mater ostendit filio pectus & ubera, filius ostendit patri latus, & vulnera, nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia.* Ex quo mox hoc format argumentum: si ergò nulla potest esse repulsa, ergò sequitur, quòd servire Mariæ sit certissimum signum salutis æternæ consequendæ.

B. Alanus in Ps Vir. cap. 11.

Bernard. ser. super Missus.

Ob hanc tam inauditam Mariæ Virginis ad miseris peccatoribus, ad æternas pœnas damnandis, viam salutis sternendam, & cælestia regna aperienda, eosque dæmonum faucibus eripiendos potentiam, illi rectè potest appropriari illud Apocalyp. *Data est ei clavis putei abyssi,* potestque sibi & in illa gloriari Maria, ac dicere: *Habeo claves mortis & inferni* quia quem ipsa vult, salvus fit, & à quo ipsa faciem suam avertit, vadit in interitum. Nec ullatenus admiror, SSS. Trinitatem tantam Dei Matri communicasse authoritatem, ut, tum apud inferos, tum apud superos absolutè dominetur: præsertim, dum inania & vana perlego Ethnicorum deliria. Narratur ab Historicis, olim Romanos summo cum honore habuisse Deam Berecinthiam, (cujus etiam meminit S. P. N. Augustinus lib. 2. de civit. Dei) quam matrem omnium Deorum appellabant; etenim illi varii cultus & venerationis signa exhibebantur, ut testatur commentator Augustini in hunc locum, & Valerius Maximus, *Sæpius Imperatores Romani,* inquit, *qui Imperia gesserant: sicut Consules, Prætores, & hujusmodi compotes victoriarum, post obtentas victorias, suscepta vota, ad Pessimitricem* (hoc enim nomine quoque gaudebat Berecinthia, eò quòd ejus imago, antequam Romam

Apoc. 9. 1.

August. l. 2. de civ. Dei, cap. 4.

Val. Max. lib. 1.

translata fuerat Pessimii coleretur) *profecti solverunt*. Horum cœcam ergà falsam illam Deam reverentiam non tantùm manifestiùs ostendunt quàmplurimi à Romana Republica insumpti labores, ad Pessimienses inducendos, quatenus tantæ Deæ simulacrum ad caput mundi, urbem Romam transferri permitterent: verùm etiam non parum indicat solemnis pompa, communis populi applausus & insolitus triumphus, quo intra muros civitatis recepta est Berecinthiæ imago. Imò ne quopiam in ritu, sacrificio, ac ejus cultu errarent, Deamque offenderent, Apollinis oraculum consuluerunt, à quo edocti, quod clarissimus omniū civium vir in occursum tantæ Matri egredi deberet, qui ingentia venerationis signa ei demonstraret; ad id munus strenuissimum belli Ducem Scipionem Nasicam, virum omni exceptione majorem, deputârunt; qui obviam procedens Berecinthiæ simulacro, ante illud jam urbi appropinquans, sese in terram projecit, Deamque humiliter adorans, illi, tamquam Romani Imperii Dominæ, claves Romæ, nomine totius Senatus obtulit. Hæc stulta gentilitatis figmenta sunt, sed præsenti instituto quàm maximè consona.

Adinstar enim Romanorum mihi videtur sese gessisse SS. Trinitatem cum cœlesti illa Berecinthia Maria, non falsa fictorum Deorum, sed veri & æterni Dei Matre. Ad hanc enim jam dudum in terra, tamquam in exilio quodam quasi commoratam, universo supremæ curiæ Senatu anhelante, pulcherrimum hoc Deitatis simulacrum in cœlum à SS. Trinitate transportari, & summa cum pompa cœli Reginam recipere desiderante, tandem cœlestium spirituum desiderio satisfacere decretum est. At ne triumphali hujus Berecinthiæ error quispiam officeret ingressui, ad tantam matrem in cœlestia regna suscipiendam, proprius filius Christus Jesus, strenuissimus ille Dux deputatur, qui comitante totâ cœlesti aulâ illi obviam progressus, claves cœlorum ac divini thesauri, tamquam absolutæ totius superni Imperii Dominæ, dilectæ Genitrici præsentavit; ut hoc ostenderet, sicut Romani quod Romæ, non nisi unica necessaria foret protectrix & Domina, scilicet Berecinthia, idque quia omnium Deorum mater credebatur, mundum quoque non nisi unicâ indigêre Domina & patrona Maria. Quod evidenter de facto confirmavit Papa Bonifacius, ut refert in Augustinum commentator, qui templum Pantheon, in honorem fictæ hujus Deæ Berecinthiæ, à Domitiano Imperatore erectum, maxima cum solemnitate Mariæ Christi Matri consecravit, omnes Christi fideles ad hujus cultum suo piè provocans exemplo.

Quod cum ita sit, ô Christiani! impii peccatores! quid modò facto opus? Omnes indubiè desideratis & ardenter appetitis eam, ad quam creati estis beatitudinem, scilicet beatificam divinæ essentiæ visionem: intellexistis, quâ viâ incedendum sit, cognovistis ex suprà dictis, Mariam esse cœlestis regni clavigeram, atque omnium divinorum donorum thesaurariam: eja ergò arripite salutare S. Ephraim consilium, ac unusquisque Virginem Mariam divinis illis verbis deprecetur: *Sub alis tuis custodi me, & protege me, miserere mei, qui sum luto inquinatus, ne adversus me glorietur Satanas.* Cui Sancto adstipulatur Bernardus: *Data est ei potestas in cœlo & in terra, qua potestas est, ut in manibus ejus vita & spes nostra consistit. In tempore ergò opportuno levemus fratres cor nostrum cum manibus ad eam, & appropinquemus ei passibus amoris, immolantes ei hostiam laudis, reddentes vota nostra de die in diem, de hora in horam, dicentes assiduè, salve Regina Mater misericordiæ!* Nec vana hæc, ô homo! horum SS. PP. nec inanis est exhortatio, verùm hæc infallibili divini Spiritus sancti innititur consilio ad te clamantis his verbis per Sapientem: *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua vias ejus, investiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus, ne derelinquas eam, in novissimis enim invenies requiem,* scilicet æternam, quam vobis omnibus & mihi benignus concedat Deus Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

Eccl. c,6. v.28.

CONCIO XXI.

THEMA.

Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum à partu. Oseæ cap. 9.

ARGUMENTUM.

Ad resarciendum, toti humano generi per primam protoplastis Adami prævaricationem illatum exitiale damnum, omninò necessaria fuit Maria Virgo; sola enim illa, mediante cœlesti partu Jesu Christo illud potuit reparare.

VEteres fabulosæ referunt historiæ de famosissima atque fertilissima Insula Creta, cujus etiam meminit Virgilius: quod hæc quodam tempore incognito exitiali morbo miserrimè fuit afflicta, qui parvo temporis spatio adeò excrevit, ut centum celebres, quas illa comprehendit civitates, infecerit. Ad huic infirmitati medelam aliquam reperiendam, medicorum omnium succumbebat ingenium, vana omnis industria & inanis sedula cura; quo magis enim eruendo è medio populi tam contagioso malo invigilabat humana solertia, eò plus illud grassabatur ac ulterius serpebat. Hinc Cretæ incolæ humanis planè diffidentes viribus, veriti totalem populi interitum & occasum, suppetias in tanta anxietate à Dea Minerva, quæ tum temporis in summa veneratione apud Athenienses habebatur, communi consensu expostulare decreverunt. Ad hunc finem missi Athenas Legati, oblata non vulgaria in Deæ honorem sacrificia, cunctæque quæ ad divinum cultum ac Minervæ venerationem spectabant, exactè peractæ sunt ceremoniæ. Ad hæc non ingrata Minerva, patrem suum Jovem pro Cretensibus deprecatura accessit, atque ab eo Apollinem fratrem medicinæ (ut fingunt Poetæ) inventorem in terram dimitti expostulavit, ut afflictæ huic genti divinâ suâ arte subveniret. Quo imperrato, Minerva Apollinem è cœlo traxit, eumque ad terram deduxit. Is patris sui Jovis mandato obediens, Cretensium tantoperè infirmorum, & viribus destitutorum pristinæ sedulò sategit salutis, ac pro horum solamine divino, gratoque oblato Jovi sacrificio, exclamavit: *Morbus præcessit, salus autem appropinquavit; surgite ergò miseri, & salutem pristinam quam perdidistis accipite.* Ac si diceret, ecce O Cretenses! Minerva è divino meo solio suâ potentiâ me in terram, tamquàm supremum medicum, in tuum traxit solatium, illi meum deberis descensum, ac proinde pro tãto vobis collato beneficio, secundũ consuetudinem veterem, in æternam grati animi memoriam, magnificam ipsi erigite statuam, cum insculpta hac epigraphe: *Minerva unica Cretensium salus.*

Ephraim, id est, genus humanum à mandato Dei deflectens, & quasi avicula, ruptâ debitæ rationis cordulâ, è divina specialis directionis manu, ad densissimam voluptatum & sensualium deliciarum sylvam avolans, in acutos voracissimi falconis, nempè diaboli incidit ungues, misereq; natura sauciata est humana, ut attestatur Bernardus: *Mirabiliter laborabat natura humana, quia erat facilis ad seduci, debilis ad operandum, fragilis ad resistendum.* Ideoque hæc tantoperè pro experto

perto & scientifico exclamabat medico, ad unum avidè anhelabat Apollinem: *Mitte, quem missurus es.* Pro quo obtinendo totius quasi universi, cœli & terræ implorabat subsidium: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Etenim pro resananda perniciosa hæc vulnera, illi per primam Adami prævaricationem inflicta, pretioso summi istius Jovis, æterni Patris filii, verbi divini incarnati indigebat balneo, è purissimo illius sanguine confecto, quo carens, ingemiscens lachrymabunda voce cum Paralytico, ante piscinam probaticam jacente, suum miserum deplorabat statum: *Hominem non habeo.* Verùm frustrà. Exspectanda namque erat potentissima illa Minerva, Maria Virgo, supremi Jovis è millibus electa filia, ut Verbum summum medicum è sinu æterni Patris, cœlestique throno extraheret, & ad infirmum hominem deduceret. Hinc repetitæ sæpe sæpiùs à Sanctis Patribus in limbo detentis, exaudiebantur exclamationes: *Frater non redimit, redimet homo.* *Psal. 48. v. 8.*

Sed ecce, ubi hæc divina Minerva in oculis divinæ Majestatis apparuit, non in Cretensium, ut falsa Poetarum Minerva salutem, sed vera Dea in totius humani generis redemptionem, summum Apollinem, Verbum æternum è cœlo ad terram descendere fecit, ac in sacrosancto uteri sui thoro conclusit. *Magnus de cœlo,* inquit S. P. N. Augustinus, *descendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus,* qui admirabili illo æterni Patris, pro homine sanguinolento in monte Calvariæ oblato sacrificio, ejus iram & furorem delinivit, & generi humano graviter ægrotanti, salutarem medicinam attulit. Unde mihi videtur eum ad nos clamantem audire, adinstar alterius Apollinis ad Cretenses, O Christiani! Minerva Maria Virgo me ad mundum allexit, imò ut rectiùs dicam, violenter è cœlo descendere cogit, illi itaque in grati animi mnemosynon intimo cordis vestri hanc insculpite epigraphen: *Maria unica generis humani salus* Nec illud ei attribuere ullatenus veretur elogium S. Bernardus dicens: *Ave igitur Dei & hominum reparatrix, ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima.* Quod quanto cum fundamento præfatus Doctor asserat (ut inde manifestè appareat, quàm mundo necessaria extiterit hæc Minerva Maria) ea prius pro sponsi ejus auxilio invocata, hoc discursu breviter ostendam. Ave.

Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum à partu.

AD propositam materiam pertractandam meumque intentum efficaciter comprobandum, scilicet divinæ Minervæ Deiparæ Virginis in hunc mundum adventum saluti humani generis fuisse necessarium, operæ pretium duxi illã, quam Spiritus S. Gen. c. 32. enarrat historiam, mente recolere. Jacob, postquam plurimis annis à patria exul, in Mesopotamia apud Laban commoratus fuisset, tam longo pertæsus exilio, ad natale anhelans solum, tandem cum Rachaele uxore sua, Lia totaque familia, & cum cunctis armentis eò pergere decrevit. Verùm nimiam fratris sui Esau veritus potentiam, ob fraudulenter ereptam Patris, primogenito debitam benedictionem, omnem curam, omnem industriam, omneque remedium, fratrem sibi reconciliandi adhibuit, eumque muneribus placare sategit: idque prudentissimè, ait enim Sapiens: *Munus extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximã.* *Prov. c. 21. v. 14.* Quapropter, ut habetur loco cit. *v. 15.* *separavit de his, quæ habebat, munera Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earũ decem;* *Vers. 20.* *& misit per manus servorũ suorũ, dixit enim: placabo eum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illũ forsitan propitiabitur mihi.* Sed Esau omnia Jacob dona & munera neglexit, nihilque ex iis, quæ oblata erant, accepit, ut satis apertè ex textu colligitur. Jacob itaque oculos suos elevans, & videns de longè Esau fratrem suum venientem, *divisit,* inquit Scriptura, *Gen. c. 33. v. 1. & 2.* *filios Liæ & Rachel ambarumque familiarum, & posuit utramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam verò & filios in secundo loco: Rachel autem & Ioseph novissimos.* *Vers. 4.* Verùm Esau (quod hic maximè advertendum est) & ancillas & filios earum, imò & Liam ejusque liberos, absque ullo reconciliationis & amicitiæ signo vel testimonio pertransiit. At verò cùm ad Rachaelem & Joseph devenit, currens obviam fratri suo, *amplexatus est eum.*

Ad quod penetrandum mysterium, annotat doctissimus Cartagena, excandescentem Esau præfigurasse iratum Deum, Jacob protoplastem Adamum, totumque genus humanum, in quo mysticus ille Esau irascebatur, illudque severè insequebatur, quia benedictionem, sibi inhibitam, scilicet

ligni vetiti dominium, arripuerat, divinitatemque soli Deo propriam appetierat. Homo itaque à cœlesti patria suâ culpâ exul, tanto malo medelam, tamque gravi infirmitati salutarem sedulò indagabat medicinam, & ad iratum Deum sedandum, omni modo efficax conabatur expiscari remedium, nec inveniebatur. Lex enim naturæ & scripta, animalium oblationes & pecorum sacrificia præmittebat, sed inania & inefficacia erant opera: ideoque instar Esau, Deus ea tamquàm ancillas & liberos earum contempsit. Liam quoque, id est, servilem circumcisionis statum, sine ullo misericordiæ fructu effluere permisit, teste Da-
Dan. c. 3. v. 38. niele Propheta: *Non est in tempore hoc Princeps & Dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiorum coràm te, ut possimus invenire misericordiam tuam.* At verò ubi in mundo pulcherrima hæc Rachael Maria cum tenello suo Josepho Salvatore Christo Jesu apparuit (quem recenter natum pia Mater in templo, tamquam hostiam pacificam severo Esau, æterno scilicet Patri, in totius humani generis redemptionem voluntariè obtulit) omnis illius abscessit furor, divinaque justitia totaliter est placata, ac Danielis lamentationi finis impositus, qui nunc neutiquam clamare potest: *Non est in tempore hoc Princeps, Dux, &c.* Quia mediante hac oblatione, misericordia inventa est, juxtà illud Davidis vaticinium: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Unde divinus hic puerulus tacitè, ad instar Apollinis ad Cretenses, à cœlesti hac Maria è cœlis attractus, ad homines quasi exclamare videtur: *Morbus præcessit, salus appropinquavit,* ut prædixerat Propheta Mala-
Malach. c. 4. v. 2. chias: *Orietur vobis sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus: Surgite ergò miseri,* excutite fœtidas peccatorum vestrorum fœces: *& salutem pristinam,* scilicet salutarem animæ gratiam sanctificantem, *quam perdidistis, accipite.* Etenim hâc pergratissimâ Mariæ Genitricis meæ tam immaculatæ hostiæ oblatione, penitùs placatur Pater, ac perennis misericordiæ & benignitatis fons cunctis aperitur. Hujus incruenti in templo Jerosolymitano holocausti oblati efficaciam & utilitatem maturè considerans Bernardus, infinitamque oblatæ hostiæ dignitatem & valorem profundè penetrans, in has prorumpit voces: *Hodie sistitur crea-*
Bern. ser. 2 de Purific. *tori terræ fructus terræ sublimis, hodie placabilis, & Deo placens hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur à parentibus, à senibus exspectatur. Offerunt Ioseph & Maria sacrificium matutinum,* per quod suscipimus magnam benignè misericordiam. Sed audite quæso ex Bernardo quantam. *Ex*
Bern. ser. 1. de Purific. *hoc planè jam suscepimus Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim & nos naturâ filii iræ, sed consecuti sumus misericordiam. Cujus iræ filii, & quam misericordiam consecuti? Nempe filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis, & consecuti sumus sapientiam, virtutem, redemptionē. Ignorantia mulieris seductæ excæcaverat nos, malitia diaboli expositos justè à Deo captivaverat nos. Sic ergò nascimur universi; primùm quidem viæ civitatis, habitaculi prorsùs ignari, deinde imbelles & ignavi, ut si nota nobis esset via vitæ, propriâ tamen præpedimur & detinemur inertiâ. Postremò captivi sub pessimo crudelissimoque tyranno, ut licet prudentes essemus atque robusti, ipsâ tamen miseræ servitutis opprimeremur conditione. Numquid non misericordiâ & miseratione opus multâ habet tanta miseria?* Hanc autem in hac sacrosancta oblatione recipimus. Maria itaq; nobis est ut altera Cretensibus Minerva, quæ è cælo cœlestem illum Apollinem, magnum Medicum, Verbum inquam æternum ad terram allexit, quod salutari pretiosi sanguinis sui pharmaco, lethalia animæ nostræ vulnera curavit, irati Dei animum sedavit, atq; jam dudum exulem misericordiam mundo protulit universo. Quod disertè rursùs attestatur S. Bernardus: *Suscepit misericordiam*
Loco citato. *Domini David, suscepit Simeon, suscepimus & nos: in medio enim templi misericordia est, non in angulo, non in diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum, in communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit.*

O admirabile holocaustum! ô efficacissimum sacrificium! O divina planè & maximè placabilis oblatio! sed ô eximia Virgo? quis te urget, quæ lex te premit, transactis purificationis diebus, unigenitum tuum in templo Domino offerre? O Domina! inspice dignitatem tuam, tu purissima, Mosaicæ legi neutiquàm es subjecta, ut apertè tuus confitetur dilectus Bernardus: *Quis*
Bern. ser. 3 de Purif. *non advertit in ipso sententiæ hujus initio* (latæ scilicet Levit. cap. 12.) *liberam matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim, quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super matrem Domini blasphemiæ crimen incurrere, & idcircò præmiserit, suscepto semine?* Patet itaque, quod lex ista Matrem Domini non includat, quæ non suscepto semine, filium peperit. Quid ergò ô piissima Mater! unigenitum tuum Patri æterno sistere tantoperè festinas. Hoc sane dum attentâ mente contemplor, Mariam Virginē imita-

imitatam fuisse arbitror prudentissimam illam mulierem Abigail, uxorem Nabal, de qua sacra narrat historia, quod ipsa, intellectâ à puero quodam familiæ suæ maximâ, quam vinolentus maritus in Davidem Regem commiserat, irreverentiâ, verita ultimam familiæ suæ ruinam, ad quam inferendam iratum cum toto exercitu velocibus jam gressibus ex certis nuntiis intellexerat pergere regem, de monte celeriter, iracundiam offensi Davidis muneribus delinitura, descendit. Ait enim
1.Reg. c.25 v.18. Textus: *Festinavit ergo Abigail, & tulit ducentos panes, & duos utres vini & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas uvæ passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos,* Cum illa autem Regem in occursum venientem intuita esset, festinanter ex asino exiliit, seseque pronam ante pedes ejus in terram prosternens, his offensum regem pro pietate ac commiseratione interpellavit verbis. *Ne ponat, oro, Dominus meus Rex*
Vers. 25. *cor suum super virum istum iniquum Nabal: quo-*
Vers. 27. *niam secundùm nomen suum stultus est, & stultitia*
Vers. 32. *est cum eo. Quapropter suscipe benedictionem hanc,*
Vers. 35. *quam attulit ancilla tua, tibi Domino meo.* Quâ benevola Abigail deprecatione auditâ, benignè respondit David: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me, ne irem ad sanguinem, & me ulciscerer manu mea.* Et vers. 35. ait Scriptura, Davidem ab Abigail præsentata grato animo acceptasse. *Suscepit ergò David de manu ejus omnia, quæ attulerat ei.* Et ità deposita, omnem sibi à Nabal illatam injuriam, misericorditer dimisit, dicens *Vade pacificè in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam.*

Haud dissimiliter, inquam, sese gessit Diva Virgo Maria: illa namque non ignara impium illum Nabal genus humanum, ob primam protoplastis Adami transgressionem, benignissimum illum Davidem Deum omnipotentem ad summam iracundiam provocasse, ad hanc sopiendam, misericordiamque jam dudum deperditam adinveniendam, tenellum suum filium, non arietes coctos, sed Agnum immaculatum: non panes fermentatos, sed panem vivum de cælo descendentem, quo homines & cælestes spiritus saginantur, & recreantur; non uteres vini ex campestri vite expressi, sed pretiosissimum sanguinem è sacro sancto ejus corpore, non tantùm in fero crucis torculari, sed & in infantili adhuc ætate in circumcisione effusum pro gravi ingrati Nabal, id est hominis, delicti generali expiatione obtulit; hisque adinstar alterius Abigail eum allocuta est verbis: *Ne ponat, oro, David meus Rex cor suum super hominem iniquum Nabal;* fateor stultè & temerariè divinum tuum transgressus est mandatum, sed ecce, quid tibi ô benignissime Pater! in tanti criminis abolitionem adducam, Ecce, contemplare piissime Domine divinam hanc, quæ cuncta dona superat, hostiam filium tuum, & meum unigenitum, Deum & hominem, quem tibi consecro: *Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Quid ad hæc quæso furibunda respondere potest justitia? Ah! sanè non nisi, ut David Abigail, *Benedictus Deus qui hodie te misit in occursum meum.* O benedicta mulier! quæ tam admirabili sanctissimæ hujus hostiæ oblatione accensum furoris mei fulmen è manibus concutis; valde ô Maria! *pacificè, ecce audivi vocem tuam* & deprecationem libello tuo supplici subscripsi: *Honoravi enim faciem tuam,* omnemque homini culpam benignè condono; per te namque peccator suscepit misericordiam meam in medio templi mei. S. Bernardus circumspectè illam ruminans oblationem, quam sanguinolenti illius in monte Calvariæ offerendi holocausti prognosticum fuisse arbitratur, acutè & subtiliter, ut solet stupendam ejus attingit efficaciam divinis hisce verbis: *Offer filium tuum*
Virgo sacrata & benedictum fructum ventris tui Bern. serm. 1. de Purif.
Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem. Omninò acceptabit pater oblationem novam, & pretiosam
hostiam, de qua ipse ait: Hic est filius meus dilectus, Matth. c. 12. v. 18.
in quo mihi bene complacui. Sed oblatio ista satis delicata videtur, ubi tantùm sistitur Domino, veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extrà civitatem inter brachia crucis, Juxtà id, quod vaticinatus in illius persona fuerat Da-
vid: *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus au-* Psal. 39. v. 7.
tem aptasti mihi, scilicet, ut pro homine mori possim, *holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi: ecce venio,* Carne nempe indutus, pretium humanæ redemptionis persoluturus. *Veniet, quando non redimetur alieno,* inquit Bernard. *sed alios redimit sanguine proprio, quia in redemptionem cum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, illud est matutinum, istud quidem jucundiùs, sed illud plenius, istud enim tempore nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis, de utroque ta-*
men potes accipere, quod propheta prædixit Isaias: ob- Isai. c. 53. v. 7.
latus est, quia ipse voluit. Unde cum in templum ingredientem contemplor beatam Mariam Virginem Jesulum, adhuc tenellum, & æterno Patri,

qua ipse voluit offerentem, videor intueri secundum Adamum Christum, & secundam Evam Mariam ad hoc sacrificium accedentes pro dissolvendo, ac diluendo veteris primi Adami, & primi mulieris Evæ delicto. Ipsi enim vetiti coram oculis Dei comparere, sese à facie illius, nimium ad iram provocati, absconderant: nunc verò secundus Adam, & secunda Eva humili suâ obedientiâ inobedientiam primorum parentum superabundanter compensant, & ut Deus humano generi reconcilietur enixè deprecantur. In hoc itaque sacrificio sacratissima illa hostia offertur Verbum incarnatum æterno Patri, ut nos in filios adoptionis recipiat, juxtà illud Apostoli: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Ad Galat. c. 4. v. 4. & 5.

Nec ego ullatenus stupendam hanc tam excellentis oblationis demiror efficaciam; porrò si, ut infingit Ovidius, Jovem quodam tempore irâ incensum, tribus ignivomis fulminibus universam terram funditùs extenso brachio se destructurum fuisse minatum reperimus, eumque tamen, oblato illi vili thuris munere, manum retraxisse, omnemque furorem compescuisse, unde idem canit:

Munera crede mihi placant hominesque Deosque,
Placatur donis Iupiter ipse datis.

Quid ni & nos ingenuè confitebimur Marianam oblationem, in qua non inane thuris donum, sed ipsemet Deus infiniti, & inæstimabilis valoris oblatus est, totaliter illius furorem in hominem accensum delinivisse; etenim omne sacrificium ex tribus præcipuè capitibus suam hauriri, ac sortiri nobilitatem seu perfectionem: scilicet ex qualitate offerentis, & hostiæ oblatæ, & ex magna offerentis animi promptitudine ac hilaritate: Hilarem enim datorem diligit Deus, imò plurimi addunt, & hostiæ offerendæ vehiculum multum ad sacrificii splendorem conducere. Quod ipsi (non de Christianis loquor) ethnici ex Deorum suorum pompa desumebant. Bacchi enim currus à tygribus, Phaëtontis ab equis, Neptuni à piscibus, Turni à serpentibus, Oceani ab ingentibus balenis, Tetydis à dolphinis, Dianæ à cervis, Veneris à cygnis, & Junonis à pavonibus. Ob quod & ipsi Romani triumphantes artificiosissimos currus, paraque vehicula confici mandabant, quæ summa cum magnificentia à diversis pro cujusque libitu animalibus trahebantur; Julii Cæsaris à quatuor Elephantibus, Aureliani à totidem cervis, Marci Antonii à robustis & mansuefactis Leonibus. Hæc profectò maximè ridicula Poetarum partim sunt figmenta, partim superbientium antiquorum vana desideria, & mundana deliria. Sed quomodocumque ea capiamus, nostro proposito maximè quadrant. Etenim si dignitas vehiculi ad Templum Christi annotanda sit, illud est Mariæ tantæ hostiæ bajula, quæ qualis, & quanta sit, opus non est exprimere; illam enim non tantùm omnes creaturas, verùm etiam omnes universos Angelorum choros longo intervallo superare fusè conc. 4. ostensum est. Idque apertissimè attestatur S. Bernardus: *Fuit Maria Virgo melior creatura omnibus creaturis, quæ in natura fuerint.* Ergò sacro-sancta hæc Christi Domini æterno Patri oblatio incomprehensibilem ab excellentia bajulæ Mariæ Virginis sortita est gloriam.

S Bern.

Quod verò quàm maximum in oculis divinæ Majestatis peractum sacrificium, ex animi offerentis promptitudine valoris & æstimationis recipiat incrementum, clarissimè patet ex gratissimo illo, quod olim Deo de mandato Patriarcha Abraham obtulit, sacrificio. De quo sacra refert Scriptura Genes. cap. 22. Quod Deus velocem fidelissimi servi sui Abrahæ, in Divinæ voluntati obsequendo, experiri volens promptitudinem, ad eum de nocte clamarit: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Cujus præcepti duritiem & difficultatem curiosè atque subtiliter perlustrans doctissimus Rupertus, quasi cogitur in hæc verba prorumpere: *O crudele præceptum & ipsis naturæ legibus repugnans!* Ah verè apparet crudele; omnia enim Scripturæ vocabula signanter, tamquam acutissimæ sagittæ, cor & pectus paternum crudeliter transfigunt *Tolle filium*, ô Abraham, non aliquem servum, aut abjectum mancipium: *tuum*, non alienum, aut adoptivum, sed naturalem: *unigenitum*, ah! ad hanc vocem quis Abrahæ viscera non lancinavit dolor? tollerabile foret ô Domine! si plures haberet, unum Divinæ tuæ sacrificare Majestati, sed *unigenitum*? natura certè repugnat paterna: *quem diligis Isaac*, non filium aliquem tibi rebellem, ac refractarium, non eum, quem odisti, sed obedientem & obsequiosum, & quem diligis. Ast spretâ & contemptâ naturæ reluctatione atque resistentiâ, sepositoque paterno affectu, invictus athleta Abraham, ut commemorat Sacra Scriptura, *de nocte consurgens,*

Gen. c. 22. v. 2.

Rupert in hunc locum.

sine

sine mora Divinum præceptum adimpleturus, ad montem sibi incognitum perrexit, ad quod doctissimus Oleaster ait: *De nocte consurgens senex, gravissimum præceptum sine ulla dilatione perficit.* Pro hac Abrahæ stupenda animi promptitudine hic prætereundum non est id, quod curiosè annotat S. Chrysostomus, scilicet Patriarcham ad minimùm, ad hoc sacrificium Deo offerendum, è familia sua septem diebus absentem esse debuisse, quod eruit ex sacro textu dicente: *Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul,* Attamen Scriptura nullam planè facit mentionem Saræ, nec ipsum Abraham ei valedixisse commemoratur, quamvis eam tenerrimè diligeret. *Sara hic non fit mentio,* inquit, *unde videtur, eâ insciâ, omnia fecisse Abraham.* O factum stupendum! quid agis ô Abraham? Cur Dei voluntatem & mandatum fidelissimæ tuæ uxori celas? Quid quæso afflicta cogitabit uxor & mater, dum nec charum maritum, nec dilectum suum reperiet filium Isaac? Respondet acutè Chrysostomus: *Abraham verebatur, ne votum mora offenderet, aut jussionem tarditas impediret, ne aliqua mora in communicando duceretur, festinavit.* Et ob hanc rationem, tantamque Abrahæ mentis promptitudinem, sacrificium hoc, quantumvis opere non fuerit adimpletum, adeò gratum Deo fuit, tantumque oculis illius placuit, ut statim heroico huic actui quàm amplam addixerit mercedem dicens: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris, &c.* Promisitq; eum futurum in gentem magnam.

Chrysost. ser. de fide & hom. 5. in Gen.

Vers. 16.

Vers. 17.

Et sanè ex hac parte Marianum in templo oblatum sacrificium suo nullatenus caret splendore ac dignitate; Mariæ enim in filio offerendo promptitudo & alacritas, illi Abrahæ celeritati minimè cedere debet: verùm ausim dicere, hanc illam longè antecelluisse; etenim Maria non ex Dei mandato, & oblatione, ipsa namque Moysaicæ legi nullo modo erat subjecta, sed ex mero suo beneplacito, impletis purificationis diebus, nullâ injectâ morâ, celerrimè ad Jerosolymitanam perrexit civitatem, ut unigenitum suum, quem infinitè diligebat, non hominem purum, ut Isaac, sed hominem Deum, non summo cum gaudio Matris liberandum, sed in monte Calvariæ durissimæ Crucis trabi affigendum, crudelissimæque morti tradendum, in totius humani generis redemptionem æterno patri offerret. Unde tam suavi fragrantissimi hujus sacrificii odore allectus supremus Dominus, ad Mariam, ut olim ad Abraham, indubiè clamavit: O excelsa Virgo! quia fecisti hanc rem, nec pepercisti unigenito tuo, ego benedicam tibi, faciamque te in gentem magnam, ego te non tantùm cælestium spirituum, sed omnium omninò quoque Sanctorum constituam Reginam, & cunctorum peccatorum, qui tuâ potentissimâ spe, & efficaci subsidio æternam adipiscuntur beatitudinem, piam Matrem, quod vaticinatus fuerat David secundùm Bernardum: *Astitit Regina à dextris tuis investitu deaurato,* id est, lucidissimo supernaturalium virtutum atque perfectionum ornamento decorata, *circumdata varietate,* id est, magnâ inquit Bernardus peccatorum circumcincta, tamquam victoriæ trophæis multitudine.

Quod si præfati sacrificii eminentiam ex offerentis & oblati nobilitate metiri cupiamus: quis non perspicuè videbit illud fuisse omnium holocaustorum & oblationum excellentissimum? offerens enim Maria est, quæ quàm sit nobilis & eximia, patet ex ipsius genealogia; etenim ipsa nata est ex progenie regia & Sacerdotali. Si verò de spirituali loqui velimus nobilitate, quis quæso illam huic Virgini denegabit, quam ipsi cuncti Ecclesiæ attribuunt Doctores? de ea namque ait Bonaventura: *Hæc tantâ resplendet sanctitate, & sic summum omnium bonorum culmen obtinuit, ut creatura aliqua non unita verbo capax majoris boni non sit.* Et Bernardus, ut ante dixi, meliorem creaturam in natura non productam fuisse constanter asserit. Nec sanè mirum, quod ad tam solemne, divinum, atque inæstimabile sacrificium, tam digna, tamque in sanctitate eximia à SS. Trinitate destinetur oblatrix; siquidem, si ut author est Marcus Varro, citatus à Valerio Maximo, strictissimum apud veteres Romanos editum fuerit decretum, ne quispiam Sacerdotum Diis ullum sacrificium offerre præsumeret, nisi candidâ albâque veste indutus, ideoque nec Virginibus Vestalibus, inquit Valerius, permissum erat ad sacrificandum, nisi albo velamine rectis accedere, Idque ideò, quia cùm apud gentiles & præcipuè Persas candida vestis puritatis & sanctimoniæ indubitatum haberetur hieroglyphicum, firmissimè credebant, offerentis Diis suis sacrificia, ut ea illis accepta & grata forent, ab omni peccati macula immunes, mundos, ac puros, atque in sanctitate conspicuos (quàm hac cæremoniâ profitebantur) esse debere; quid inquam mirum, si ad hoc sacrificium

Bonav. in spec. Virg.

l. 4. de indumentis.

electa ex millibus seligatur, quæ induta sit candidissima Angelicæ plusquam puritatis, omniumque virtutum veste? Hæc enim, non ut delirantes, & cæci Romanorum Sacerdotes, aut vestales Virgines inania & superstitiosa falsis Diis sacrificia: sed æterno Patri, vero Deo sanctissimum illud, in quo non vilia animalia, non abjectæ creaturæ, verum immaculata illa hostia (quæ ipsemet cæli & terræ Monarcha, & creator Deus, in essentia sua immensus & incomprehensibilis offertur. Non sine summo itaque fundamento ad Mariam clamat Bernardus: *Offer Filium Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta, omnino acceptabit Pater oblationem novam & pretiosam hostiam.*

Et sanè quis sanæ mentis tantum, inæstimabilis scilicet valoris, infiniti pretii munus recusabit? Quis ab illa sacratissima hostia faciem suam avertet? In cujus comparatione nil planè est mundus
Isaia cap. universus, teste Prophetâ Isaiâ: *omnes gentes, qua-*
40. v.17. *si non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt.* Unde Mariam Virginem in supremi hujus doni æterno Patri oblatione, ad eum sic exclamasse non ambigo: O clementissime Pater! ecce gratissimam omnium victimarum & oblationum offero hostiam, omnes namque aliæ victimæ insufficientes erant, ad iracundiam tuam
Ps. 39. v. 8. sedandam, juxtà illud Psalmistæ: *Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi ecce venio*, cum hac admirabili hostia, quæ omnium in se comprehendit pretium & valorem, omnem dignitatem atque eminentiam. Illa illa tuum, ô Pater! compescet furorem, & humano generi in medio templi tui adinveniet misericordiam; etenim, si pro reconciliatione agnum expostules, *ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi:* si bovem expetas, ecce bovem tibi offero, qui durissimum portabit jugum, & in aratro Crucis sterilem animarum nostrarum terram abundanti sanguinis sui aspersione fertilem reddet & fæcundam, si simplicem exigas columbam sine felle peccati, ecce hic est, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus:* si vaccam rufam desideres, ecce unigeniti mei, & tui offero humanitatem, circumcisionis sanguine tinctam: si denique exquisitissimum, rarissimum, pulcherrimum vel ditissimum quoddam adamas munus, ecce ego Filium meum dono, qui cum tibi per omnia sit æqualis, planè necesse est, ut munus pretio sit inæstimabile, & quandoquidem sit splendor Patris & figura substantiæ ejus, nec non *speciosus præ filiis hominum,* opus est fore pulcherrimum: cumque pariter sit Deus & homo, nullus inficiabitur esse rarissimum; ac tandem cum divinitas sit in Christo, ipsaque sit dives in misericordia, consequens est, illud esse ditissimum ac locupletissimum.

Cedant itaque tanto huic muneri palmam cuncta cujuscumque pretii & valoris munera, tàm creatori, quàm creaturis oblata, quorum tàm sacra, quàm profana meminit antiquitas. Cedat illud inquam, Vitellii Romanorum Imperatoris, qui splendidissimo & sumptuosissimo quodam tempore, amicis constructo convivio, ut refert Alexander ab Alexandro, illis, eo finito, ut testatur Plinius, quinque millium aureorum munus obtulit. Cedat quoque & illud Cleopatræ donum, quod ipsa (ut narrat Macrobius) ex duobus unionibus valoris ducentorum quinque millium aureorum in pulverem redactum, in vino Marco Antonio bibendum exhibuit. Cedat & aliud, quod eadem Cleopatra Ægypti Regina (tanti pretii, sicut ait idem Author, *ut quantum integrum Regnum æstimaretur*) Deæ Veneri consecravit. Cedat munus Antiochi, de quo Genebrardus commemorat, eum obtulisse in Templo pulcherrimum Taurum, *cujus cornu cuspides solido auro circumdabantur, collum penè innumeris magni pretii monilibus ornatum, corpus verò totum regali purpurâ contectum erat.* Cedat munus, quod, partâ quâdam victoriâ, ab Atheniensibus templo Dianæ Ephesinæ dedicatum fuit. Cedat & munus, quod Camillus, hoste suo profligato, Matronæ Romanæ in Asiam misit. Cedat munus, quod Sylla, ob reportatam contra Regem Mythridatem victoriæ palmam, Deo Marti obtulit, pretiosum scilicet vas, proprio suo sanguine plenum. Cedat munus aromatum, quod Regina Saba attulit Regi Salomoni. Cedat tandem quoque illud, quod saltatrici filiæ valde stultus offerebat Herodes, scilicet dimidium regni sui. Et ut paucis totum absolvam, cedat omne, quod in cælis est, & infrà cælum, & in profundis terræ abyssus reperitur: imò & omne, quod per absolutam Dei omnipotentiam in hoc mundo produci potest munus; etenim omnia hæc nihil sunt respectu Mariani doni: illa namque cuncta terrena sunt & peritura, finitique valoris, hoc donum, quod Deus ipse est Incarnatus, cæleste est, incorruptibile, æternum ac infiniti pretii. Illa dona tantùm mortalium Principum & Regum animos sibi devincire, aut etiam fortè reconciliare, & eorum iram placare poterant, verùm hoc pretiosum donum totum humanum genus Regi Regum

gum

gum, & Domino Dominantium æterno Patri reconciliavit, ejusque iram delinivit. Unde ad Virginem constanter clamat Bernardus: *Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam Deo placentem: omninò acceptabit Pater.* Sicque per hanc oblationem adimpletum est Davidicum illud vaticinium: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

Hinc quàm optimè Mariam Virginem assimilari posse autumo isti columbæ, de qua sacra Scriptura Gen. c. 8. Postquam enim jam cessasset dilivium super terram, aperuit Patriarcha Noë arcam, & per fenestram emisit columbam, quæ ad arcam vesperi reversa est, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Oliva est symbolū pacis, unde sicut inspecto Noë hujus ramo, agnovit jam Dei iram cessasse; ita etiam vesperi, id est in sexta & novissima ætate ipsius mundi beata Virgo simplicissima ac fæcundissima columba, ab omnis planè peccati, etiam venialis felle, immunis, viridem olivæ ramum, hoc est infantulum Jesum unigenitum suum filium, qui per antonomasiam pax nostra est & misericordia, ad templi arcam in ulnis suis portavit, in argumentum initæ per illum firmæ & stabilis inter genus humanum & Deum pacis ac fœderis. Unde bene dictum est suprà, Ephraim, id est homo, quasi avis avolaverat, sed verè omnis gloria ejus à partu, quia per hunc, quem Virgo peperit & obtulit, antiqua reparatur Regina, & ad pristinam homo evehitur gloriam. Quod clarissimè attestatur Chrysostomus, dicens: *Non frustra Christus ad tantam descendit humilitatem, sed ut nos ex humili elevaret.* Imò ausim dicere, ad majorem naturam humanam, mediante sanctissimo hoc partu, in quo carni nostræ unione hypostaticâ, tamquam verò connubiali vinculo divina alligata est natura, sublimatam esse gloriam. Quemadmodum enim magnus quidam Monarcha, Rex, aut Princeps affinitatem cum humili & abjecta contrahens familia, illam extollit, elevat, atque nobilitat: ita Dei filius, mirabili Dei consilio vilis nostræ factus particeps naturæ, de quo obstupefactus David clamat ad Deum: *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum*: Et verè non consanguineus & frater noster, è purissimo Mariæ matris nostræ sanguine procreatus, illam exornavit, & ad tantum dignitatis & eminentiæ extulit verticem, & ut in ea divinam suam hypostasim essentiæ divinæ identificatam collocarit. Meritò itaque de hoc attonitus beneficio Damascenus ait: *Sic humanam naturam ad altum evexit, ut quò ascenderet altius, non haberet.* Unde quoque Richardus colligit, quod olim divinæ personæ, post commissum primi parentis delictum, de homine ironicè & imprudentem deridendo dixerint: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Sed nunc dicit hominem de Deo posse asseveranter, & verè dicere, ecce Deus, contemplare divinum hunc fætum incarnatum, nonne factus est quasi unus ex nobis, & homo factus est, quasi unus ex vobis? Verba authoris sunt hæc: *Meritò, ô SS Trinitatis personæ! exprobrastis: sed numquid adhuc exprobrabitis? Si dixistis ironicè, quia homo factus est, quasi unus ex nobis, nos de cætero dicemus tàm fidenter, quàm veraciter, quia Deus factus est, quasi unus ex nobis.* O hominis sublimitas! ecce omnis ejus gloria à partu, quem ei piissima hæc protulit Virgo & patri obtulit æterno.

Ps. 8, v. 5.

Richard. l. 1. de Emmanuele p. 1. c. 19.

Gen. c. 3. v. 22.

Et quæso quid mirum, ô Auditores, si humanus hic, qui & divinus est, partus omnis gloriæ in terra sit fons & origo, ut prædixerat Oseas? Quid mirum, hoc, quod Maria Virgo tàm promptâ voluntate pro totius mundi delictorum expiatione cælo præsentavit, holocaustum adeò æterno placuerit Patri? Etenim si Reginæ Sabæ oblatio (quæ adeò pretiosa, ut dicat Scriptura: *Dedit ergò Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas: non sunt allata ultra tam multa, quàm ea, quæ sunt allata Regi Salomoni*, tantùm regi fuerit grata & accepta, ut quæcumque ab eo petierit benevolè illi concesserit, teste rursus Scripturâ: *Rex autem Salomon dedit Reginæ Sabæ omnia, quæ voluit & petivit ab eo*; ah! quantum grata hæc divina non fuit sapientissimo illo Salomoni, omnipotenti Deo oblatio, in qua Deipara Virgo, Regina Angelorum, non vile è maledictæ terræ visceribus erutum aurum, sed purissimam in benedicto suo utero progenitam humanitatem, ipsimet divinitati hypostaticè conjunctam, non tantùm pretiosiora Arabiæ aromata, verùm omnium terrenarum rerum pretium infinitè excellens munus obtulit? Nonne audacter dicemus prudentissimum Salomonem nostrum Virgini Mariæ, tam Sacro-sanctam Hostiam offerenti, in cunctis pro mundi salute petitionibus annuisse, eique omnia concessisse, quæ postulavit? Hinc nonne jure meritò poterimus ei illud Scripturæ appropriare: *Rex autem Salomon dedit Reginæ Sabæ omnia, quæ voluit & petiit*? de eo non est, quod quis dubitet, si jam dicta de Mariæ potestate mente recolligat, voluntas enim Domini in manibus ejus dirigitur.

3. Reg. c. 10. v. 1. vers 13.

Verùm quid filii sui Maria prætendebat oblatione? Sane non nisi, ut æternum Patrem ad pietatem & misericordiam hoc spectaculo commoveret, & ad reparandam ac lapsam erigendam humanam pertraheret naturam; *tradidit* inquit Athanasius, *hominem Deum, ut hominem redimeret purum*. O eximium Mariæ ergà nos amorem! O inextinguibilem charitatem! quid agis ô Virgo, filium innocentem pro reo & fœdifrago offers? Deum pro homine? immortalem pro mortali? in hoc facto mihi videtur, quod ipsa de illo, quo dudum post usa est quædam paupercula fœmina stratagemate, sibi deservierit, de qua narrat Jacobus Vorago, ut refert S. Bonaventura, quod illa quodam tempore totaliter mœsta ob filii sui, qui ob enorme delictum in carcere tenebatur captivus, calamitatem & miseriam, constanter plurimis diebus templum accedens, sese ante certam Divæ Virginis imaginem prostraverit, & editis singultibus effusisque lachrymis, devotissimè Dei genitricem pro filii salute exoraverit, tacitâ voce ad illam clamitans, *monstra te esse Matrem*, libera filium meum; sed hæc tandem tædio pertæsa & ob nimiam moram facta impatiens, rursùs templum adiit, ac sese ante eamdem statuam in genua projecit: cumque jam in sua ordinaria persisteret ad divam Virginem oratione, animadvertens illam in brachio pueri Jesu effigiem gestare, eam summa cum fiducia eripuit, quam ad cœlos elevatam extensis manibus Mariæ ostentans, exclamavit: *Ego tamdiu apud me tenebo captivum filium tuum, quam diu permittes, quod meus moretur in manibus inimicorum suorum*. Quibus devotis fœminæ verbis & animi constantia adeò ad pietatem commota fuit benignissima Virgo, ut sequenti nocte illius filio apparuerit, & è captivitate eum eduxerit. *Et ecce*, inquit Vorago, *beata Virgo eâdem nocte juveni apparuit, & januam carceris aperiens, inde ut exiret præcepit*.

Athanas.

Bonav. in expositione Missæ.

Haud dissimiliter sese gessit diva Virgo cum æterno Patre post aliquantulum editi partus tempus in illo incruento ei oblato sacrificio, etenim hæc miserta tam diuturnæ SS. PP. in Limbo detentionis, & contemplans quanto cum ardore & desiderio ad verum Messiam anhelabant, & pro mundi universi Redemptore continuis gemitibus & lamentis clamabant: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Hunc jam dulcisonâ suâ voce, *fiat mihi secundum verbum tuum*, è sinu Patris extractum, atque ad virginale suum claustrum deductum, atque novem post menses in lucem editum, ulnis suis imposuit, ad templum portavit, illumque extensis brachiis Patri æterno, tamquam placentem hostiam obtulit, ac si diceret: in finem ne misericordiam tuam abscondas Domine à generatione in generationem: quousque non miserebe-ris ô pissime Pater? eja benevolis oculis tantummodò contemplare filium tuum unigenitum, ecce hunc tibi, in cruento & sanguinolento in arca crucis sacrificio, præsento offerendum, tu dumtaxat à captivitate libera filium meum, genus humanum; fateor quoque meus est, verùm tibi summoperè debitus, hinc illum cape, justitiæ trade, & mihi matri misericordiam concede. Et ecce annuit cælestis & pius genitor, misericordiam relaxat, hominem liberat, tantumque Mariæ, quod pariter & filius offerebat sacrificium, in totius mundi recepit redemptionem. Ah! quàm rectè itaque dicit Oseas: *Ephraim quasi avis avolavit*, quæ ecciditin diabolica retia, è quibus sese propriâ suâ virtute extricare non poterat, sed *omnis gloria ejus à partu*: Virgo enim concepit, & peperit filium, & vocatum est nomen ejus Emmanuel, id est, Deus misericordiæ, quia illam ipse nobis contulit, plenamque pacem in terra firmavit.

Isaiæ c. 45. v. 8.

Ex hoc tanto in nos collato beneficio, Mariam verissimè fuisse deduco, ad instar alterius Æthræ Phalanti uxoris, de qua, non minus mirabilem, quàm curiosam doctissimus historiographus Pausanias commemorat historiam, cujus & meminit Justinus. Lacedemonii post diuturna, & crudelia cum Atheniensibus bella gesta, juventute exhausti, cum vires suas totaliter debilitatas, atque confractas experirentur; edictum publicum domui civitatis affixerunt; quod cuilibet puellæ sine ullo discrimine, sine ulla infamiæ nota sui copiam facere liceret, ut sic mediante generatione populus multiplicaretur. Compositâ pòst pace, sedatoque bello, cum juvenes ignotis parentibus geniti, tum patriæ, tum sibi essent opprobrio, eam deserere statuerunt, sibi aliam virtute militari, Duce Phalanto, comparaturi. Primò tamen placuit oraculum Delphicum de successu futuro consulere, petitumque fuit, quando patriam aut regionem essent adepturi? Quod in hunc modum respondit: *Ducem Phalantum tùm temporis regione ac civitate potiturum, cum pluvias senserit ab æthra*. Ethymologicè verò æthra juxtà communem sensum aerem splendidum, & serenum significat. Phalantus, non ulteriùs examinato oraculi responso, cum exercitu navali è portu discessit, & Tarentum

Pausanias. Iustin. l. 3

cum magnæ Græciæ urbem, à Terento Neptuni filio ædificatam oppugnavit. Verùm adversam sæpe sæpius expertus fortunam, omnem spem, ut vanam abjecit; etenim sese reflectens super præfata oraculi verba, judicabat, ea numquam ad effectum deduci posse. Quis enim ab aere sereno & sudo pluvias exspectabit? cum omninò jam languentem & quasi exanimem gremio, nescio quo fato, excepit uxor, caputque Phalanti suprà genua sua reclinatum (cum res suas ad sententiam & arbitrium non succedere videret) imminentem deplorans calamitatem, abundantissimis lachrymis plurimùm irrigavit. Phalantus quasi è gravi somno evigilans caputque suum uxoris lachrymis, splendente, & sicco cælo existente, madefactum sentiens, oraculi sensum mox percepit: nam uxori nomen Æthra erat, quare, resumpto animo, Tarentum sequenti nocte aggressus est, atque viriliter expugnavit.

Hæc historia, quæ an fabulosa sit, an vera, non inquiro, verè & veraciter Mariæ quadrat, ipsa enim ut altera Æthra generi humano fuit, illud namque (ad instar alterius Phalanti in hac miserrima vita tempore antiquæ legis arido & sicco pro expugnando Tarento, nimirùm cælesti regno omnes vires exerebat, sed frustrà: etenim continuò infamem patiebatur repulsam) didicerat pluviam alicujus Æthræ necessariam fore, ideòque incessanter clamabat, *rorate cæli desuper*. Quod si à me peteretur, quando tandem humana respirabit natura? quando infringentur cælestis illius Jerusalem portæ? quando miser homo suam adipiscetur libertatem? responderem audacter cum oraculo Delphico: *Hominem tum temporis regione & civitate cælesti potiturum, cum pluvias senserit ab Æthra*, scilicet Maria, quæ à S. Hieronymo *pincerna pluviarum nuncupatur*, sed quas quæso pluvias? nempè quando divina hæc nostra Æthra Virgo ad terram descendet, & in matrem æterni Verbi assumpta, unico suo *fiat* purissimum suum sanguinem unigenito Dei filio suppeditabit, è quo efficacissima ac saluberrima orietur pluvia; tunc inquam, quando Verbum Incarnatum æterno Patri in templo in incruento & in ara Crucis in cruento offeret filium holocausto, ejusque sanguinem (qui & illius sanguis est) pro salute miseri Phalanti, id est, generis humani consecrabit: tum dico, dum cælestem hanc pluviam, ex meritis Christi illi applicatam persenserit homo, victor evadet, ac æternâ potietur gloria. Unde illi rectè congruere possunt illa Virgilii verba:

Pausanias. Iustin. l. 3

Magnus ab intègro sæclorum nascitur ordo
Iam redit & virgo, redeunt saturnia sæcla.

Nónne itaque in honorem Virginis possum hoc decantare elogium, quod omnis gloria deperditi per peccatum Adæ generis humani, à benedicto illo partu exoriatur, quem ipsa in lucem edidit & patri lubenti animo obtulit æterno, hoc totum satis disertè affirmat Cassiodorus: *Pretiosus ille sanguis tantâ fuit virtute ditissimus, ut velut diluvium quoddam salutare orbem terrarum à suis sordibus expiaret*. Et S. Bernardus Mariam aquæ ductum appellat, per quem productus est vivificus ille fons Christus Jesus: *Descendit per aquæ ductum vena illa cælestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens.* Et infra: *Advertistis jam, ni fallor, quem velim dicere aquæ ductum, qui plenitudinem fontis illius de corde patris recipiens, nobis edidit illum; sed si non prout est, ut capere poteramus* Et infrà, *tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni & speciosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur.* Et concludit: *Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia, quod quærit invenit, & frustrari non potest.*

Cassiodor. in Ps. 105.

Bernard. serm. de nat. Mar.

Audistis auditores, quomodò Minerva nostra Maria, è cælo extruxerit verum Apollinem Christum Dominum, Verbum æterni Patris, in medelam, non solius populi Cretensis, sed totius generis humani: percepistis eminens illud, quod universo mundo Maria obtulit sacrificium. Modò me instigant mellifluі Bernardi verba, ut vos ad gratitudinem ergà tantam Dominam exhorter & simul Dominum voluntariè oblatum; *sed quid Fratres nos efferimus, aut quid retribuimus ei pro omnibus, quæ retribuit nobis* (numquid possum dicere, illa pro nobis?) *Hostiam pretiosiorem, quam habuit: nimirùm quâ pretiosior esse non potuit, & nos ergò faciamus quod possumus optimum offerentes ei, quod sumus utique nosmetipsi.*

Bernard. serm. de Purif.

Me rursùs hæc D. Bernard. verba constringunt paucis in honorem Mariæ sacro sanctum hoc sacrificium, & ad mirificam Christianorum imitationem, & ad exemplum clariùs enucleare ex prætactis jam perfectæ oblationis conditionibus, Laudavimus eximiam Mariæ, tàm in sui, quàm in unigeniti filii sui æterno Patri consecratione promptitudinem; ad hanc oculos conjice, ô Christiane! & vide ante ipsum, ad instar Mariæ,

 Deo

Deo tuo tam alacriter & promptè devoveas: penetra cordis tui intima, & respice an à matre tua non denegeres? heu! heu! dum juvenilem ætatem voluptatibus & vanis mundi illecebris dedicasti, senectutis tuæ annos, ad delicias perversi hujus sæculi omnimodè inidoneos, creatori tuo offers Ah! quàm puras gratum erit hoc tuum holocaustum? an, quomodò illud divinis verbis irrideat & explodat unus Ethnicus Philosophus Seneca: *Non pudet*, inquit, *vitæ reliquias reservare Deo, & id solum tempus destinare bonæ menti, quod in nullam aliam rem conferri possit*? Quod si ex hujus, ô Christiani, non erubescas invectiva, saltem ex his Sapientis verbis tuam agnosce dementiam: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ: antequam appropinquent dies, de quibus dicas: non mihi placent.* Hilarem enim & celerem datorem diligit Deus. Hinc ipsemet Christus ne quidem ausus fuit corpus suum offerre Patri, sed dumtaxat animam: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, non corpus meum, quia scilicet illud contrà paternam voluntatem ex naturalibus passionibus tamen, in acerba acceptanda morte, aliquantulum fuerat reluctatum; *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Non obstante nihilominus, quod Christi voluntas carnis contempserit repugnantiam, ut diviné asserit Laurentius Justinianus: *Qualis conflictus, qualis pugna, quale spectaculum, impellebat spiritus, reclamabat natura passibilis, pœnarum immanitate perterrita; in horum medio constitutus, tamquam insuperabilis miles carnis blanditias contemnens, spiritus jussa implere curavit.*

Seneca. — Eccl. c.12. v.1. — Luc. c.23. v.46. — Matth. c. 26. v. 41. — Laur. Iustinianus de trib. Christi c.3.

Numquam annotastis, ô Christiani! illud Davidis dictum 2. Reg. *Cæcus & claudus non intrahunt in templum*? forsitan non. Verùm, inquit Lyranus, cur cæci & claudi ab ingressu templi arcentur, & perquam acutè respondet: templum est sacrificii locus, in quo hostiæ pacificæ immolabantur, & offerentes sese quasi Deo sacrificabant. Cæcos tamen ait & claudos, tamquam ingratam hostiam divina respuebat majestas, quia nempe cæcus palpitando & lento, sicut & claudus, progreditur gressu, promptum enim omninè exigit Deus servitium & sacrificium. Imitare itaque laudabilem Mariæ celeritatem, quæ festinanter octavo die, Patri filii adhuc tenerrimi obtulit sanguinem, & completis purificationis diebus totum Domina præsentavit in templo, ut etiam & tua placabilis gratia in conspectu ejus appareat oblatio.

2. Reg. c. 5. v.8.

Extulimus quoque Marianæ immolationis excellentiam tàm ex illius, qàm Christi oblati dignitate ab nobilitate. Nec mirùm sanè cuipiam videri debet, Deum tam eximiam in hoc sacrificio immolatricem, tamque pretiosam & magnificam desiderasse hostiam; prorsus enim decebat, ut illa tanto nitore, tantaque puritate niteret, quâ major in cælo inveniri nequit, ut talis oblatio Deo placeret, & ut hæc infinitæ esset dignitatis, & incomprehensibilis valoris, quatenus Adami culpa infinitæ (ut quamplurimi docent Scholastici intrinsecè, vel ut alii extrinsecè saltem malitiæ) diluerunt, atque per illam humanum genus repararetur, & divinæ personæ offensæ ira & furor sedaretur. Et quamvis in omni sacrificio tantam Deus in offerente, & in hostia oblata non exigat dignitatem, hoc tamen certissimum est, illas hostias, illa sacrificia in oculis divinis non esse accepta ac placabilia, si ab immundis, & peccatorum sordibus immersis offerantur, vel si vilis & abjecta hostia, quæ & ipsi homini displicet, offeratur.

Ex primo utilissimam cuncti Ecclesiæ Sacerdotes eruant hanc admonitionem, ut sedulò perpendant, quanta cum reverentia admirabile & augustum Missæ sacrificium, in quo illa eadem, quam Maria Patri æterno obtulit, hostia, scilicet Christus Jesus Incarnatus sub Sacramentalibus speciebus Deo in peccatorum remissionem indies offertur & immolatur. Attendant quoque sæculares, quanto cum respectu, & conscientiæ puritate & munditia cordis ad venerabile Eucharistiæ Sacramentum ipsis sit accedendum, in quo tam dignam nobilem, imò & inexistimabilem sumunt hostiam.

Ex secundo discant cuncti Christiani, & præcipuè patres & matres secundum consilium Bernardi & Mariæ exemplum, optimum Deo offerre, quod habent, id est semetipsos scilicet corpurum & mundum ab iniquitate & peccato. Nolite sequi dico, ô parentes, communem in hoc pravo sæculo dementiam, qui filios deformes, claudos, surdos, & debiles, Religionibus, statui Ecclesiastico, & Deo consecrare omni diligentia student & conantur, & tam digno statui inidoneos, atque ad serviendum Deo, quam maximè capaces, blanditiis & lenociniis à tam pia sui oblatione avocare, eosque mundo & diabolo dedicare solent. Quod inveteratum malum, quam pestem per totum mundum grassantem, sanguineis lachrymis deplorat magnus ille Sanctus Thomas noster

Tho. à Villa Nova conc. 3. de August.

noster à Villa Nova: *Non offertur nisi inhabilis & inutilis; si quis in filiis ignavus, claudus, luscus, atque deformis, hic Domino dedicatur, Prophetâ revelante & dicente, maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino.* Et ratio subnectitur, *quia Rex magnus ego dicit Dominus & nomen meum horribile in gentibus.* O impie, tu, qui Regem Regum & Dominum Dominantium terribilem & formidabilem tali honoras, quid dico honoras? inhonoras dico abjectâ hostiâ, adverte ad illud, quod ad te clamat Propheta Malachias: *Si offeratis cœcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est?* Desiste itaque ô pater, ô mater, à tam abominando peccato, sequere Dei Matrem patronam tuam, quæ Deo Hostiam pretiosiorem quam habuit, alacriter & sponte obtulit, ut tuum quoque sit gratum & acceptum sacrificium, sed hoc per transennam dixisse sufficiat.

Malach. c. 1. v. 8.

Finio O Auditores, & ad te me converto ô piissima Virgo Maria, unum dumtaxat postulaturus: fateor, tu ô Domina, ut altera Minerva in Cretensium salutem, in generis humani redemptionem è cœlis ad terram evocasti: tu Apollinem, non falsum Deum, sed verum, Verbum æternum, infinitam Patris sapientiam & spiritualis medicinæ authorem mundo edidisti: tu ô purissima! Ephraim, id est, hominem à debita salutis via aberrantem, tamquam cœcam avem, mediante salutifero tuo partu, ad justitiæ nidum deduxisti: tu ô potentissima, ita supremum Jovem Deum amore tui inescasti, ut te, tamquam Dianam in biviis & ambagibus hujus mundi errantibus peccatoribus, rectum ad æternam gloriam tramitem demonstrantem constituerit: tu ô benignissima, ad instar unius Apollinis solemnissimum, & numquam auditum in pacificationem atque reconciliationem, summi nostri Jovis sacrificium & hostiam sanctã & placabilem, filium tuum unigenitum ultrò obtulisti. Id Maria in Ecclesia militante, ut pia Mater effecisti, quidni & ego totius hujus auditorii nomine idem pro tuis filiis orphanis (quorum in Cruce à Christo Filio es declarata protectrix) efflagitem in cœlesti modò triumphante Ecclesia à te subsidium & curam? absit jactantia ô cœli Regina (quia pro terra loquor) attamen remaneat fiducia: ego audacter tuum imploro auxilium, rogoque ut nobis in supremo tuo & cœlesti triumpho sis Minerva, non peto ut, rursùs Apollinem nostrum ad terram declines, sed ex illo gratiæ fonte aquam animabus nostris salutarem, derivare facias instanter deprecor. Sis pia miseris Diana, sed super omnia expostulo, ô advocata nostra, ut tuum admirabile in cœlis, quod in mundo pro peccatoribus Deo præsentâsti, rursùs offeras sacrificium, illamque Deo irato pro delictorum nostrorum remissione infiniti valoris dones hostiam, hoc tanto munere placa Omnipotentem & redime fontem: sis nobis O clementissima mater, ut quondam misero & exuli Themistocli Regina Molossorum fuit Phthia.

Ad libelli mei supplicis dilucidationem permitte Virgo, ut illam, quam Plutarchus narrat de Themistocle adducam historiam. De quo ipse sic refert, quod famosissimus hic reipublicæ Atheniensis legislator, & totius civitatis moderator, existens in certa quadam occasione, graviter offenderit Admetum Regem Molossorum, qui jam dudum tacitè, hâc injuriâ decoctâ, tempus vindictæ opportunum exspectabat. Quod ei præter votum & mentẽ mirabiliter concessum est. Contigit enim, quod, nescio quo populari tumultu, aut quâ seditiosorum aliquorum civium commotione, vel ut Plutarchus ait, invidiâ, Themistocles publicâ sententiâ ad exilium fuerit condemnatus, & violenter urbe expulsus. Hic ad has redactus angustias, seriò de securi refugii loco consultabat. Argis aliquamdiu commoratus est, sed persequentibus Atheniensibus & Lacedemoniis, in Epirum fugit; verùm sibi undequaque insidias strui cernens, suam ultimam veritus ruinam, tandem sese Admeto reconciliare decrevit, atq; ad eum confugit, de qua Themistoclis imperterriti animi audacia, vel potiùs temeritate obstupefactus Plutarchus, ait: *Quo quidem tempore se in grave & anceps discrimen dedit. Admetus enim quondam ab Atheniensibus quamdam rem petens, Themistoclis, tùm in republica florentis, operâ contumeliosam repulsam passus fuerat, verùm in hac sua fuga Themistocles suorum recentem invidiam magis metuens, quàm antiquam Regis irã, statuit supplicari Admeto.* Cujus iram ut deliniret, Themistocles insigni, sed usitato, sic edoctus à Phthia uxore Admeti supplicandi usus est modo. Mos, ut satis insinuat Plutarchus apud Molossos, aut potiùs lex vigebat, quod ad Regem offensum placandum opus foret filium Regium pro reo per matris manus patri offerre. Hic enim supplicandi modus censebatur efficacissimus: *Quem Molossi, inquit Plutarchus, efficacissimum supplicandi modum existimant, & ferè solum repulsâ securum.* Medium hoc cognoscens The-

Plutarch. in vita Themist.

Plutarch.

Themiſtocles indubiè Phithiam, ut cauſæ ſuæ patronam & advocatam acceſſit: ipſa enim pro reo *filium ſuum ei*, ſcilicet Admeto, *ad focum*, id eſt in tribunali (dum enim Reges pro adminiſtranda juſtitia olim præſidebant, ignis, ut ex Romana de Mutio Scævola conſtat hiſtoria, ardebat) *appoſuit*: ſicque conſpectu tenelli Rex pueri commotus, injuriarum omnium condonavit noxam, miſerumque Themiſtoclem in gratiam recepit. Alii totum illud fieri voluiſſe referunt, ipſummet Admetum expsesse, *ut, cur non dederet hominem perſequentibus, neceſſitatem in excuſando adducere poſſet.* Quid ergò mirum, ſi dixerim Deum noſtrum ad inſtar alterius Admeti Phithiam pro reo Themiſtocle, pro peccatore Chriſtiano Mariam Virginem ſtatuere mediatricem: idque ut etiam perſequentibus peccatorem dæmonibus, ipſique divinæ juſtitiæ, eum ad vindictam exigenti, de remiſſione data *neceſſitatem in excuſando adducere poſſet.*

Optimè rogo, O clementiſſima Domina Maria! ut ſis nobis Phithia; etenim nos omnes Themiſtocles ſumus, & per omnia, & in omnibus offendimus Admetum noſtrum Deum. Et heu! quo fugiemus? dum audimus Prophetam Davidem clamantem: *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculò & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Niſi ad te Mariam Phithiam noſtram, tu enim ſola es, quæ in cœli regno cauſam noſtram valeas perorare. Itaque obſecramus te. O benigna, offer illum benedictum fructum ventris tui Chriſtum Jeſum, quem in terra obtuliſti, in rigoroſo divinæ juſtitiæ tribunali, pro peccatore in cœlo, & indubiè veniam impetrabis. Si enim, ut ait Plinius, tantæ ſit virtutis, ac tam magnæ efficaciæ lapis Hiacynthus, ut ex ſua natura (neſcio tamen quo occulto modo) petenti, eum in manibus portanti, rogatum cogat omnia pro ſua voluntate concedere: quod ex Plinio eruit doctiſſimus noſter Walrama, quid ergò non obtinebis tu O Virgo, ab æterno Patre, dum illi pretioſum illum Hyacinthum Chriſtum filium tuum (petra autem erat Chriſtus) in cœlis offeres? quid abnuis Virgo? accede, accede ô pia, quid tergiverſaris Domina.

Walrama conc. de Hyacintho

Ah rationem videor ſubolfacere ex Solino, is enim & hanc prædictam Hyacintho adſcribit proprietatem, quod in præſentia effuſi, in quacumque minima quantitate ſanguinis omnem ſuam vim deperdat. Heu; Maria pro nobis miſeris peccatoribus, tamquam promptiſſima advocata, præclarum hunc Hyacinthum, Verbum Incarnatum Chriſtum, offerre eſt paratiſſima: ſed eum continuò ſanguine invenit madefactum, quia non obſtinati in iniquitatibus noſtris denuò crudeliùs, quàm ante Judæi crucifigimus: Hyacinthus hic ſuam propter ſanguinem dementitur virtutem. Quid itaque aget miſericordiæ Mater? Ah! veretur, ne ſibi eveniat, ſicut Eretricæ Roxanis Scinenſis Regis uxori, ſcribit Steſimbrotus antiquiſſimus ſcriptor. Hic notatu dignum hunc eventum ac mirabilem hiſtoriam (ſi pro vera haberi poſſit) de quo judicium non fero, hoc modo enarrat. Roxanes ſibi maximè rebellem habebat quemdam ditionis ſuæ ſubalternum Principem nomine Archeptolem, hunc, ut ad debitam redire compelleret obedientiam unigenitum filium, contra eum ingenti cum militum caterva miſit. In hac expeditione ſatis ardua & difficili, tandem contigit quod, (inito ſanguinolento ab utraque parte prælio) Archeptoles vivus in manus devenerit, quem victor, ſummo cum triumpho ad patrem lætus, quamvis in hac pugnâ graviter ſauciatus, deduxit. Hunc cum conſpexiſſet Roxanes, in eum ſeveram ſine ulla commiſeratione protulit ſententiam, deprecabatur Regem reus, pro venia tota inſtabat regia Curia, ingemiſcebant univerſi regni Principes & Nobiles, ſuas addebat & preces populus, ſed tamquam rupes duriſſima, quæ maris ridet procellas, immotus Roxanis animus cunctas explodebat deprecationes. Tandem neſcio an rei Archeptolis, an verò Aulicorum precibus, commota Eretrica, Regem maritum ſuum acceſſit, ſupplexque pro condemnato delicti condonationem expoſtulavit. Roxanes arreptâ uxoris manu, eam ad lectum in quo læſus jacebat filius deduxit, detectiſque ejus vulneribus, ad illam converſus, torvo vultu, in has voces erupit *O Eretrica, quid pro perfido Archeptocle deprecaris? ecce hæc filii mei & tui vulnera clamant vindictam.* Ad quod modeſte reſpondit: *Si ô Rex, hæc te ad iram concitant vulnera, per illum fœtum* (erat enim gravida) *quem illæſum in utero porto, veniam exigo.* Quo dicto, Rex omni irâ depoſitâ, confeſtim reo vitam donavit, ô res mirabilis & ſtupenda!

Hanc

Hanc eamdem videtur quod timeat Maria replicam: dum enim pro reo & rebelli homine peccatore, summum illum offensum Roxanem, Patrem æternum deprecatura accedit, ipse ad illam conversus, nonne jure meritò ad instar Roxanis respondere potest: *O Maria, quid pro perfido homine deprecaris, ecce hæc filii mei & tui clamant vindictam vulnera.* Ecce non sufficit, quod homo refractarius, semel unigenitum meum & tuum crudeliter infami affixerit trabi, sed eum indies sceleribus crucifigit, ejusque vulnera continuò renovat, quid igitur pro tali preces effundis? sanè justa ab omnibus hæc patris judicari debet replica. Verùm rogo te, accede ô Maria, illa enim filii tui vulnera, non vindictam, sed veniam clamare fiducialiter credo innixus D. Bernardi verbis: *Filius ostendit Patri latus & vulnera, non potest esse repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia.* Quod si tamen Virgo benigna, quia hominum peccatis toties Christi Domini nostri, in cœlis vulnera, suo modo, id est secundùm æstimationem recrudescunt, iratus pater, ut alter Roxanes, ad preces tuas persistat immotus, ah! ô Domina, te cuncti obnixè rogamus imitare Eretricam: tu in benedicto utero tuo, tamquam in urna cœlesti Sacramentatum contines filium (ut conc. 13. ostensum est) tu in Sacrosanctis tuis penetralibus nobilissimum illum fætum sub speciebus sacramentalibus Verbum æternum portas, ergò ô pia, dic, ut altera Eretrica: si ô pater æterne, hæc te ad iram filii concitant vulnera, si divinam tuam ad vindictam illa provocent Majestatem, per illum fætum, quem in indissolubilis tui amoris testimonium, in utero porto, veniam exigo. Non dubium est, quin tunc devictus ad instar alterius Roxanis succumbet, & misericordiam nobis reis impertietur.

Nec id mirum est, quia non tantùm Ethnici & infideles, verùm etiam Christiani parem gravidis mulieribus reverentiam deferre solebant, ut testatur Historiographus Meyerius in suis annalibus Flandriæ. Refert hic de Eduardo Angliæ rege, quod ipse Caleti obsidionis nimiâ diuturnitate, atque immensis in ea factis expensis, ad iram concitatus, civitatem (quam jam ad summam redactam penuriam, & extra omnem succursus spem existentem, propter totalem Philippi Regis Franciæ exercitus dispersionem) gladio & igni tradere firmiter constituerat; ab urbe supplices ei missi legati, ut de deditione cum Eduardo tractarent. Verùm sub hac conditione remissi, *ut sex præcipui totius oppidi,* inquit Meyerius, *ad supplicium perducerentur, si reliquam multitudinem salvam vellent.* Alioquin, quod omnes essent ferro perituri. Hoc ad urbem relato nuntio, ejulatus & planctus ingens undique auditus est, totaque civitas non nisi luctus ac tristitiæ apparebat facies, & quinam irent, sequenti die initum est consilium. Sed tandem inventi, qui ex amore patriæ & communitatis (quorum nomina hic subticeo, quia nil hoc ad propositum meum conducit) sese supplicio afficiendos, voluntariè obtulerunt. Hi simul ad Eduardi castra profecti, ab eo ad mortem condemnati sunt. Quo viso, ait ille, *Intercedit vehementer nobilitas, ne victoriam crudelitate maculet, fædum fore exemplum, & haud dubiè in se aliquando versurum.* At ille pertinaciter omnes preces rejecit, nec benignas aures ad clementiæ partem declinare permisit. Quid tum consilii, quid spei supererat reis? Sanè adhuc magna, quamvis extrema. Ad ejus enim accessêre uxorem, rogitantes quatenus pro condemnatis precaretur, quod & ipsa fecit, ut idem prosequitur dicens: *Tum Philippa Regina uterum gestans, ac partui propinqua, patria Hanoniensis Belgarumque amans, honesta ac pia matrona, cum lachrymis ad Regis se projecit pedes, illumque hoc modo deprecata est, Domine, nunc propter amorem Iesu Christi, dona mihi istos sex homines.* Quid ad hoc Eduardus? *Habe,* inquit, *eos,* & ut justitiæ satisfaceret, adjunxit, *vellem ut non adesses.*

Quod si temporalis (ait enim ex amore id factum, quia valde diligebat eam) uxoris Principis amor tantùm effecerit; quid non efficiet amor summi Eduardi Dei pro Regina cœli Maria? indubiè cunctam, quam pro reis efflagitabit gratiam, impetrabit. Deum enim tu, ô pia Mater! pro miseris peccatoribus Sacrosancto fætu, æterno Verbo incarnato gravida, patrocinaris; quid aliud audietur à Deo responsi, quam quod Philippa ab Eduardo recepit? *habe eos.* Itaque ô Domina rursùs repeto, sis nobis Eretrica, sis quoq; Philippa; tu in Sacrosancto tuo corpore tamquã in urna pretiosa inæstimabile contines pretium scilicet Christum Jesum sub Sacramentalibus speciebus delitescentem, & quidem continebis (ut diximus suprà conc. 13.) in æternùm. Accede ergò Virgo Dominum, ut reus habeat gaudium. Hoc ô Maria ultimũ nostrum est refugium. Medici agonizantibus & gravissimè infirmis pro ultimo remedio pillulam ex hyacintho confectam præbent. Sic sancta Mater nostra Ecclesia spiritualis curatrix pruden-

prudentissimè cunctis Christi fidelibus orationem hanc ad te Mariam subministrat: ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis, ut tunc illum, quem in utero portas hyacinthum Christum filium tuum æterno Patri in remissionem offeras peccatorum, ut eâ plenariè suo favore perceptâ, cum illo & tecum æternâ perfrui beatitudine valeamus, quod nobis donet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. AMEN.

CONCIO XXII.

THEMA.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. cap. 1.

ARGUMENTUM.

Ostenditur quomodo Deipara Maria summo cum fundamento mirabilem hanc pronunciare possit sententiam, Magnificat anima mea Dominum.

CUm attentâ mente hanc contemplor scripturam, nobis in persona Deiparæ Virginis à Spiritu sancto prolatam: *Magnificat anima mea Dominum*, difficultate sanè opprimor non exiguâ; etenim quomodo possibile est, ut creatura Creatorem, homo Deum magnificet, id est, exaltet & magnum faciat? *Non est*, inquit Sapiens, *minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei.* Et paulò inferius: *Quis magnificavit Deum sicut est ab initio?* non ignoro, quosdam *Tò Magnificat* secundùm suam propriam ethymologiam, & prout importat sublimare: sed magis impropriè, scilicet ut significat, laudat Dominum, interpretari; ut enim bene annotat S. P. N. Augustinus diversimodè *Tò magnificat*, capi potest. *Sed sciendum nobis est*, inquit, *duobus modis dici magnificari, id est, aut magnum facere, aut magnum adorare, magnum admirari.* Verùm salvâ horum interpretum reverentiâ eorum impropriæ præfati loci interpretationi neutiquàm possum subscribere; huic enim non tantùm expresè contrariantur S. Gregorius aliique Patres, (ut ex præsenti discursu clarè patebit) sed etiam cœlestis paranymphus Gabriel, hic enim Mariam, ut divinus salutans legatus nomine SS. Trinitatis dixit: *Hic erit magnus*, ubi in tempore futuro loquitur: non

Eccl. c. 18. v. 5.

Aug. ser. 53. de diversis.

nego quin & hæc verba magnam pariant difficultatem. Quomodo enim ille, qui ex natura & essentia sua maximus est, nec se novit majorem, magnus fieri potest? Ah! quis tantâ id efficiendi pollet potentiâ? An tu forsitan ô Maria, quæ tam audacter te jactitas, *Magnificat anima mea Dominum*? O Virgo, ubi jam profunda tua humilitas? tu te Dei prudenter & rectè appellasti ancillam, quomodo jam illius magnificatricem te nuncupas? potestne ancilla Dominum glorificare? Tu clamasti, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ, fecit mihi magna qui potens est.* Et modò tu ei magna facere gloriaris? Hæc profectò imbecille meum nullatenus comprehendit ingenium.

Ad hunc propositæ quæstionis nodum dissolvendum meminisse oportet duorum acutissimorum, quæ in Historiographis reperi hieroglyphicorum emblematum. Quorum primum ut proferam, in memoriam revocandum est, quod contigit tempore potentissimi Imperatoris Vespasiani. Antiquæ enim Romanæ referunt historiæ, quod is, quâdam curiositate instigatus, non tantùm subtilissimos ac ingeniosissimos totius Romani Imperii litteratos, verùm etiam cujuscumq; status celebres & famosos viros congregari mandârit. Idque eo fine, ut ab iis, hæc à se proposita diffi-

difficultas, quænam virtus maximè Deum magnificaret, cjusque gloriam augeret: ac proinde quis Deorum maximus foret habendus, decideretur: Fuitque illa sub his terminis proposita: *Quis Deorum esset major?* Sed ecce, sicut diversorum statuum congregati erant difficultatis diremptores, ita & variæ inter illos exortæ sunt opiniones. Marti & bello dediti, sanguinique inhiantes fortitudinem cæteris prætulerunt, maximumque Deorum Martem constituerunt: Juxta illud Sap. cap. 2. *Sit fortitudo nostra lex justitiæ.* Mercatores divitiarum hujus mundi cupidi opulentiam acceptarunt, ac in supremum Deum sibi elegerunt Plutonem: juxtà dictum Oseæ: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* Philosophi & litterarum amantes summopere extulerunt sapientiam, sibique Minervam sapientiæ Deam ut summam, attribuerunt. Secundùm dictum Salomonis: *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis.* Tandem hujus sæculi potentes, Principes, Reges, Monarchæ potentiam omnibus supereminere asserverunt, Jovemque Deorum supremum esse decreverunt.

Sap. c. 2. v. 11.

Prov. c. 8. v. 11.

Osea c. 12. v. 8.

Intereà temporis (dum quilibet pro suo Deo viriliter decertabat, & suam quisque sententiam meliorem fore ratus, illam strenuè propugnabat) juvenis quidam, tabulam depictam in manibus portans, sese ultrò in consortium intrusit. In hac artificiosè depictus erat certus Deus extensis brachiis, in dextra legebatur *promitto*, in sinistra *exspecto*, in pectore *remitto*, & circumcircà sæpius pro emblematis epigraphe exaratum erat vocabulum *clementia*, & in medio tabulæ digitus vivis coloribus cernebatur summo cum artificio deliniatus, qui indigitabat prælatum Deum cum dicto *Deus clementiæ.* Quo emblemate hieroglyphicè innuere prætendebat juvenis, omnem perfectionem divinam longo intervallo clementiam & misericordiam antecellere, illamque summopere Dei exaltare & augmentare Majestatem, ac magnificentiam, & proinde eò majorem fore Deum, quò clementior ergà mortales appareret. Et hoc viso, cuncti acquieverunt, & eamdem sententiam unanimiter amplexi sunt.

Hoc sanè hieroglyphicum apprime declarat modum concipiendi quomodò Maria Virgo Deum Christum filium suum glorificaverit, magnificaverit, atq; majorem reddiderit. Gloria enim, magnificentia, eminentia divina, est clementia, majorque Deorum est Deus clementiæ, Deus noster in antiquo Testamento (ut fusè dictum est in 1. 2. & 3. Conc.) erat Deus ultionum, Deus zelotes, Deus vindicans usque in quartam generationem. Nusquam ferè mica vel scintilla divinæ apparebat benignitatis; unde ingemiscens meritò clamare poterat genus humanum! ô Domina an in finem misericordiam tuam abscondes à generatione in generationem; sed ecce, ubi in sacro-sanctum Virginis Mariæ uterum verbum descendit, redditur clemens & misericors: *Ecce Virgo concipiet*, ait Isaias, *& pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod misericordem significat, optimo itaque jure Maria gloriari potest dicendo *magnificat* id est glorificat, *anima mea Dominum.*

Isai cap. 7. v. 14.

Nec minus efficaciter idem intentum probat secundum, quod ad hoc propositum quidam modernus adducit hieroglyphicum. Is enim in tabula quadam nitida puerum habentem in manu circulum perfectè completum depinxit, additque hanc epigraphen *quis perficiet?* ab altera parte erat delineata pulcherrima Virgo quæ mirabili dexteritate illum circulum complevit, cum dicto alteri correspondente *hoc ista potest?* Sanè mundi circulus imperfectus erat & incompletus, nec amor huc usque totum cuderat. Principium enim quàm longissimè distabat ab effectu, scilicet natura humana à divina; illa duo unico fiat Maria mirabiliter univit, in quo mysterio summa Dei sapientia, potentia, misericordia & amor præcipuè elucet, quæ Dei gloria maxima est (sicut in hoc præsenti discursu demonstrabo) ut clarissimè cunctis appareat, quàm rectè Maria Virgo sibi magnificum hoc valeat adscribere elogium *Magnificat anima mea Dominum.* Tu interim ô pia, mihi tuo interventu apud sponsum tuum Spir. S. ut desideratum scopum aliquatenus attingere queam, divinam impetra assistentiam, pro qua te devotè & humiliter invoco salutans te Angelica salutatione. Ave.

Magnificat anima mea Dominum.

Dum de proposito hujus discursus objecto congruè aliquid adducere meditabar, in mentem incidit ingeniosi & subtilis cujusdam Sambuci emblematis recordatio, cui titulus seu epigraphes erat: *Imperatoris virtutes*, quod in hunc modum artificiosissimè depingi curavit. Magnificus in tabula cernebatur Princeps equo insidens, qui in manu globum gestabat, in collo equi delphinus pendebat, in extremitate dorsi caput bovis erat, in altera

altera verò manu vexillum portabat. Cui varia ingeniosa ac docta inserta visebantur hierogly phica dicta. Etenim ibi Mercurii galerus apparebat, & caducæum cum duplici angue, & juxtà illum liber, & piramis quædam. Hic Princeps cunctis destitutus erat famulis, unica ei dumtaxat aderat Virgo, suprà cujus caput hæc legabatur inscriptio: *nil sine hac Virgine.* Scio authorem hoc emblemate, dictisque hieroglyphicis intendisse significare, nullum Principem, nullum Regem, (quibuscumque animi dotibus emineat, & quibuscumque corporis bonis abundet) heroica posse præstare facta, nisi ei favorabiliter assistat fortuna, per hanc Virginem & epigraphen significata, *Nil sine hac Virgine:* sed ego modò Sambuci emblema ad aliam, mysticam, & spiritualem convertam significationem: dicamque per hoc concinnè Christum cum Maria Virgine adumbrari. Ipse enim est Princeps, & Rex Regum & Dominus Dominantium, in duabus naturis, unâ tamen dumtaxat, scilicet divinâ subsistens personalitate,

Isai. c. 40. v. 12.

tenetque globum in manu juxtà illud Isaiæ: *Qui tribus digitis appendit molem terræ* Delphinus celeritatis est symbolum: per hanc Virginem Deus, qui tardus erat ad misericordiam, & pronus ad iram odoriferâ virtutum, & ejus præcipuè humilitatis fragrantiâ è sinu patris attractus ad mundum Delphini naturam imbibit, & celerrimè humano generi pietatem & benignitatem elargiturus

Ps. 18. v. 8.

festinavit, ut ait Propheta David: *Exultavit ut gigas ad currendam viam à summo cælo egressio ejus.* Imò & illi alterum delphini hieroglyphi

Pier. l. 27.

cum quadrat *amor.* Sicut enim Delphini, ut ait Pierius: *Ingenito quodam affectu sponte sint humani generis amatores, ideoque crocodilorum hostis infensissimus, propterea, quod crocodilus humano semper generi insidiatur.* Ita Christus per Mariam homo factus, ejus ferventissimus amans, infernalem crocodilum hominis infestissimum hostem dæmonem potenter insectatus est & occidit. Caput Jovis indefatigabilis laboris est hieroglyphicum, verbum æternum humanâ carne assumptâ, nullis pepercit laboribus, nullis defatigationibus, ut humanæ salutis sedulò satageret, eumque Christianam doctrinam edoceret: unde de eo ait Evan-

Ioan. c. 4. v. 6.

gelista Joannes: *Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic.* Deinde galerus Mercurii eloquentiæ Dei, nonne ipsimet sapientiæ & eloquentiæ Christo quàm optimè quadrat? de eo enim dicunt ministri Pharisæorum: *Numquam sic locutus est homo.* Præterea vexillum Christi crucem significat, in qua mysteriosa hæc, in tabellâ appendet subscriptio: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Caducæum cum duplici angue (quod & concordiæ symbolum apud veteres habitum est, eò quod Mercurius duos anges inter se hostiliter pugnantes composuisset) pacem, quam Christus Dominus (dissidium inter genus humanum & Deum dirimens) mundo attulit universo, repræsentat. *Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis,* Christo nato, clamant Angeli

Luc. c. 2. v. 14.

Liber doctrinam Evangelicam denotat, Piramis ejus æternitatem. Et sanè nonne & illi potest adscribi hæc meritò epigraphes, *nil sine hac Virgine Maria?* indubiè. Ipsa enim illi carnem subministravit, quâ potentissimus hic Princeps tot mirabilia heroica opera perfecit, è quibus præcipua divinæ essentiæ clarissimè manifestantur attributa, sicque optimè Maria magnificat Dominum, quia nil sine hac Virgine.

Et sanè secundùm Dionysium Areopagitam, nonne mirabiliter illuxit per eam divina bonitas? Qui hoc vulgati & in omni schola accepto utitur adagio: *Bonum est sui diffusivum.* Huic Hebræi, ut refert Josephus, & testatur doctissimus vir & eximius Mariæ Virginis encomiastes Carthagena: *Non ea potissimum de causa precabantur, ut Dei divina benignitas eis sua bona communicaret, sed ut ipsos ad illa recipienda, & ad illorum bonum usum disponeret, & prapararet. Nam cum summè bonus, & nequaquam parcus sit, de illius effusa liberalitate ac bonorum largitate minimè dubitabant.*

Dionysius de divinis nominib. Ioseph. contrà Apionem. Carth. t. 1. l. 2. hom 7.

Unanimiter itaque divinæ essentiæ ab omnibus adscribitur pro primariò attributo Τὸ *bonitas.* Et per consequens sui diffusivum. Sed quis Dei nostri egeno mundo demonstravit benignitatem? Quisnam ille generosus Hector, qui durissimum olim in genus humanum Deum, flexibilem, & sui effecit diffusivum? quis omnem creaturam in melius commutavit? ah cogor uti subtili Sambuci epigraphe, *nil sine hac Virgine, nil sine Maria.* Sed quo medio? Respondet Damascenus: *Creator naturam omnem interjecta humanitatis beneficio in meliùs commutavit.* Cui concinit Cajetanus: *Incarnatio, inquit, est elevatio totius universi in divinam personam.* Concludamus jam modò, si divinitati congruat gratia, bonitas, & clementia, quæ non nisi per hanc Virginem Mariam, mediante Incarnationis mysterio demonstrata est secundùm Augustinum dicentem: *Gratia Dei non potuit gratius commendari, quàm,*

Damasc. de Nat. Virg. Cajet 1. p. q. 1. a. 1. August. l. de civit. Dei c. 29.

Serm. 8. de verb. Apoſt. *quàm, quod Filius Dei manens immutabilis indue-rit hominem.* Et ſerm. 8. de verbis Apoſtolorum: *Si humanus dicitur, qui in domo ſua ſuſcepit hominem, quàm humanus eſt, qui in ſeipſo ſuſcepit hominem.* Ergò jure meritò ipſa poteſt dicere: *Magnificat anima mea Dominum.*

Et quandoquidem de communicatione creatoris creaturæ fiat mentio, dico hypoſtaticam omnium communicationum eſſe nobiliſſimam: ſiquidem per eam homo effectus eſt Dei filius, non adoptivus tantùm, ſed etiam naturalis. Unde humanæ naturæ, divinâ verbi ſuppoſitalitate ſubſiſtenti, omnia divinæ naturæ attributa, omneſque proprietates, eò quòd hæc vera ſit propoſitio, homo eſt Deus, per communicationem (ut loquuntur Scholaſtici) idiomatum, rectiſſimè appropriantur. Quin etiam & hoc quàm maximè eſt annotandum (quod & ad potentiam ſpectat) quamvis in communicatione, quæ eſt in Deo *ad intrà* fuerit prorſus impoſſibile, ut una perſona divina alteri propriam communicaret perſonalitatem (divinorum enim ſuppoſitorum diſtinctio ſimilem neutiquam admittit communicationem) attamen hæc in Incarnationis myſterio apertè elucet: ubi Verbum divinum propriam ſubſiſtentiam humanitati Chriſti communicat. Quod itaque *ad intra* nequiit per divinam omnipotentiam fieri, *ad extrà* per bonitatem effectum eſt: ut hoc modo non tantùm ejus eſſentia (ſicut in æterna filii generatione, & Spiritus ſancti proceſſione fides docet Catholica) verùm etiam ipſius perſona humanæ communicaretur naturæ, ut ſic tamquam ſummum bonum ſummo modo ſui foret diffuſivum. Sed hoc quis fecit?
Bernard. Ah! *Nil ſine hac Virgine, nil ſine Maria.* Hoc conſiderans Bernardus ait: *De plenitudine Mariæ accipiunt univerſi.* Quod non tantùm de creatis intelligit, verùm etiam de ipſamet SS. Trinitate, pergit enim: *Denique tota Trinitas gloriam, filii perſona humanæ carnis ſubſtantiam, ut non ſit, qui abſcondat à calore ejus.* Benè itaque clamat Maria, *Magnificat anima mea Dominum.*

Nec minùs in admirabili Verbi divini incarnatione reſplenduit Dei omnipotentia. Quis enim ante hoc myſterium, quod abſconditum à ſæculo nuncupat Apoſtolus, comprehendere poterat, aut adinvenire modum, quo immortalis fieret mortalis, infinitus, æternus, temporalis, creator, creatura? Quis quæſo umquam imaginatus fuiſſet, quod ille Deus, quem ob immenſitatem cæli & terra capere non poterant, in arcto unius Virginis uteri clauſtro concludi, & finitâ hâc menſurâ infinitus valeret commenſurari? Quis umquam poſſibile fore crediſſet, quod duæ diverſæ in infinitum naturæ, creata ſcilicet & increata reali nexu poſſent copulari, & ambæ unica ſubſiſtere ſuppoſitalitate, ſicque tam mirabilis adeò diſſimilium idiomatum fieret communicatio? nullus ſanè. Quod tamen cuncti jam factum eſſe firmiter ſuſtinent fideles: itaque quod, ante hoc ſtupendum opus, judicabatur impoſſibile, jam divinâ omnipotentiâ ad actum redactum eſſe indubitanter creditur. Ergò omnipotentia divina plurimùm in Incarnatione innotuit. Audite quid de hoc ſentiat Doctor Angelicus divus Thomas: *Magna potentia in conjunctione diſparium elementorum, major in conjunctione illorum ad ſpiritum creatum, maxima verò ad ſpiritum increatum.* Et pergit diſertè: *Plurimùm certè ſe poteſtas inſinuat in diſſimilium rerum confœderatione, & ita placidâ unione, ut numquam ſe mutuo deſtruant, & multò magis & clariùs ſe oſtendit in anima quæ tota ſpiritus eſt conjunctione cum corpore, at in unione humanæ naturæ cum increato ſpiritu, quod eſt verbum æternum, mirabilius, & excellentius effulget.* *D. Thom. in opuſc. 60.*

Illud ipſum ſatis luculenter indicat Propheta Regius, dum Deum ad noſtram aſſumendam naturam rogitat, *excita potentiam tuam, & veni, ut ſalvos nos facias.* *Pſal. 79. v. 3.* Ac ſi diceret, ô clementiſſime Domine, omnes exere divinas vires, oſtende nunc quouſque potentia tua valeat attingere, demonſtra univerſo mundo, quouſque aſſurgere poſſit divina tua poteſtas; certè in hoc incomprehenſibili myſterio tota neceſſaria eſt. *Excita*, itaque *illam & veni.* Id annotans S. P. N. Auguſtinus ait: *Tota ratio facti, eſt ratio facientis.* *Auguſt. ep. ad Voluſianum.* Sed quid hoc, ô ſplendidum Eccleſiæ lumen Auguſtine? Quid ais? Nonne divina ſapientia atque bonitas ab hoc opere eſt excluſa? Neutiquam ſanè. De hac enim jam egimus. De illa mox conſtabit. Nonne quoque juſtitia & miſericordia tanti myſterii exſtitêre participes? Nec hoc profectò eſt denegandum, ut infrà patebit, quare ergò non dixiſti totam facti rationem eſſe facientis ſapientiâ, bonitatem, miſericordiam, & juſtitiam? Sanè nil aliud reſpondere poteſt Auguſtinus, niſi, quia Dei omnipotentia omnium aliorum attributorum, in humanitate à Deo ſuſcipienda, efficax fuit executrix. Etenim quid profuiſſet ad hoc myſterium complendum, quod ſapientia mirabilem

hujus copulationis modum adinvenisset: Quid amor, si sese ad hominem redimendum, & ad vilem, atque abjectum mortalitatis saccum induendum determinasset? Quid egisset misericordia, nisi omnipotentia tale opus ad perfectionem & effectum deduxisset? Benè itaque *tota ratio facti, est potentia facientis*, ait Augustinus, quæ sententia, & ea omnia, quæ huc usque diximus, validè corroborantur ex diverso Spiritus sancti loquendi modo, dum operibus divinis nomen imponit: cælos

Ps. 8. v. 4. enim opera digitorum Dei appellat per Psalmistam: *Videbo cælos tuos: opera digitorum tuorum*, terram unius manus effectum esse claré insinuat per eumdem, *in manu tua sunt omnes fines terræ.* Plasmationem verò hominis è duabus Dei mani-

Psal. 94. v. 4. Iob. c. 10. v. 8. Luc. c. 1. v. 51. bus prodiisse testatur Propheta Job: *Manus tuæ fecerunt me*: verùm Incarnationis mysterium ipsamet Diva Virgo opus brachii, & omnipotentiæ nuncupat: *Fecit potentiam in brachio suo.* Itaque quia hanc, mediante carnis in Verbo Assumptione, manifestavit, totique mundo ad oculum demonstravit Maria, aptè sese jactitat, *Magnificat anima mea Dominum*, quia eum omnipotentem declarat. Quod idem apertè innuere videtur S.

Bernard. serm 3. super salve. Bernardus dicens: *Et ut breviter concludam de hac, & per hanc, & propter hanc totus mundus factus est, & hæc gratia Dei plena est, & per hanc homo redemptus est, verbum Dei caro factum est.*

In hoc quoque mysterio maximè eminuit infinita Dei sapientia, quæ modum duo infinitè distantia uniendi facilè adinvênit, quod rursus con-

Thom. loco citato. firmat S. Thomas his verbis: *Quid sanè sapientius, quàm quod ad complementum universi fuerit conjunctio primi & ultimi? Scilicet Verbi Divini, quod est omnium Principium, & humanæ creaturæ, quæ in operibus sex dierum fuit ultima creaturarum.* Deinde difficilè admodum erat concipere medium conveniens, virtute cujus fælicem res tam intricata exitum sortiretur: hoc tamen divina

Damasc. reperit, ut ait Damascenus sapientia: *Rei perquàm difficilis, & perplexæ convenientissimum exitum Deus adinvênit.* Debebat enim in hominis redemptione, & in Verbi Incarnatione utrique divino satisfieri attributo, justitiæ scilicet, & misericordiæ, quod abundè effectum est, inquit Ansel-

Anselmus. mus: *Quid misericordius intelligi potest, quàm, ut peccatori æternis pœnis deputato, & unde se redimeret, non habenti, pater dicat: accipe unigenitum meum, & da pro te, ipsius filius accipe me; & redime te. Quid autem justius, quàm, ut ille, cui datur pretium majus omni debito, dimittat omne debitum?* Concludamus itaque, quòd præcipuè in incarnatione plurimùm resplendeant divinæ essentiæ proprietates. Sed quis totum hoc fecit? Sanè rursus uti possum Sambuci epigraphe, *nil sine hac Virgine, nil sine Maria*, ergo rectè ait: *Magnificat anima mea Dominum.*

Ex Anselmo jam statim diximus tam justitiam, quàm misericordiam in hoc opere triumphasse. Verùm hic est notandum longè misericordiam præ justitia fuisse elatam, secundùm illud:

orietur in diebus ejus, scilicet Mariæ, *justitia & abundantia pacis*, id est magnæ misericordiæ copia, *Psalm. 71. v. 7.*

in cujus ostentatione summam Christi consistere gloriam operæ pretium est claré ostendere: ut inde in Mariæ Virginis laudes eruamus, quantùm ipsa Dominum magnificarit & glorificarit.

Sed anteà necessarium est difficilem quamdam, & sanè non contemnendam, quæ ex jam dictis in medium proferri potest contrà Mariam, dissolvere quæstionem; etenim quispiam contrà eam objicet, quomodò Maria Magnificat Dominum, ubi Apostolus ait: *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* *Ad Phil. c. 2. v. 7.* Si enim τὸ homo Dei exinanitionem & servitutem importet, quæ gloria, quæ magnificentia Deo accedit, in humanæ naturæ susceptione? & præcipuè, cum ipsemet per Prophetam Isaiam videatur conqueri de tanta sui objectione: *Ego vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis* *Psalm. 71. v. 7.* S. Gregorius expendens hæc Psalmistæ verba, *tu exurgens misereberis Sion*, subtiliter propositæ quæstioni respondet, dicens: *Per filium Deus Pater resurrexit, juxtà Davidem, tu exurgens, scilicet Pater misereberis Sion:* *Gregor. in Psal. 101.* & rationem addit: *quia, qui non cognoscebatur, per eum in hominum notitiam venit. Prius enim notus in Judæa Deus, sed post incarnationem Verbi, per totum terrarum orbem nomen ejus fuit propagatum, sicut scriptum est: in universa terra magnum nomen ejus.* Deinde aliquatenus amplificata & glorificata videtur Divina Majestas, quoniam quantumvis in se crescere non potuerit, crevit tamen in homine, dum humanam naturam ad divinam evexit, & suprà omnes Angelorum Choros, illam divinâ subsistentem suppositalitate, in cælesti Regno collocavit. Ut enim ait Chrysostomus: *Non frustrà ad tantam humilitatem Christus descendit, sed ut nos ex humili sublevaret*: *Chrysost.* quod non levè ipsius gloriæ est incrementum. Olim enim majoris dignitatis, & excellentiæ æstimabatur, alios, quam se ipsos ad hono-

Plutarch.

res, & præeminentiam extollere, ut testatur Plutarchus; unde cùm inter Sabinos & Romanos, mortuo Romulo, gravissima orta pro Rege eligendo fuerat dissensio, post longam & pertinacem concertationem, *Romanis visum est potius*, inquit, *Sabinum eligendum seipsos authoribus, quàm Romanum Sabinis designantibus*: ne scilicet gloria penes Sabinos remaneret.

Non dissimiliter Dei Filius glorificatus est, Verbum divinum enim ejusdem cum Patre existens substantiæ, & magnitudinis, scilicet absolutè infinitæ, non potuit illius ingeri natura, sed hominem augens, & ad altiora, nimirum ad æternam sublevans beatitudinem, magnificatus est. Cui apposite concinere videtur Augustinus: *Quis magis dives*, inquit, *qui habet, quod vult, alio faciente, an qui facit, quod vult, alio habente?* Et respondet quæsito: *Puto, quia ditior ille, qui facit, quod habeas, quàm quod ille habet, tu non habeas.* Si ergò Dei filius homini suam communicet naturam & subsistentiam, id faciendo summopere amplificata est, ostensaque ejus excellentia.

August. in prologo Psal. 101.

Neque ea, quæ hucusque diximus, tam debili innituntur fundamento: etenim pro hac veritate strenue tam Angelica salutatio, quàm quotidianus Ecclesiæ cantus videtur decertare. Gabriel Mariam salutans ait, loquens de Christo, *Hic magnus erit*, & Ecclesia canit, *Tu solus Altissimus Iesu Christe.* Quid ais, ô cælestis paranymphe in futuro? an magnus modò non est, de quo loqueris? an forsitan divinæ essentiæ quidquam adjici, aut advenire potest perfectionis? Hoc expresse contra Dei militat immutabilitatem. Cur itaque ais, magnus erit? optime sane dicit Angelus, *Magnus erit.* Deus namque in antiquo testamento (ut latius dictum est supra) mundo non erat, nisi formidabilis, & Deus ultionum, atque valde vindicativus: verùm in virginali Mariæ claustro sacrosanctâ è ejus purissimo sanguine carne assumptâ, totus pius benignus, & misericors effectus est, in quo omnis Dei consistit magnificentia & gloria (ut mox videbimus) magnus itaque erit, ait Angelus, quoad novos effectus, & varias divinæ misericordiæ operationes, è quibus homini Salvatoris apparebit benignitas, sicque Maria rectè dicit: *Magnificat anima mea Dominum.*

Luc. 1. 32.

Sed majorem difficultatem pariunt citata Ecclesiæ verba, *Tu solus Altissimus Iesu Christe*; etenim, an forte Pater æternus, an forte Spiritus sanctus non est altissimus? Hoc asserere plane hæreticum est, & directè repugnat symbolo S. Athanasii dicentis: *Et in hac Trinitate nihil priùs, ac posteriùs, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Quomodo itaque Christus est solus Altissimus? Tò namque *solus*, secundùm vocabuli ethymologiam absolute plures excludit. Hanc quæstionem vulgari quodam exemplo lubet enodare. Cuilibet cognitum est, nobiles & primates è diversis insignibus præclarorum stemmatum, tam ex parte matris, quàm ex parte patris, nobilitatem expiscari, eamque familiam præ cæteris extollere, quæ plures ratione matrimonialis conjunctionis, & initæ affinitatis, ad nobiles familias habent relationes, ideoque diversa, & plura, tum in funeralibus, tum epitaphiis, ad ostentationem nobilitatis defuncti, proferunt insignia. Modò ad rem nostram. Pater æternus duas nobilissimas, unam respectu divinæ generationis filii Verbi, alteram respectu Spir. S. processionis, habet relationes: Verbum quoque duabus, paternis non inferioribus gaudet relationibus, unà respectu patris, à quo est genitum, alia respectu Spiritus Sancti, qui ab eo, sicut & à Patre procedit: Spiritus sanctus duas etiam habet, non minores relationes: scilicet ad patrem, & ad filium ratione processionis ab utroque. Optimè itaque ait Athanasius: *Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Verùm dum Verbum Incarnatum est virtute & cooperatione Spiritus sancti, imò & Patris, teste Gabriele: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, tres novas nobilissimas accepit relationes. Duas, ad cooperantes ambas in hoc mysterio divinas personas, alteram ad Mariam Virginem Matrem gignentem, cujus propriissime dicitur, & est filius. Et quamvis Pater & Spiritus Sanctus etiam ad duas novas attingat (cooperantis enim ad productum datur relatio (attamen in hac ultima, materna scilicet, cæteras personas excellit Verbum æternum: optime itaque concludo, cantat Ecclesia de Christo, *Tu solus Altissimus*, & Maria bene fundata ait: *Magnificat anima mea ad Dominum.* Hoc divine ad meum conceptum explicat mellifluus Doctor S. Bernardus, hisce verbis: *Quare hic erit, & non est magnus, qua semper est æqualiter magnus, non habet, quo crescat, nec major post conceptum futurum sit, quàm ante sit, vel erit? An fortè propterea dixerit, erit, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus sit?* Bene ergò his

Athanas.

Luc. 1. 36.

Bernard.

hic erit magnus, magnus Doctor, magnus Prophe-ta. Magnificat ergo anima tua Dominum (loquitur autem Mariæ) *quia hic erit magnus, & filius vocabitur.*

Non minùs curiosam, quàm ingeniosam, maximèque proposito nostro congruam super hæc Protomartyris Stephani verba: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Instituit quæstionem S. Maximus, cur ipse vocabulo filii hominis, & non Dei, quem tamen, & Deum esse cognoscebat, usus fuerit? Hoc enim ad majorem Christi videbatur spectare excellentiam, ut hujus Patris verba prætendunt. *Considerate attentiùs,* inquit, *cùm beatus Martyr Dominum nostrum Iesum Christum ad dextram Dei Patris stare vidisset, cur se filium hominis videre testatus est, & non potiùs filium Dei? cùm itaque plùs honoris Domino delaturus videretur, si se Dei potiùs, quàm hominis filium videre dixisset?* Ad hoc congruè explicandum meminisse non nocet illius Moysis, quæ Exod. cap. 3. narratur visionis. Huic enim pascenti gregem: *Apparuit Dominus in flamma ignis & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Cùmque Moyses tam admirabilis visionis vicinior esse testis desideraret, ideoque sese ad ascensum accingeret, illi accessum inhibuit, clamans: *Ne appropies huc, solve calceamenta de pedibus tuis.* Attamen dum Deus Exodi cap. 19. illum ad montem Sinai vocavit, non dixit, *calceamenta, &c.* imò in aliis similem locis numquam mandavit reverentiam. Cur itaque tantum rubo defert specialiter respectum? Arbitrabar in hoc Scripturæ loco lucem aliquam reperire, sed illa me densioribus involvit & implicuit tenebris; è quibus ut eruar, rursus suprà memoratam Conc. 16. fol. 96. de genuflexione Sacerdotis in sacro sancto Missæ sacrificio ad hæc præcisè verba in Credo: *& homo factus est,* ceremoniam, proposito isti accommodam, modò præsenti non incongruam, in memoriam revocandum censeo; scilicet cur Deo Incarnato, & non aliis divinis personis exhibeatur reverentia? Ad hoc respondet Augustinus ibidem. Pro hoc modò instituto aliam resolutionem (mox non meis verbis, sed SS. PP. & Scripturæ comprobandam) adducam, ubi propositæ difficultati satisfecero.

S. Maxim. hom. in Nat. D. Steph.

Exod. 3. 2.

Quod mihi non persuadeo adeò difficile futurum, cùm enim omnis Dei gloria (quam propositionem pro majori mei syllogismi accipio,) sit *misereri, & parcere,* & ipsa misericordia non nisi per humanitatis nostræ ad Verbi divinam subsistentiam assumptionem mundo eluxerit, (quæ propositio minor est) è quibus deduco hanc legitimam, ni fallar, consequentiam, ergò plus gloriæ debetur Deo Incarnato, quàm non Incarnato, (cum sale me intelligite, non enim de essentiali tracto gloria, sed de accidentali, & in quantum Verbum homo est) ergo nec mirum, si in Credo specialiter genuflexione adoretur, (quæ tam apud Romanos, quàm Ægyptios exhibita, gloriæ personæ insigne habebatur indicium) cùm ipse Christus, tamquam misericordiæ author & allátor, maximè sit gloriosus.

Modò præfatæ facilè dissolventur quæstiones. Stephanus enim Christum filium hominis, non Dei intitulavit, quia pluris Deum Incarnatum, utpote humanâ naturâ mansuefactum, quàm Deum purum, utpote vindicativum æstimandum fore judicabat, ideoque honorificentissimum illi, quod potest nomen, scilicet hominis incarnati, attribuit. Indequoque elucescit ad secundam responsio. Dico enim rubum ardentem, & non consumptum, verissimam esse Mariæ Virginis figuram, quæ Mater simul exstitit, & Virgo, à qua, quia ipsemet Deus humanam (quasi ut ita dicam) ejus sollicitans consensum, emendicare debebat naturam, plus honoris illi, quam sibi in monte Sinai voluit demonstrari. Hæc enim pretiosa illius fuit corona, & diadema, atque hujus aspectum per Spiritum Sanctum Maria Virgo universum invitat orbem *Videte Regem in diademate, in quo coronavit eum mater sua.* Concludamus itaque finaliter, Mariam Virginem magnificasse Dominum, quod aliquatenus insinuare videtur S. Ambrosius: *Beatus est Mariæ uterus, qui tantum Dominum coronavit, sed quando coronavit? quando eum generavit.*

Cant. 3. v. 11.

Ambros.

Sed quânam coronâ? quo diademate Christum Dominum Maria Virgo insignivit? Quænam illa sunt regalia dona, quibus eum magnificavit? Ah sanè! non nisi sacro-sancta è purissimo suo sanguine confecta caro dignissima fuit Christi corona, quâ jam animatâ, Divinitatique substantialiter unita, Christus pluribus & nobilioribus titulis regiam consecutus est potestatem. Primus est *jure unionis hypostaticæ*; etenim ex quo homo ille Deus factus est, & humana natura in una hypostasi divinæ realiter est conjuncta, omnium creaturarum, tam spiritualium,

quàm

quàm corporalium, tam cælestium, quàm terrestrium absolutum & regium accepit dominium, tituli hujus meminit S. Athanasius, de quo quoque agit Evangelista Matth. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Secundus est *jure redemptionis.* Ex quo enim Verbum Incarnatum est, multo nobiliori modo Dominus effectus est Christus, quàm Dominus alicujus servi emptitii. Et quamvis in instanti incarnationis finaliter humani generis redemptio non fuerit adimpleta, eò quòd ipse nondum pretiosum suum sanguinem (qui nostræ pretium extitit redemptionis) effuderat; quia tamen illum effundere decreverat, ejusque efficacem Pater æternus acceperat voluntatem, ex tunc rectissimè Redemptor hominis poterat denominari, & hoc titulo regio tum in Angelos, tum in homines potitus est dominio. In Angelos quidem, qui fructus redemptionis in illorum redundavit emolumentum & gloriam; civitas enim illa cælestis Jerusalem hominum redemptione perfecta est, spirituum cælestium, Angelorum scilicet apostatarum supplentium hierarchias. Deinde, (ut gravissimi docent Scholastici) omnis gratia etiam Angelis concessa est, & data ex prævisis Christi Domini meritis. In homines verò, quia realiter suo sanguine Adæ delictum expiavit, nosque sic à diabolica servitute liberavit. Meminit hujus tituli & dominii Matth. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Et S. Bernardus inquit, *Christus possessionem sibi vendicat jure creationis, & merito redemptionis.* Tertius est *jure hæreditatis.* Etenim cùm iste homo verus esset Dei filius, paternam necessariò obtinuit hæreditatem, juxta illud Apostoli: *Si enim filius est, & heres:* & in hac plenum omnium rerum consistit dominium. De titulo illo loquitur Psalmista: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Quartus, *jure donationis.* Absolutè enim à Deo Verbo Incarnato Christo Domino, etiam ut homini, tradita sunt in dominium teste Joanne, *Sciens, quia dedit ei omnia Pater in manus.* Et cap 17. *Dedisti ei potestatem omnis carnis.* Quintus est, *jure meriti:* ex quo enim homo ille, æterno Patri ob hominum peccata graviter offenso, satisfecit, ejusque honorem læsum reparavit, omni honore, omni gloriâ, omnique magnificentiâ ab ipso Patre promeruit dotari. Hujus tituli meminit Paulus, *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Verùm per quem tot regii dominii titulos acquisivit Christus? Ah! rursus rectè uti possum emblematicâ Sambuci epigraphe: *Nil sine hac Virgine, nil sine Maria.* Ipsa namque illi conditionem, sine qua non, id est, humanitatem subministravit; nonne itaque meritò gloriari potest: *Magnificat anima mea Dominum?* Optime sane.

Athan. ser. de Deipar. *Matt. c. 11.* *Matt. 28. v. 18.* *Bern. l. 6. ad Eugen.* *Rom. 8. 17* *Psal. 2.* *Ioan. 13. 3.* *Cap. 17.* *Phil. 2. v. 8, 9, 10, & 11.*

De Junone, quam stulta omnium Deorum fore nutricem arbitrabatur gentilitas, effingunt Poëtæ, illam summopere exaltasse, eximiâque gloriâ affecisse magnum illum Herculem, Jovis filium, ex eo, quòd illum proprio lacte potârit, vi cujus cæterorum Deorum cœtui est annumeratus. Hujus fabulæ apprimè meminit Alciatus, dum canit: *Alciatus emb. 139.*

Nec priùs Deus esse potuit, quàm sugeret infans
Lac, sibi quod fraudis nescia, Iuno dedit.

Fateor, hoc ridiculum est Poëtarum commentum, attamen quod ipsi falsæ Deæ Junoni frivolè affinxerunt, ego veræ Deæ Junoni nostræ Mariæ minimè vereor attribuere; ipsa enim fortissimum illum Herculem Christum Dominum, summi Jovis, id est, æterni Patris filium, propriis uberibus enutriit, quorum lactis virtute, quasi ut ita dicam, Deus effectus est, non quidem secundùm essentiam & substantiam, sed quoad divinas operationes. Etenim si, ut in hujus discursus proëmio dixi, Deo summopere quadret clementia (sicut juvenis attestatur emblema & epigraphe) cùm Deus iste, qui non nisi Deus rigoris & vindictæ erat, vi divini virginalium mammillarum succi, totus misericors, atque benignus effectus fit: rectè sequitur, per hanc Junonem novum quasi mundo Deum, scilicet mitem & mansuetum eluxisse, juxta illud Apostoli: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* In quo summa Christi gloria, honor, & magnificentia consistit, teste Ecclesiâ, quæ de eo annuatim cantat: *Rex pacificus magnificatus est.* Sed hoc paulò prolixiùs lubet demonstrare. *Tit. 3. v. 4.*

Evangelista Marc. cap. 1. mirabilem satis nobis narrat *Marc. 1. v. 24. & 25.*

narrat historiam, scilicet Capharnai in Synagoga certo quodam tempore varios ad Christum accessisse dæmoniacos, inter quos unus extremè de illius adventu est conquestus, clamitans: *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos?* Ob quod intollerabile improperium mansuetus Dominus in dæmonem stomachatus, ei comminatus est, inquit Scriptura: *Obmutesce: & exi de homine.* Ad hæc verba Jesu iracundiam & excandescentiam admiratur doctissimus Tertullianus, nec acuto suo ingenio vix expiscari potest hujus mysterii scintillam, hic sub sensu literali delitescentem. Quia, inquit ipse, extra omne prorsus dubium est, quin infinita æterna Patris sapientia, sicut nil in divino suo testamento apponit superflui, sic nil omittit necessarii, non ignara, quòd *non sint multiplicanda entia sine necessitate*, & etiam, quòd *deficere in necessariis, sit naturæ defectus*, qui in divinam nullatenus cadere potest essentiam. Quomodo itaque ipsi diabolo comminatur Jesus, eique altissimum injungit silentium, obmutesce? præsertim cùm eum Filium Dei confiteatur: *Scio quis sis*, inquit, *Filius Dei.* An forsitan suam Christus noluerit palam facere Divinitatem? Hoc asserere non auderem, etenim ad quid Joannes Baptista illius in mundum venit præcursor, nisi sicut ait Joannes Evangelista, *ut testimonium perhiberet de lumine*, & Salvatorem mundi indigitaret, verumque Messiam homini manifestaret, clamans: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: Post me veniet vir, qui ante me factus est.* Imò & Marci cap. 1. Joanni permittit Christus, ut suam Divinitatem populo Hebraico denuntiet: *Venit fortior post me, cujus non sum dignus procumbens, solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Deinde ad quid tam prodigiosa portenta, tamque inaudita Christus (sicut in Lazari quatriduani mortui patet resuscitatione) perpetravit miracula, nisi ut iis Divinitatem suam ostentaret? Ne in Dominum gloriæ ipsamet gens electa tam abominabiliter peccaret. Cur itaque obmutescere cogitur diabolus? Et cur in veri Dei jam nati testem & præconem non assumitur?

Tertull. l. 4. contra Marc. c. 7.

Ioan. 1. v. 29. & 30.

Marc. 1. 7.

Scio quamplurimos sacræ Scripturæ Interpretes rationem hujus in profundam Christi humilitatem refundere, verùm contra hanc opinionem jam allegata militant argumenta. Nec hæc etiam est mens Tertulliani, quam pulchrâ quâdam nobis de Alexandro Magno à Plutarcho enarratâ, patefaciam historiola. Hic quodam tempore in quosdam rebelles & læsæ majestatis reos justo furore concitatus, certo nobili aulico æquam vindictam demandarat, prohibens, ne pietate aut commiseratione compulsus, ulli omninò parceret. Ipse Alexandro adblanditi ac adulari volens, promptissimè respondit: *Curabo, quidquid jubes Alexander, fili Iovis.* Quibus verbis intellectis, Alexander prolatam confestim revocavit sententiam, dicens: *Nolo formidabilis esse, quemadmodum dixi.* Ac si clamaret, omitte mandatum vindictæ, quamvis justè furentis monarchæ inhibeo, ne illud mandes executioni; etenim pœnitet me, non fuisse recordatum clementiæ. Verùm quodnam motivum, quamve prægnantem rationem habuit Alexander, ut tam citò severum judicium suum benignè retractaret? an fortè, quia ex historiis & Sapientum dictis noverat, Regem benignitatem decere? Etenim hæc justo Principis regimini communiter judicata fuit necessaria. Unde cùm Imperator Nero Senecæ (ut ipse refert in Octaviano) diceret: *Ferrum tuetur Principem*, appositè respondit, *melius clementia.* Quod & apprimè noverat Severus Imperator, cùm enim adverterent Mammia ejus mater, & Mammia ejus uxor, fœminæ ambæ valde crudeles, & sanguini inhiantes, eum clementiæ summoperè esse addictum, illum Severi nomine indignè gaudere improperabant, asserentes, nimiâ suâ benignitate imperialem quàm plurimùm diminui authoritatem. Quibus ipse modestè respondit: *Imò securiorem & diuturniorem reddo*: hinc quoque interrogatus de necessariis Principis qualitatibus Cato Censurinus, cæteris divinis dictis & hoc adjunxit: *Quidquid habeat in ore, sit veritas: quidquid in manu merces: occludat adulantibus, & mendacibus aures, & cor aperiat omninò clementiæ.* Hinc quoque Adrianus Imperator, privatim degens vitam, inimico cuidam, ob acceptam gravem injuriam offensus, cùm ad Romanum evectus esset Imperium, regiumque ascendisset thronum, teste Spartiano, exclamavit ad inimicum: *Vicisti iram meam*, rationemque sedatæ iræ adjecit: *Mutavimus cum dignitate propositum, & si antè justa strictè defendimus, nunc clementer omnia mitigamus.* Insuper miris celebrat encomiis gloriam Cæsaris, ob ratam, quam in tanto Principe reperit clementiam Cassianus; de eo enim valde heroicum enarrat actum hisce verbis: *Alexandria Pompei caput Theodotum*

Plut. l. 4. Apoph.

In vita e-

offe-

In vita ejus apud Caſſ. l. 10. variarum rerum.

offerentem averſatus, accepto ſigillo ejus, illachrymavit, omneſque ſocios ejus, & familiares qui capti erant, ſibi adſcivit, & beneficiis ornavit. Scribenſque ad amicos Romam, hunc eſſe dixit fructum victoriæ ampliſſimum dulciſſimumque, ferre, quòd ſemper aliquos eorum civium, qui arma contra ipſum tuliſſent, ſervare ſibi daretur. Imò nec hîc ſubſtitit magnanimi Cæſaris clementia, ſed, ut ait Plutarchus: *Pompeii etiam ſtatuas quæ dejectæ erant, non eſt paſſus jacere.* Eſtque tunc à Cicerone dictum: *Cæſarem, reſtituendis Pompeii imaginibus, ſuas ſtabilire.* Omnes itaque unanimiter generoſi viri in clementia ſummam conſtituerunt excellentiam

Sane fateor, hoc commune motivum aliquantulum Alexandrum, totius mundi Monarcham, ad clementiam meritò inclinaſſe: verùm fortiùs eum attraxiſſe arbitror hæc adulatoris verba, *ſi Iovis*. Cùm enim ſeſe ſupremi Dei filium nuncupari intelligeret, quaſi juvenis iſtius (de quo ſuprà) ſubſcribens emblemati, ejuſque dicto: *Deus clementiæ*, animum furibundum, in manſuetum commutavit, & vindictâ omiſsâ, miſericordiam atque veniam delinquentibus eſt impertitus.

Nunc elucet Chriſti Domini in diabolum iracundiæ genuina ratio. Summus enim ille, non tantùm totius hujus univerſi Monarcha, Rex Regum, & Dominus Dominantium, ſed æterni Patris unigenitus filius, audiens ſeſe ab infernali ſpiritu Filium Dei, ac proinde quoque Deum, Patrique ſimilem proclamari, maximè eſt indignatus, quòd vindictæ faciat mentionem: *Veniſti perdere nos?* Ideoque totaliter ſtomachatus, illi altiſſimum indixit ſilentium, obmuteſce, &c. Ac ſi diceret, ô nefarie, & mendax ſpiritus! Tu invide, gloriæ meæ malitiosè quæris detrahere, obmuteſce: tu audacter me in mundum veniſſe, humanamque induiſſe naturam, ad te, totumque infernum torquendum aſſeris. mendacem occlude buccam: *Ego veni ſalvos facere, qui perierant.* Ego è ſinu Patris in ſacro ſanctum Mariæ Virginis matris meæ uterum deſcendi, ut paternam ab humano genere averterem indignationem, miſericordiamque illi adferrem; in hoc tota mea conſiſtit gloria, & magnificentia, hanc deprædica, aut obmuteſce. Sic appoſitè ad meum intentum explicat Tertullianus, dicens: *Increpavit planè Dominus Satanam, ut invidioſum, & malè adulantem. Dixerat enim, ad quid veniſti perdere nos? Quaſi hæc eſſet ſumma gloria Chriſti, quòd ad perditionem dæmonum veniſſet, & non ut moreretur pro hominum ſalute, quod nomen in ex ceſſu cupiebat.* Quia tota ipſius gloria in pietate conſiſtit.

Hoc idem ſatis ſolidè confirmat S. Leo. Ipſe enim ſubtiliter annotans ſuper Scripturam duas Chriſti alterationes, unam ſecundùm corpus in horto Gethſemani orantis, *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Alteram in ultima cœna cum diſcipulis recumbentis ſecundùm ſpiritum: *Cùm hoc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu*, inquirit rationem, cur Salvator noſter in horto ſecundùm carnem, & in cœna ſecundùm ſpiritum fuerit turbatus? Quid enim tremorem Chriſto in horto incutere poterat, niſi amariſſimus ille tot tormentorum imminentium calix, qui ipſi exhauriendus à Patre per Angelum offerebatur, contra quem humana reluctabatur, ob nimium dolorum exceſſum natura, ut diſertè atteſtatur Laurentius Juſtinianus: *Qualis conflictus? qualis pugna? Impellebat ſpiritus reclamabat natura paſſibilis, pœnarum immanitate perterrita. In horum medio conſtitutus, tamquam inſuperabilis miles, carnis non ferens blanditias, ſpiritus juſſa implere curavit.* Sed in cœna longè efficacior Chriſtum commovendi impellebat ratio; in conſpectu enim Chriſti adſtabat impius & ſacrilegus diſcipulus Judas, infamis magiſtri traditor, cujus obduratus in peſſimo propoſito animus pium Dominum plurimùm conturbabat Ab una enim parte duriſſimam ſuam paſſionem, & ſcandaloſam mortem contemplabatur, ab altera verò eam Judæ nil profuturam, quem tamen tenerrimè diligebat, imò & obfuturam tanti beneficii ingrato, divinâ ſuâ ſapientiâ providebat. Qui Apoſtoli caſus, qui Judæ in æternum interitus, benignum tantopere affligebat Dominum, ut dolor non tantùm corpus, verùm etiam intimas animæ ejus medullas penetraret. Plus enim Salvator de Judæ perditione, quàm de propinqua corporis dolebat paſſione. Sic Domini turbationem explicat S. Leo: *Pro proditore turbatus eſt Ieſus, ſed quare?* Et reſpondet, *quia expers fuerat divinæ clementiæ.* Quod ſatis apertè innuere videntur ipſiuſmet Chriſti verba: *Turbatus eſt ſpiritu*, inquit Joannes, *& proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus veſtrûm tradet me.*

Matt. 26. v. 41.

Ioan. 13. v. 21.

Laur. Iuſt. de trib. Chriſti.

Ioan. 13. v. 21, 22.

S. Hieronymus profundè indagans illum Pſalmiſtæ locum: *Oratio ejus fiat in peccatum*, mirabilem, ac ſtupendam (de traditoris Chriſti deſperatione mentionem faciens) profert ſententiam:

Hieron. in Pſal. 108. v. 7.

ctam: *Pœnitentia*, inquit, *Iudæ pejus peccatum factum est*, quàm ipsamet scilicet Domini proditio, quia ille de divina diffidens clementia, sibi vitam eripuit, teste Evangelistâ Matth. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset*, nimirum ad mortem Jesus, Dominumque suum à rabidis Sacerdotum & Scribarum canibus ad supplicium immaniter rapi, *pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. Et projectis argenteis in templo, recessit, & abiens, laqueo se suspendit.* Sed hîc obstupesco, nec comprehendere valeo, quòd tantus Doctor audeat asserere, desperationem Judæ, Salvatoris proditione gravius extitisse peccatum. Hoc enim clarissimè attestantur illius verba; quoniam, cùm sibi objecisset, *Quomodò pejus peccatum factum est pœnitentiâ Iudæ?* Respondet: *Ivit, & suspendio periit, & qui proditor Domini factus est, hic & peremptor sui exstitit.* Sed quomodo inquam, hoc est possibile? An forsitan gravius malum est, in hominem, quàm in Deum peccare? sane illud apertè omnium Theologorum, imò & Aristotelis repugnat sententiæ; offensa enim, peccatique malitia maximè crescit ex dignitate personæ offensæ. Judas autem sese suspendendo, in vilem & abjectam creaturam tantùm desævíit, at Dominum furibundis Judæis, mortique tradendo, in nobilissimam creaturam, quæ simul & Deus erat, summumque & infinitum bonum, turpiter impegit.

Matt. 27. v. 3.

Audite, quid ad motam difficultatem respondeat S. Hieronymus: *Pro clementia Domini hoc dico, quòd pejus peccatum factum sit pœnitentia Iudæ. Magis enim ex hoc Dominum offendit, quia se suspendit, quàm quòd Dominum prodidit.* Ac si diceret Hieronymus, tanti Christus suam æstimat clementiam, tantoque concutitur dolore, dum hominem ex propria sua malitia, dulcissimo ejus fructu carere conspicit, ut illius in peccato pertinaciâ & perseverantiâ gravissime offendatur. Hinc, quia Christus discipulum oblatam suam clementiam respuere, & quasi aspernari animadvertebat, summopere indoluit, omnibusque modis obstinatum Judæ animum emollire, & ad pœnitentiam deducere conatus est. Ipsi enim clarè satis severi, in extremi judicii die, tribunalis incussit terrorem, gravesque comminatus est pœnas his verbis: *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Tentans illum hoc medio ad veram de maligno proposito contritionem commovere. Deinde sese ante ingratissimi discipuli, tantique peccatoris pedes prostravit, eosque lavit & exosculatus est, ut obduratum ejus, insigni hoc humilitatis exemplo, animum ad humilem pœnitentiam provocaret. Nec quievit hîc eximia magistri clementia, sed ad non plùs ultra processit. Ecce enim, cùm in fines dilexisset suos, venerabile instituit Sacramentum, suumque corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini, non tantùm aliis discipulis, sed & Judæ distribuit, quod & satis patet ex Joanne: *Et post buccellam intravit in eum satanas.* Ut tam insolito pietatis officio, aliquando resipisceret, & tantum thesaurum in contrito corde reponeret. Et tandem, etiam in ipso traditionis actu, eum amici nomine honoravit: *Amice, ad quid venisti*, ac si diceret, ô Juda! tu Dominum tuum, & Deum infami tradis osculo, fateor, grande scelus commisisti, sed amice Juda, divinæ confide clementiæ, ne desperes: *Quia magna peccata, magna mea delebit misericordia.* Verùm obstinatus Judas, cuncta miserentis & clementis Christi vilipendit incitamenta, & desperans laqueo sese suspendit, *quod peccatum pejus factum est*, quia pluris facit Christus unum clementiæ fructum, quàm cuncta tollerata in passione sua tormenta. In ea namque tota illius consistit magnificentia, majestas, & gloria, ut confitetur ipsemet Apostolus, dicens: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei*, id est, misericordiâ & pietate: & attestatur Ecclesia, quæ indies tò *misericordia*, & tò *gloria* confundit, cantans: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, id est, immensam tuam misericordiam, secundùm quam tam benevole continuò peccatoribus parcis.

Matt. 26. v. 24.

Ioan. 13. v. 27.

Matt. 26. v. 50.

Hieron. in Ioëlem.

Unde credo, benignissimum Jesum, dum divinæ suæ sapientiæ oculis traditorem Judam arbori appensum intuebatur, imitatum fuisse generosum Cæsarem. De quo veteres referunt Historiæ, quòd ipse maximum quemdam habuerit inimicum, nomine Catonem. Hic intellecto, Cæsarem ad Imperium Romanum esse assumptum, diffidens de Cæsaris gratiâ & reconciliatione obtinenda, pugione proprium cor transfodit, sicque miserè ex rabie interiit. Hoc nuntio ad Cæsarem delato, vehementer ingemiscens hic Monarcha, tanta luctus atque tristitiæ præbuit indicia, ut tota aula illius mentem admiraretur, cùmque

ab adstantibus interrogaretur, cur ob capitalis unius inimici obitum tam insolitum planctum ederet, respondit: *Invidit Cato gloriæ meæ, quam ei condonando acquisivissem.* Idem inquam arbitror contigisse pio & benigno Domino, ac in corde exclamasse: *Invidit Judas gloriæ meæ, quam ei fœdifrago tantum delictum proditionis condonando, acquisivissem.* Omnis enim mea gloria est, clementiam homini demonstrare.

De Codro ultimo Athenensium Rege veteres referunt Historiæ, quòd ipse cernens sese Athenis à potentissimo infesti hostis exercitu fore inclusum, jamque imminentem totius populi (ad extremam ex nunc necessitatem redactâ civitate) prospiciens ruinam & interitum, subditorum sedulò satagens salutis, oraculum Delphicum consuluit, & quidnam spei superesset, quidve remedii evadendæ communis cladis sciscitavit. Verùm ab eo edoctus, sese nullatenus de hostibus victoriam posse reportare, nisi in prælio occumbens, proprio sanguine iratos Deos placaret, eoque miseros cives à nece redimeret. Codrus percitus tam horrendo oraculi responso, anxius quid ageret, quasi immobilis perstitit. Hinc enim miserum Regem ardens trahebat erga subditos amor: illinc eum retrahebat propriæ vitæ dispendium, & ejus conservandæ ingens desiderium. Ad necem illum citabat pietas, ad vitam revocabat timor. Sed tandem, pietate naturam superante, gloriosè pro suis mori decrevit. Sed rursus securum id exequendi indagabat modum. Verebatur enim, ne inimicus studio Regi pepercisset, ut victori in triumphali urbis ingressu, tamquam mancipium deserviret. Quare rem totam fideli cuidam servo, nomine Sostrati, aperuit. Hic regiâ intellectâ intentione vilem & abjectum, quo indutus erat, habitum exuit, eoque Regem induit, sicque generosus athleta prælium ingressus, ignotus cecidit, & insigni contra hostem potitus est victoriâ, suâque nece populum Athenienſem ab instanti clade servavit incolumem. Finito prælio cadaver Codri summa cum pompa in urbem delatum est, omnibus exclamantibus civibus: *O Codre, magna est gloria tua, quia tu pro subditis Rex occubuisti.* Quo audito Sostrates in hæc publicè erupit verba: *Quis Codrum gloriosum effecit, nisi unus Sostrates?* Ac si diceret, nisi ego ingenioso usus fuissem stratagemate, eique vilem servi habitum donassem, numquam in bello cecidisset, (solet enim hostis Regibus & belli Ducibus parcere) sed vivus in abjectum mancipium triumphanti inimico deservisset. Mihi ergo debetur laus & honos, quòd Codrus adeò sit glorificatus.

Ad instar alterius Codri (ut suprà adhuc memini,) egit Christus Dominus; etenim hic cernens humanum genus undequaque à rigorosa justitia arctissime cinctum fore, & continuis infernalium spirituum præliis lacessitum, nec quicquam elucescere spei, & effugiendæ æternæ mortis remedii, nisi ipse proprio sanguine originalem Adami protoplastis labem expiaret, iramque divinam suâ nece placaret, simili, ut Codrus, usus est stratagemate. E cælis in mundum præliaturus festinus descendit, Divinitatem suam vili mortalitatis nostræ sacco cooperiens, & in cruento illo prælio in monte Calvariæ, viriliter contra infernalem hostem commisso, gloriosè occubuit. In quo actu summa Christi gloria consistit. Unde nos meritò cum Atheniensibus possumus exclamare: *O Christe! magna est gloria tua, quia tu* non pro subditis, sed pro servis & inimicis quidem *Rex occubuisti.* Sed numquid ad hoc Deipara Virgo ad instar alterius Sostratis potest dicere: *Quis Christum tam gloriosum effecit, nisi una Maria?* Ego namque ei ex proprio sanguine vilem humanitatis vestem confectam suppeditavi, quâ coopertus incognitus occubuit; si enim eum rabidi Judæi cognovissent, Dominum gloriæ non crucifixissent. Cui quæso debetur magnificus ille Christi & gloriosus, cum tanta è faucibus capitalis nostri hostis, dæmonis inquam, erepta præda, in cælum ascensus, nisi ipsius matri? Ego enim illi gladium, quo antiqui serpentis caput amputavit, subministravi, cui debetur magna illa gloria, terribilis illa majestas, quâ venturus est judicare vivos & mortuos, nisi uni Mariæ? Ego namque eum hominem reddidi: *Et Pater omne judicium dedit filio, quia filius hominis est.* Ioan. 5. 22. Mihi ergò laus mihi gloria, & honorificentia, ego Christum gloriosum effeci. Optime itaq; me jactito, quòd *magnificet anima mea Dominum.*

Certum est ac indubitatum, quò res aliqua majoris est pretii, eò pluris penes Dominum æstimatur. Desideratis modò scire, ô Auditores! quodnam divinum attributum in oculis Dei præ cæteris in pretio & æstimatione (cum sale me intelligite) habeatur? confidenter dicam, divinam esse clementiam, Deumque nostrum vere approbare super commemorati juvenis emblematis epigraphen: *Deus clementia*, quod Deum maxime deceat suam ostendere benignitatem; ideoque

videtur, quòd ipse in externa quasi apparentia, cætera divinæ essentiæ attributa occultari facile permittat, ut mundo hoc unicum appareat, quod breviter probo. Genesis cap. 3. sacra nobis narrat Historia, Deum, post primam Adami prævaricationem, legisque latæ transgressionem ad iram in illum provocatum, deambulasse post meridiem in paradiso terrestri, ut tanti criminis reum sedulò admoneret. *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso, ad auram post meridiem.* Qui sane motus, utpote localis, omninò censetur repugnare divinæ immensitati: cùm enim hìc essentialiter, (ut omnes constanter docent Philosophi) exigat terminum à quo, & terminum ad quem, importetque unius loci desitionem, & alterius acquisitionem, & Deus immensus ubique sit per essentiam, deambulare minimè dici potest. Rursus Gen. cap. 18. Deus ob enormia & horribilia Sodomæ, Gomorrhæ, aliarumque vicinarum civitatum scelera justè ad vindictam concitatus, ait: *Descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Sed nonne hoc directè divinam omninò deprimit sapientiam? An forsitan quidquam occultum coram divinis remanet oculis? Sane expresse hoc contra Catholicam militat fidem, estque Spiritus Sancti infallibile testimonium, qui per Psalmistam, summam aliquorum Dei ignorantiam, sibi ad liberiùs peccandum persuadentium deridet, & explodit dementiam: *Dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet? Qui docet hominem scientiam?* Et Psal. 138. *Et dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te: & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Quomodo itaque prima Veritas dicere potest, *An non est ita, ut sciam?* Hoc profectò apparet inconceptibile. Denuò ob continuam idololatriam in Israëliticum populum stomachatus Deus, finem tantæ imponere decernens malitiæ, vindictam parat; sed ecce precibus dilecti sui Prophetæ Moysis detentus, clamat: *Cerno, quòd populus iste duræ cervicis sit: dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Sed nonne & hoc diametraliter divinæ opponitur omnipotentiæ? etenim, quis illum Deum à quopiam, quantumque forti, detineri posse, asseret? Ubi Spiritum sanctum audit dicentem Gen. cap. 5. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Et cap. 9. Job: *Deus, cujus iræ nemo resistere potest.* Et Esther. c. 13. *Nec est, qui resistat Majestati tuæ.*

Gen. 3. 8.
Gen. 18. v. 21.
Psal. 93. v. 7. 8. 9. & 10.
Ps. 138. v. 11.
Exod. 32. v. 9. & 10.
Gen. 50. v. 19.
Job. 9. 13.
Esther 13. v. 11.

Pro propositæ quæstionis enodatione operæ pretium est, & plane necessarium meminisse mirabilis, atque mysteriis plenæ Isaiæ Prophetæ cælestis visionis, de qua ipsemet sic ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant: & clamabant alter ad alterum, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.* Sed ecce ubi lucernam & lumen, pro jam tacta dissolvenda difficultate, quærebam, densiores invenio tenebras, magisque me intricatum experior. Quid enim mysteriosa sibi velit ista apparitio, non video; ideò ad S. Bernardum recurrendum est, ut ipse mihi, tamquam altera Ariadna Thesæo, filum suæ doctrinæ ad hunc labyrinthum evadendum, subministret. Etenim hic S. Doctor hunc locum maturè considerans, curiosè indagat, quare Deus sese intuendum Isaiæ præbeat, facie Angelorum alis coopertâ, simulque & pedibus tectis? & cur pariformiter pectus Domini non cooperitur, sed apertum ostentatur? & relicto pro legitima reddenda ratione, rudi sensus litteralis cortice, ad mysticum confugit; per caput, inquit, debet intelligi divina infinita Sapientia: quod recte dici potest, quia in capite, tamquam in centro, omnes animæ rationalis resident potentiæ, intellectiva, appetitiva, imaginativa, &c. ideo sedes est sapientiæ, per pedes intelligit Dei justitiam, nec quoque infundatè; pedibus enim vindicativi celeriter accurrunt, ut in inimicū ulciscantur; sicq; pedes sunt instrumentum vindictæ; pectus verò pietatem & amorem significat. Vult itaq; inquit Bernardus, pius Dominus, ut obvelentur oculi sui, ne hominum peccata quasi aspiciat. Vult quoque, ut cooperiantur, & quasi ut ita dicam, cohibeantur pedes, ne ad vindictam tendant, tantummodò vult, ut thronus pateat suæ misericordiæ, scilicet divinum pectus, ut hominum possit misereri. Audite Bernardi verba: *Latet justitia, latet sapientia, solum patent viscera misericordiæ.* Ecce omnia quasi sua vilipendit attributa,

Isaiæ 6. v. 1. 2. & 3.
Bern. in hunc locū.

buta, eique de sola cura est misericordia & sollicitudo, quia in clementia summa Dei gloria consistit. Unde appositè Angeli incensam divini cernentes fornacem amoris clamabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* O cælestes spiritus! quare tanto cum gaudio Dei vestri magnificentiam deprædicatis? ecce quid subjungant: *Plena est omnis terra gloria ejus*, scilicet clementia & pietate.

Ex hoc facilè elucescit suprà memoratorum sacræ Scripturæ locorum dilucidatio Gen. cap. 3. *Deambulat*, ut parumper furorem suum refocillaret: dum enim clamavit, inquit Theophilactus, *Adam ubi es? Non erat vox ignorantis, sed ad pœnitentiam revocantis*. Sicque deambulando, tempus intermedium moram justitiæ injecit. Ecce quanti suam in misericordiæ comparatione æstimet immensitatem. Rursus dum ait: *descendam*, de puniendis Sodomitis tractatur, hinc, ut amplior iis superesset pœnitentiæ locus, suæ (ut ita dicam) mandat sapientiæ, suæque inhibet justitiæ vindictæ executionem, ut diligenter inspiciat, an eorum malitia tantam promereatur ultionem. Ecce majoris facit misericordiam, quàm sapientiam. Tandem cum à Moyse dimitti petit, non nisi prolixiores pro avertenda divina indignatione desiderat preces, ut intereà temporis populus ab errore resipiscat. Deus itaque cuncta divinæ essentiæ attributa quasi nihil facit, modò triumphet & resplendeat misericordia: quia in nullo alio, quàm in hoc illius magis apparet gloria. Concludo itaque, quandoquidem Maria Virgo Deum suum, qui in antiquo Testamento (ut suprà fusè demonstratum est) maximè erat vindicativus, magis misericordem (secundùm effectus loquor) & clementem reddiderit, in quo tota consistit Dei majestas, magnificentia, & gloria: optimo fundamento gloriari potest, & dicere: *Magnificat anima mea Dominum*, quia verè eum gloriosum effecit.

Gen. c. 3.

O fælices nos peccatores, qui talem, & tantam habemus matrem, quæ Christum Dominum magnificavit judicem; & maximè in misericordiæ manifestatione. Si quis modò à me petat, quid inde nobis à cælo dimanet, & profluat emolumenti? Pulchrâ respondebo historiolâ quâ & finem huic præsenti discursui impono. Themistocli insigni Atheniensis Reipublicæ moderatori certum quemdam fuisse fidelem famulum referunt Historiographi, qui cum per magistrum ob singulare præstitum, tùm sibi, tum communitati obsequium, ad publica assumptus & promotus fuisset munia, à senatu de Themistoclis exilio deliberante (quod tamen paulò pòst subsecutum est) rogatus, ut eum desereret, suumque suffragium contrà illum ferret, prudenter respondit. *Themistocles me exaltavit, quid? ei recusabo meum obsequium?* Haud aliter tractat Mariam Matrem filius Christus: si enim rigorosa instet justitia, ut in æternum miser à beatitudine exulet peccator, illâ accedente, & non ut contrà Themistoclem vindictam, sed misericordiam pro reo expostulante: quid respondere potest clemens Deus, nisi ad instar alterius fidelis Themistoclis famuli: *Maria me exaltavit: quid; ei denegabo meam misericordiam?* Petat, quod voluerit Mater, quomodo ejus faciem avertam? Hoc itaque ô Christiani! ex hac filii exaltatione nobis redundat commodum, ut certa cum fiducia eam interpellare possimus, etenim accedat qualiscumque peccator ad Mariam, quid aliud hæc pia ad filium dicere potest Mater? Nisi ô fili! ego te per misericordiam extuli: ecce hic peccator eam per me instantissimè flagitat: condona rogo huic reo. Quid ad hoc filius? Sanè, ut servus Themistoclis, quid ei recusabo? Eja ergò ô peccatores! ad Mariam recurrite, ad eam confugite, ut precibus ejus, & intercessione adjuti, in æternum cum Maria cantare valeatis, magnificat anima nostra Dominum. Amen.

CONCIO XXIII.

THEMA.

Aquila grandis magnarum alarum. Ezech. cap. 17.

ARGUMENTUM.

Ex natura, diversis proprietatibus & effectibus aquilæ, variisque illi attributis hieroglyphicis, raræ ac stupendæ Mariæ Virginis prærogativæ, atque perfectiones deducuntur.

PRudentissimus ille Rex Salomon, postquàm totam universi machinam sagacibus mentis & ingenii oculis perambulasset, omniumque rerum, tam animatarum, quàm inanimatarum, tam sensibilium, quàm insensibilium essentias, earumque proprietates, & naturales effectus sedulò indagasset: tandem tria super terram sibi inconceptibilia forè ingenuè est confessus: Prov. cap. 30. *Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris* Quæ Salomonis verba & mihi magnam pariunt difficultatem. Etenim, si hæc materialiter, & nudè secundùm litteram, & prout sonant, intelligantur: nullus integræ mentis inficiabitur hæc tria sapientissimo cognitu fuisse difficilia, cui tanta ab authore naturæ & gratiæ omnium rerum naturalium infusa sit cognitio, ut de illo dicat Scriptura: *Deum dedisse illi cor sapiens, usque adeò, ut nemo ante illum similis fuerit, nec post eum futurus sit.* Oportet itaque, relicto rudi litteralis sensus cortice ad mysticum confugere.

Prov. c. 30. v. 19.

3. Reg. c. 3. v. 12.

Scio quosdam SS. PP. hunc locum ad Christum Dominum referre: sed ego Mariæ Virgini quoque rectissimè quadrare arbitror. Ipsa namque quàm optimè assimilari potest serpenti, quoniam ei in summo gradu serpentis convenit prudentia. Deinde si mos apud antiquos increbuerit, ut victor in honorem & perpetuam victoriæ memoriam, nomen victi sibi adscisceret (ut duo fratres Scipiones, unus Africani, à devictâ scilicet Africa, alter Asiani, à superatâ Asiâ cognomen accepêre) sanè meritò Mariæ nomen serpentis, cujus ipsa, illius capite contrito, extitit victrix, attribui potest. Et hujus sanè via Salomoni videbatur captu difficillima, spiritu prophetico prævidens, & obstupescens, futuram quandoque unam mulierem, quæ infernalem colubrum potenter prosterneret. Est quoque Maria vera navis, quia, ut idem ait: *Facta est quasi navis institutoris de longè portans panem.* Ex fæcundissimis enim cælestis paradisi campis, in sterilem, & infructiferum hunc mundum detulit vivificum, & substantialem illum panem Christum Dominum nostrum, de quo ait Joannes: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendit,* quo animæ fidelium saginantur & spiritualiter enutriuntur. Unde Omnitocliti observabant (ut refert Henricus Schaulen in suis aphorismis (*quòd navis in somno visa nuntium ex longinquo peregrè affuturum præsagiebat.* Hæc cùm Salomoni in prophetico spiritu apparet Virgo, eam secum victuram prævidebat nuntium, æterni patris à latere legatum, eique consubstantialem, Verbum incarnatum. Quo mysterio abscondito à sæculo attonitus Sapiens, sibi viam navis hujus concipere admodum arduum esse, expressè declarat. Nec minori fundamento, verùm longè majori Deipara virgo aquilæ comparatur; ipsa namque est aquila illa, de qua Propheta Job: *nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila?* quæ ad Domini præceptum clamantis *Veni de libano Sponsa mea, veni coronaberis*: triumphali gloriosæ Assumptionis die super universos cælestium spirituum choros elevata, & à S. Trinitate cæli regina est declarata. Hæc est aquila, de qua Evangelista Joannes, relatâ visione illâ, *signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta sole*, mox subjun-

Prov. c. 31. v. 14.

Ioan. c. 6. v. 51.

Lib. 4.

Iob c. 39.

Cant. c. 4. v. 8.

Ioan. Ap.

ſubjungit *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ*, ut volaret in deſertum, id eſt in cælum, quod rectiſſimè tum deſertum, appellatur, quia omnes cæli cives (ut ſuprà diximus) Mariæ aſcendenti obviam proceſſerunt, & thronos ſuos deſeruerunt. Hæc eſt illa aquila, de qua Ezech. *Grandis magnarum alarum*, quia ipſa eximiis duabus puriſſimæ virginitatis nempè & profundiſſimæ humilitatis alis, ad Libanum, id eſt ad cæleſte regnum avolavit, & medullam cedri tulit, hoc eſt Verbum æternum è ſinu Patris æterni extraxit, & ad terram deſcendere coegit. Quod admirabile Incarnationis myſterium naturali ratione comprehendere non valebat Salomon. Aquila Maria eſt plena plumis ſcilicet virtutum, prærogativarum, & varietate omnium perfectionum, & donorum cæleſtium varietate circumornata. Via itaque hujus aquilæ difficilis erat ſapienti conceptu. Dum enim omnium hominum vias ſordidas intueretur, & cunctos ab Adamo naturali propagine deſcendentes, originali maculæ ſubjectos naſci ſciret, attamen, futuram prævideret unicam mulierem extraordinario generationis modo genitam, ab omni labe peccati immunem, *quia omnes viæ ejus viæ pulchræ, & mundæ à peccato*, obſtupuit, nec viam hujus aquilæ perſcrutari perrexit, quia illa eſt prorſus impenetrabilis. Ego itaque pro præſenti, relictis brevitatis gratiâ colubri & navis metaphoris, Mariæ Virginis laudes, & quaſdam prærogativas ſub aquilæ metaphora expromam, oſtendamque naturam, proprietates & effectus hujus alitis ipſi propriè convenire. Verũ cum aquila in arduis habitet, arduum & difficilè quoque mihi erit, propoſitam materiam proſequi: quæ difficultas, ut aliquatenus amoveatur à divina illa aquila Spir. S. per myſticam noſtram aquilam Mariam expetenda eſt aſſiſtentia, ad quam obtinendam unanimiter eam ſalutemus angelicis verbis. *Ave*.

Ezech.

Aquila grandis magnarum alarum.

Aldrovandus lib. 1. Ornithologia.

MAgna controverſia, curioſa tamen, tum à peritiſſimis, doctiſſimiſque hiſtoriographis, tum à naturaliſtis inſtituta eſt, ſcilicet, quænam avis inter alias teneret principatum? nonnulli pro gallo ſtetêre, alii pro pavone. Pro gallo illam allegant rationem, quod *leonibus ipſis omnium animalium ferociſſimis, aſpectu ſuo pavorem incutiat, regemque in quacumque ſit domo exerceat*. In pavonis autem favorem hæc ab iis ſecundùm eundem reddebatur ratio (quam & ipſe ſimul rejicit his verbis, *pavo autem, licet ob verſicolores plumas avium ſit formoſiſſimus, Majeſtatemque ac gravitatem incedendo præ ſe ferat, cum aquila tamen de dignitatis, nobilitatiſque loco certare non poteſt, præſertim, ſi volatus ſublimitatem, celeritatem, ac durationem, viſuſque acumen, animi generoſitatem, magnificentiam, liberalitatem, corporis robur, vim, audaciamque, denique & vivacitatem contemplemur. Aquila enim reliquis omnibus volat altius, adeò ut cælum petere, illique adniti contingere videatur. Vnde apud Ethnicos Iovis nuntia vocatur.* Et cuncti pro aquilæ militant naturaliſtæ præeminentia.

Quis itaque inficiabitur, me incongruè Mariæ Virgini, quæ omnes prorſus creaturas, non tantùm terreſtres, ſed & ſpirituales longo antecellit intervallo, ſicut & illa omnes alites, aſſimilare? optimè enim doctiſſimi Aldrovandi, ad aquilam præ cæteris avibus extollendam, Mariæ conveniunt prærogativæ. Ipſi namque denegari neutiquam poteſt volatus ſublimitas, & ſanè ſuprema; quis enim unquam adeò altè potuit ſeſe elevare, ſicut Maria? quæ, non tantùm cæleſtia regna penetravit, ut disertè aſſerit mellifluus Bern. dicens: *O Virgo virga ſublimis! in quem ſublimem verticem caput Sanctorum erigis? uſque ad ſedentem in throno, uſque ad Dominum Majeſtatis.* De aquilæ volatu quoque ait Aldrovandus: *Illud ſanè peculiare, & eximium aquilæ inter volandum alarum robur, liquidò oſtendit, quod ipſa ſola inter aves recta via, non obliquo, ut cætera ſurſum feratur.* Maria etiam vera eſt aquila: illa namque unica phænix, inter omnes creaturas nunquam in obliquò volavit, id eſt alicujus culpæ & originalis maculæ non fuit obnoxia, ſed ſemper rectè in Deum tendens, fuit mundiſſima: unde veriſſimum & ſtupendum toti univerſo, ob tantæ celſitudinis & eminentiæ in cælis reputata eſt miraculum, teſte Damaſc. dicente *Maria miraculum in cælis, mulieris filius, qui ipſius. & ſæculorum pater eſt* Quæ maxima ſanè puræ creaturæ eſt magnificentia.

Bernard. ſerm. 2. advent.

Damaſc.

Nec ei quiſpiam denegare poteſt ſummam in ſuis ſuccurrendis celeritatem, hoc enim apertiſſimè ſacræ repugnat ſcripturæ: etenim, ut Maria Virgo penuriam vini in nuptiis Canæ Galilea cognovit, ut ignominiæ ſponſi & ſponſæ obvia-

ret,

ret, importuna Christo filio fuit, etiam non rogata, ut convivis indigentibus divinâ suâ omnipotentiâ subveniret, ut patet ex textu, *vinum non habent*, & Christi responso, *nondum venit hora mea.* Ecce quàm velociter de longè humanas prospiciens miserias, aquila nostra ad subsidium adferendum advolet. Hinc benè de ea dicitur, *Maria non potest hominum indigentiam scire, & non subvenire.* Si autem de Mariæ in fidelibus adjuvandis agamus duratione, ex dictis abundè constat eam ante suum ortum, in vita, & post vitam mirabiliter peccaminoso mundo fuisse opitulatam. In Ecclesia etiam triumphante cunctis reis, eam invocantibus neutiquam suffragari desistit; imò (ut dictum est) abundanter suum præstat auxilium, sedulamque pro peccatore in severo SSS. Trinitatis tribunali, tamquam pia advocata gerit curam, quam usque ad consummationem sæculi constantissimè conservabit.

Ioan. c. 2. v. 4.

Ut verò de visu mysticæ aquilæ nostræ Mariæ tractemus, lubet rursus Aldrovandi verbis uti, *Præexcellens animal inter volatilia, & omni admiratione dignum, sapiens natura fecit aquilam, sed hoc parum esset, nisi additi fuissent oculi, plus quam lincei, & ad clarissimos solis radios inconnivente & intrepidi, qua de causa ob aciem luminum falix à Seneca vocatur, & ipsam aquilam inde nomen sortitam esse plerique volunt.* De hac quoque oculari aquilarum perspicacia, quam solis fixo intuitu non lædi, sed perfici autumat August. sic enim loquitur: *Sol iste quo verè nihil inter visibilia pulchrius invenitur, nostros sauciat, & obtenebrat oculos, aquilinos verò vegetat inspectus.* Et cap. 9. & 37. ait: *Oculus aquilæ multò est brevior, quàm noster, & tamen ipsa sublimè ita volans, ut à nobis tanta luce difficile cernatur, latentem sub frutice lepusculum, sub fluctibus nantem pisciculum videre comperta est.* Idque quàm optimè congruit dicto Job: *Aquila de rupibus contemplatur escam, & de longè oculi ejus respiciunt.* Homerus quoque, cujus non vulgaris sanè est authoritas, hanc aquilæ perspicaciam pulcherrimè exaltat his versibus, qui latinè redditi sic sonant: *Undique circumspiciens aquila, quam quidem dicunt acutissimè cernere inter cæli volucres, quam etiam in alto existentem non celer pedibus latuit lepus, sub frutice umbroso recubans.* Quod apud Plut. carmine declaratum reperimus latino, alludentem ad illam, quam de Cyro his verbis Xenophon commemorat historiam: *Cyro adversus Armenos proficiscenti, continuò in primo agro confugit lepus, aquila autem dextera leporem despiciens, in fugientem irruit, & percussit, extulitque correptum.*

August. l. 2. de moribus.

Manich. c. 25.

Iob. c. 39. v. 29.

Illa enim sublime volans, cæloque propinquans,
Velocem pedibus leporem videt eminus, atque
Arripit, &c.

Sed quis modò inficiabitur Mariam Virginem verissimam esse aquilam? quis est, qui admirabilem illius perspicaciam, ac oculorum virtutem non admiretur? hæc namque, quamvis potentibus virtutum pennis & alis super omnes Angelorum choros sit sublevata: nihilominus tamen de cælo escam contemplatur (id est peccatores electam filii sui escam, ut ipsemet attestatus est Apostolis suis dicentibus: *Rabbi manduca*, respondens: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*) & de longè oculi ejus prospiciunt quia ipsa divino SS. Trinitatis adstat tribunali, ut hominibus gratiam, donaque cælestia procuret, atque ei spirituale animæ alimentum continuò subministret: ut apertè satis indicat Bonav. *Magna fuit ergà miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo, sed multò major est ergà miseros misericordia ejus regnantis in cælo, majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt hominum miseriam.* Ecce quomodo oculi aquilæ nostræ de longè prospiciunt. Verùm, si quis perspicaciæ Marianæ dignoscere desideret efficaciam, in mentem tantùm revocet duas, quas supra retuli SS. PP. sententias, Ambr. scilicet & Ansel. conc. 8. ille enim de hac sic ait: *Tanta erat ejus gratia, ut non solùm in se Virginitatis gratiam servaret, sed etiam his quos viseret, integritatis insignia conferret.* Hic verò: *Sicut impossibile est, à quibus Virgo Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur: ita necessarium, qu dixi, ad quos convertit oculos, pro eis advocans, justificentur & glorificentur.* Unde sicuti ex aquilæ visu legitimus exploratur pullus juxtà omnes naturalistas, dictum Silii Italici approbantes.

Ioan. c. 4. v. 32.

Bonav. in spec. Virg. c. 8.

Phœbæa dubios explorat lampade fœtus.

Sic, si quis, quinam sint legitimi Dei filii & prædestinati expiscari exoptet, ad mysticæ aquilæ nostræ visum attendat; si enim hæc misericordiæ suæ

suæ & benignitatis oculos avertat, manifestum reprobationis signum, sin verò eos ad illam convertat, infallibile prædestinationis est indicium, ut fusè loco citato suprà ostendimus. Nec ex hoc dumtaxat nobis recta via panditur clarissimè demonstrandi Mariam Virginem propriè aquilæ assimilari, sed etiam idem ex aliis illius constat Hieroglyphicis. Primum enim & præcipuum, quod veteres huic aliti attribuunt, est *prosperum & fælix augurium*, teste Pier. *præcipuum ejus significatum est, ut oblatam divinitus prosperitatem ostendat*: cui & adstipulatur Aldrovandus dicens: *tantùm tribuit superstitiosa antiquitas auguriis & auspiciis, ut nihil inauspicatò tentaret*. Adducto post aquilæ portento. Cui autem hæc stulta imaginatio innitatur fundamento, controvertitur. Pier. ex eo hoc initium sumpsisse autumat, quod narrat doctissimus Acreon, *Iovem adversus Titanas profecturum, sacrificium in cælo fecisse, aquilæque volatum prospero ei auspicio victoriam portendisse*. Sed quidquid sit, certum est, patetque ex diversis antiquis historiis, aquilam fælicem in arduis successum prognosticasse, ut idem author attestatur: *illud in aquila præcipuè admiratione dignum est, quod una omnium animantium, idem apud gentes, nationesque omnes semper indicarit*. Aquila enim integro die Gordii pauperis & abjecti viri currui insidens, Phrygiæ regnum Midæ ejus filio præmonstravit, cui & illum admirabilem, quem commemorat idem, adjungere non piget eventum. *Cum apud Archivos*, inquit, *Heraclidarum familia defecisset (ex qua regem eligere mos illis antiquitùs fuerat, qui Rex creari deberet) per oraculum sciscitantes, responsum acceperunt, aquilam id ostensurum. Paucisque admodum post diebus; aquila supernè delapsa, super Egonis domum consedit, atque ita omnium consensu Egon Rex creatus est*. Cujus & meminit Plato de Egone scribens: *apud Archivos aliquando Heraclidarum genus, è quo regem deligere patriæ consuetudo jubebat, quærentibus & suscitantibus, oraculum datum est, regem per aquilam demonstratum iri, ac post paucos dies aquila in domum Egonis devolare conspecta fuit, itaque Egon Rex destinatus est*. In natali quoque Alexandri magni die, aquilæ duæ præpetes supra culmen domus insederunt, omen duplicis imperii Europæ & Asiæ præ se ferentes. Nec non Romulo hoc idem ab aquila regni allatum fuisse augurium, Ennius testatur hisce versibus à Cicerone citatis.

Pier. l. 19

Et simul ex alto longè pulcherrima præpes
Læva volavit avis, simul aureus exoritur sol.
Dadunt terque quatuor de cælo corpora sancta
Avium præpetibus, sese pulchrisque locis dant:
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora
Auspicia regni, stabilitaque scamma, solumque.

Dum enim, inquit Adrovandus, *fratres de imperio certarent, ac uter eorum mœnia conditurus esset, contenderent, se auspicio staturos pactum inierunt; itaque aquilæ hinc præpetes Romulo primas detulerunt. Delato quoque*, ait idem, *regi omnia fere auspicatò agenti salutaris aquilæ conspectus fuit*. Quæ omnia portenta, ut ipse fatetur, *non aliò, quàm ad cacodæmonem referre possunt, nec debent, qui hujusmodi præstigiis vanas nimiùm & credulas gentilium mentes irrepere & ad cultum suum pertrahere studuit*. Dicam tamen audacter præfatum aliti isti adscriptum hieroglyphicum, *fœlix augurium*, mysticæ nostræ aquilæ Mariæ ad amussim quadrare. Hujus enim omninò nobis (ut jam dixi) sicut illius Dejotaro, salutaris est aspectus & intuitus, estque hæc æternæ fælicitatis infallibile augurium, etenim, si ipsa nostræ satagat salutis, indubiè cælestis regni efficiemur hæredes. Quia, ut ait Rich. *si Maria pro nobis, quis contra nos? & si ipsa est quæ justificat, quis est, qui condemnet?* & nos, ut ad hanc aquilam confugiamus, exhortans, adjungit: *peccator es? ad Mariam confugias, ipsa sola sufficit ad medendum, nullà est enim pestis tam efficax, quæ ad Mariæ nomen non cedat continuò*. Sicque & optimè illud, quod de aquila emblematicè dicit Alciatus potest approbari.

Rich. lib. de laud. B. Virg.

Insideant timidæ timidorum busta columbæ.
Nos aquilæ intrepidis signa benigna damus.

Unde sicut bonum aquilæ Cæsari contra Pompejum dimicanti omen præsagiebant, teste Dione dicente: *Aquilæ legionum ejus alas concutientes, & fulmina quæ aurea erant pedibus tenebant abjicientes, Pompeio exitium denuntiabant: ipsæque quasi ad Cæsarem avolabant*. Sic Maria fælicissimum atque auspicatissimum est augurium, si ad nos adjuvandos convolet; sin minus, infaustum præsagium. Et hoc meum dictum apprimè confirmat Bonav. *Quem vult ipsa salvus erit, & à quo ipsa faciem suam avertit, vadit in interitum*. Concludamus itaque, Maria fælix est augurium. Unde si aquila Mario reditum exuli summa cum gloria trium-

Bonav. in Psal. Virg.

phalem pollicita est, cum anguem arreptum unguibus dilacerasset, ut testatur Cicero hisce versibus.

Sic aquila clarum firmavit Iuppiter omen.
Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris.

Sic & Maria; etenim nondum nata quidem (ut conc. 1. ostendi) adinstar generosæ aquilæ Adamo protoplasti, jam divinâ gratiâ, ob primam mandati Dei prævaricationem privato, & à terrestri ac cælesti paradiso exuli, ad Domini sui amicitiam & primævam gratiam reditum procuravit: atque Ephraim, id est genus humanum, quod tanquam avis (ut dictum est conc. 21.) à Deo in vastissimum propriarum concupiscentiarum, & inordinatorum appetituum desertum avolaverat, atque in diabolica retia ceciderat, contrito potenter infernalis anguis capite, ex illius faucibus eripuit.

Fingunt antiqui poetæ Jovem nimio ergà Ganimedem amore incensum aquilam è cælis dimisisse, ut eum ad cælestia regna ac Deorum societatem eveheret, ut ex poëmate doctissimi Alciati colligitur.

Aspice, ut egregius puerum Iovis alite pictor
Fecerit, Illiacum summa per astra vehi.
Quisque Iovem tactum puerili credat amore?
Dic hæc Mæonius finxerit unde senex?
Consilium, mens atque Dei, cui grandia præstant,
Creditur is summo raptus adesse Iovi.

Haud dissimiliter supremus ille Jupiter Deus vehementi erga humanum genus amore æstuans, ac tantopere illius intentus saluti, ut per Prophetam Isaiam satis innuit, dum Verbum æternum SS. Trinitati suum pro mundi reparatione & cælorum restauratione offert obsequium, dicens *Ecce ego mitte me,* Aquilam Mariam è cœlo destinavit, atque ab æterno in divina idæa prædestinavit, ut per eam miser Ganymedes, impius homuncio & peccator ad supremum regnum, & veri Dei beatificam elevaretur visionem. O fælices nos qui subsidiariis hujus aquilæ alis ex humo in alta extollimur. Unde cuncti Sancti (qui etiam aliquatenus aquilæ queunt nuncupari, secundum illud Isaiæ: *Assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt*) Mariæ supremæ aquilæ merito possunt dicere, cum aquilæ titulo honorantur, id, quod Pyrrhus gloriosissimus belli Dux commilitionibus suis, ab iis ob generosi animi indolem aquila dictus respondit: *per vos aquila sum, qui vestris armis, veluti alis sublevor.* O Maria, aquilæ sumus, sed vestro auxilio, vestrâ tutelâ, vestrâ gratiâ, & vestris benignitatis alis in cælestem elevati sumus curiam: quod & sanè eos confiteri ex coronarum suarum ante illam (ut suprà annotavi) depositione firmiter arbitror.

Isa. 6.6. v.8.

Isa. c. 40. v. 31.

Hinc si stulta & insana gentilitas mortuorum bustis admovebat aquilam, eò, quòd illa defuncti animam hanc avem ad eliseos campos deferre constanter credebat, ut clarè insinuat Pier. hisce verbis: *simul ac ignis pyræ ex intimo suggestus tabernaculo emittebatur, quæ principis animam in cælum referre videretur*: imò & ab aquila animam Augusti in cælum elatam fuisse, Romani firmiter credebant, & sese vidisse sanctè adjurabant. *Rogo,* inquit Dionys. Cassius, *absumpto, aquila ex eo emissa avolavit, quasi animam Augusti in cælum ferens.* Quod si hoc, inquam, de aquila fabulantur veteres, dicam asseveranter mysticam nostram aquilam Mariam animas devotorum suorum, ex hac vita decedentium veraciter ad cælum attollere, quia ille tantùm salvus fit, quem vult ipsa salvum fieri.

Huic aliti quoque mirabilem naturalistæ fulmini resistendi attribuunt potentiam, & ob hoc à veteribus aquila fulmen sub unguibus continens sculpebatur & fundebatur, ut ex numismate tempore Vespasiani fuso, aut ut alii volunt malleo cuso apertissimè constat, in quo fulmen pedibus ejus prostratum visebatur, cum astro ante pectus multis radiis micante, quo innui videbatur, fulmen tam splendidi astri claritati debere cedere, & succumbere. Maria verissima est aquila: etenim ipsa non tantùm ab omni peccati fulmine etiam originalis extitit immunis (ut suprà conc 10.11. & 12. fusè est demonstratum) ignitum æterni Jovis Justitiæ fulmen, ut ita dicam, supprimit, & pedibus, calcat, quia illi, utpotè lucidissimo soli, lunæ, imò supremo astro omne totius firmamenti lumen in se continenti, variisque virtutum, atque perfectionum radiis emicanti, fulmen divinum palmam concedere cogitur.

Indubitatum est, receptumque à cunctis veteribus scriptoribus aquilam Jovi fuisse sacram, eamque ab ipso præ cæteris alitibus electam, juxta illud commune dictum, *Aquilam sibi Iupiter elegit,* quod hoc carmine quidam confitetur Ornithologus,

Inter quadrupedes debetur quanta leoni
Gloria, tanta mihi creditur inter aves,
Ales sacra Iovis, magnarum gloria rerum,
Inter aves omnes regia sceptra gero.

Verùm de hujus electionis ratione quàmplurimùm inter authores dubitatur, sicut cur in cælum sit assumpta, & juxtà illius fulmen constituta. Quantùm ad primum, *Sunt qui afferant*, inquit Aldrovandus, *Iovi eam ideò consecratam fuisse, eò quod ipse primùs in Creta aquilæ nidum invenerit. Alii* verò ideò: *quoniam ea avium regina dicitur, ob victorias scilicet, quas ab aliis avibus illa reportat.* Quidquid de hoc sit, si à me exigatur ratio, cur Maria mystica nostra aquila, præ cæteris Sanctis, summo illi Jovi omnipotenti Deo specialiter sit consecrata, ab eoque electa, ut ipsemet attestatur, *Una est columba mea perfecta mea*; audacter respondebo cum illis, quia Deus in hoc mundo sacro-sanctum benedictæ hujus aquilæ nidum uteri, in quo quoad humanitatem foveri & excludi debebat, reperiit. Aut cum his, quia ipsa omnium cælestium spirituum est regina, atque stupendas contrà rapacissimas illas aves, dæmones inquam, (ut dictum est conc. 20) reportat victorias, eas continuò persequens, & debellans. Unde sicut vultures maximè aquilæ clangorem formidant, juxtà illud cujusdam poetæ, *Dum clangunt aquilæ, vultur pallêre probatur*; sic infernales spiritus Mariæ aquilæ nostræ eximiam terribiliter perhorrescunt potentiam: maluntque in æternis flammis vehementius cruciari, quam illius supremum dominium, & potestatem experiri. Unde sicut naturalistæ maximum inter aquilam, & draconem, & drijinum serpentem intercedere confitentur antipatiam. Ex invidia enim draconem, tamquam infestissima inimica incessanter insectatur, ut testatur Nicander: *in drijinum serpentem suprà modum excandescit ales aquila, ad visum ubicumq; draconem confestim advolans, ad infesto cum eo animo dimicans, quàm primùm in sylva pascentem conspexerit.* Quod innatum aquilæ in draconem est odium, quia hic nidos illius spoliat, diruit & devastat: quod idem carmine describit non invenusto.

Cant. c. 6. v. 2.

Provocat hunc verò fulvus Iovis ales ab æthra
Plumea colla tumens, si quando in valle repertum
Pascentem videat. Namque hic populatur ubique
Pullorum nidos, distrigens dentibus ova.

Ita inter mysticam aquilam nostram Mariam, & infernalem draconem & infestum serpentem summa reperitur inimicitia, juxtà illud divinum testimonium: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Idque ideò, quia Ecclesiæ nido sponsæ filii sui ipse indesinenter insidiatur, atque ex eo Christianas fraudulenter & subdolè animas eripere, infernalis orci prædam facere, diligenter satagite. Quod Ecclesiæ damnum neutiquam sufferre valens pia Mater, utpote cui omninò nostrûm sedula demandata est cura à Christo dicente: *Mulier ecce filius tuus*, strenuè contrà eum pro nobis dimicat, animasque etiam à parente hoc hoste captas, rapacibus illius unguibus extrahit, & filio suo deprædatur.

Gen. c. 6. v. 15.

Unde & huic aquilæ quàm concinnè quoque aliud, quod aliti isti Pier. adscribit hieroglyphicum, quadrat *relata gratia.* Quod eruit Crates Pergamenus ex quadam pro illius beneficentia historia, *cum decem*, inquit, *& sex messores quemdam è sociis pro aqua tum misissent, reperit is apud fontem serpentem, qui complexus aquilam, arctissimis eam spiris implicatam suffocabat. Ille ut falce messoriâ armatus erat, audacter progressus ferro serpentem dissecuit, aquilam liberam abire permisit, cumque haustâ è fonte aquâ rediisset, sociis singulis poculum ministravit.* Mox cum & ipse quoque bibere vellet, præsto adfuit aquila, & in beneficii accepti recognitionem, scyphum (noverat enim aquam a venenoso serpente infectam esse) è manibus ejus unguibus suis eripuit, & sic cæteris pereuntibus, ipse solus incolumis evasit. Haud aliter nobiscum agit aquila nostra Maria; ipsa namque pro minimo ei exhibito honore, pro devoto recitato rosario, pro obulo tantùm in ejus reverentiam pauperi collato, pro unico in illius venerationem & respectum Missæ oblato sacrificio, gratitudinem demonstrat extremam. Cumque nos diabolico instinctu ad venenosas hujus mundi deliciarum, & carnalium voluptatum hauriendas aquas, de longè prospicit proclives, maximè verita, ne tam exitiali veneno infernalis hic serpens animas nostras periculosè inficiat, & spiritualiter enecet, in nostrum velociter advolans subsidium, alisque divinarum suarum inspirationum, prævenientis & excitantis gratiæ auxilio, inclinatum ad malum animum, ab incepto & præmeditato proposito deterret, nosque fætidas, & virulentas hujus terrenæ vitæ aquas contemnere facit: sicq; hæc aquila peccatores à morte potenter liberat æterna.

Sed modò ad secundum opus est breviter respondere quæsitum, scilicet, quare aquila in cælum à Jove sit assumpta? autumant enim aliqui, inter quos est Aldrovandus, Jovem id fecisse in grati animi mnemosynon ac beneficium ab ea receptũ. Cum enim ille ardenter Ganymedem adamaret, aquilæ operâ, quæ eum in cælum rapuit suo desiderio abundanter satisfactum esse conspiciens, ei pro mercede Deorum consortio honestavit. Alii verò peculiare hoc privilegium aquilæ concessum, ad hoc detorquent: quod ipsa Jovi contra gigantes dimicanti, arma, scilicet fulmina subministrarit, ut apertè censet Aldrovandus ex Aglaosthinis sententia, de quo ait; *Addit & aquilam Iovi sacrificanti auspicatam, & cum titanibus manus conferenti, tela subministrasse, eoque auspicio usum, jam inter astra collocasse.* Qua de causa Virgilius, & Ovidius: *Armigerum Iovis alitem flammigerum vocant.* Deinde alii id in aliud referunt illius beneficium, scilicet, quod ipsa, Jovi extremè in ferventi contrà gigantes pugna sitienti, potum præbuerit. *Vt ut sit,* inquit Aldrovandus, *fabulosum utrumque est. In hoc tamen omnes consentiunt, nempè hujus facti præmium aquilæ effigiem cæli donatam & locatam esse.* Id quoque fateor poetarum esse commentum, attamen omnes historicorum de aquilæ in cælum sublevatione inter se altercantium rationes, mysticæ nostræ aquilæ Mariæ in cælum à summo illo Jove assumptæ, veraciter convenire, facilè est ostendere. Etenim, ut à prima exordiar, nonne Verbum æternum humanæ naturæ inescatum, quasi ut ita dicam, amore, ad illius anhelabat assumptionem, per Davidem dicens:
Prov. c. 8. v.31. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Clamaverat
Isa. c. 6. v.8. dudum: *Ecce ego mitto me,* nimirùm, quia nimio amore langueo. Sed ecce aquila desiderabatur velocissima, quæ scindentibus aera pennis, id est humilitate & virginitate desideratum Ganymedem, humanitatem scilicet, in cæleste non tantùm eveheret regnum, verùm etiam illam, ad apostatarum angelorum despectum (quos ex invidia tantæ humanitatis exaltationis, defecisse arbitratur Bern.) ad ipsius æterni patris thronum adduceret; imò quod magis est, ad dexteram ejus
Psal. 109. v. 1. sedêre faceret, ut testatur David de ascendente in cælum loquens Christo: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Si itaque per Mariam veram aquilam non ficti Jovis, sicut Ganymedis, sed æterni Dei erga hominem plenariè satisfactum sit amori, quid mirum, si aquila hæc Maria tanta cum pompa, tanto cum gaudio totius cælestis curiæ canente Ecclesia: *Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli,* sit recepta.

Nec minùs concinnè aquilæ nostræ secunda præallegata de Jovis aquilæ in cœlum elevatione, quadrat ratio: si enim illa hâc fabulosè gavisa fuerit prærogativâ, eique tantum à Jove concessum sit speciale privilegium, quia ei, è cælesti throno, ad rebelles gigantes debellandos, egresso tela suppeditarit; nonne majori cum fundamento à Deo supremo Jove aquilam nostram mysticam fuisse in cælum triumphaliter assumptam asseremus? quandoquidem filio suo Christo potentissimum fulmen, scilicet sacro-sanctam suam carnem, è purissimo suo sanguine confectam, subministraverit, quo formidabilis toti apparens inferno, cunctas ejus prostravit potestates, atque rebelles gigantes dejecit apostatas diabolos? unde de Verbo incarnato ait Spiritus S. *Nunc,* scilicet, dum Deus humanam assumpserit naturam, terribileque dæmonibus arripuerit hoc fulmen: *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Deinde, si Jupiter tantum aquilæ detulerit respectum, quia ab ea sitibundus potum receperit, cujus authoritatis & præeminentiæ apud supremum Jovem Christum non esse confitebimur aquilam nostram Mariam, quæ illum dulcissimo uberum suorum succo tam benevolè lactavit? unde dicit scriptura, *Delectabitur infans ab ubere.* Ioen. c. 12. v.31. Isa. c.11. v.8.

Cur autem aquila in cælis Jovis fulmini à veteribus censeatur prædominari, imò & pedibus conculcare, ipsaque Jovis solio collocatur proximè vicina, multùm ventilatur, & diversimodè ab authoribus respondetur. Quidam enim, teste Aldrovando, id in summam aquilæ refundunt potentiam, & dominium: sic enim de ea ait: *Apud sacerdotes Ægyptios regiæ potentiæ hieroglyphicum erat. Videtur enim Iupiter Rex Deorum, si fabulis credimus, huic soli dominium inter aves dedisse, fortitudineque, & robore omnibus præcellere voluisse. Idcircò illam pedibus fulmen ferre, in multis quoque numis observatur, ubi tamen ait Virg. fulmina sub Iove sunt.* Quia quoque hæc gloriæ magnitudinem denotabat, *fulmina pedibus tenere depingitur,* unde celeberrimus ille pictor Apelles cùm ad vivum, non tantùm quoad faciei delineationẽ, verùm etiam quoad gloriæ atque magnificentiæ splendorem, Alexandri magni efformare vellet effigiem, eum in manu fulmen continentem depinxit: *Quo,* inquit citatus Author, *nominis illius splendorem, rerumq; præclarè gestarum, in remotissimis* Aldrovand. l. 3. Orn.

tris quoque regionibus acquisitam gloriam æternamque memoriam ostenderet. Ideoque Ægyptii in Regis sui Ptolomæi honorem numismatibus insculpi curârunt aquilam fulmen pedibus comprimentem, cui ex opposito erat cornucopia, spicis conferta, fertilitatis apud eos hieroglyphicum. Alii denique idcircò Jovi fulminanti in cœlis vicinam fuisse constitutam opinantur, quia benignitatis symbolum æstimatum, fulmen ipsius cohibere credebatur, ut in veteribus constat numis? sicut rursùs confitetur Aldrov. dicens: *Aquila quoque Iovis fulmen tenens, habetur in aversa parte numismatis ærei Valerii Viciani*, cum adjuncta hac inscriptione: *Iovi Conservatori.*

Alii alias adducunt rationes, quibus ego brevitatis gratiâ supersedendo dico, quidquid sit de præfatarum opinionum fundamento & veritate, fabulosa hæc commenta propriissimè Mariæ mysticæ nostræ aquilæ posse applicari. Ipsa enim, non falsi Jovis Dei, sed veri & vivi fulminis, id est, rigorosæ justitiæ prædominatur, & juxtà Jovis supremi solium collocatur, juxtà illud Davidicum: *Astitit Regina à dextris tuis.* Et, si stulta & delirans gentilitas, tam elevatum aquilæ attribuunt locum, quia regiæ potentiæ erat hieroglyphicum, & quia ipsa Jovis fulmen cohibebat; nonne potiori jure mysticæ huic aquilæ Mariæ excelsum super omnes Angelorum choros thronum adscribemus? quæ non tantum in cœlum, in terram, in Deum ipsum, verùm etiam in inferni abyssum, atque dæmones (ut latè ostendimus conc. 20. & 21.) stupenda pollet virtute & potestate? unde si Apelles, ut Alexandri Magni excellentiam ac gloriam exprimeret, dextra manu fulmen comprimentem, depinxit; haud dissimiliter, dum debilibus mentis meæ oculis contemplor hanc Virginem, ejusque magnificentiam, magnitudinem, atque eminentiam rudi linguæ meæ penicillo tento delineare, ipsam manibus fulmen ignitum comprimentē, depingere cogor. Etenim illa adinstar alterius Ageriæ, Jovis (ut diximus conc. 19.) filii sui moderatur fulmina, & vindicativam irati Dei manum cohibet, justitiæque fulmen suâ potentiâ confringit. Unde de ea ait Bonaventura, *Maria est, quæ detinet Deum, ne peccatores percutiat.* Ideoque & ipsa ad eorum solatium clamat: *Tenui eum, nec dimittam*, nisi vobis benedictionem & misericordiam impetravero. Hinc, si mihi honorificum in Marianas laudes, cudi daretur numisma, Ægyptiorum, in honorem Ptolomæi Regis sui numismatis cusi, imitarer exemplar. Ab una parte ponerem Virginis hujus effigiem, ab altera aquilam, unguibus fulmen arripientem, & in opposito cornucopiam spicis refertam, insculpi curarem. Maria enim, ut altera Amalthe à Jove summo Deo (ut fusè suprà demonstratum est) omnium cœlestium donorum & supernaturum gratiarum abundantem recepit cornucopiam, ut nobis famelicis pro libitu spicas gratiæ demittat. Adderem & illud quoque dictum, *Deo Conservatori*, quia Deus per suam misericordiam, quam ex benedictis Mariæ uberibus suxit (ut conc. 3. dictum est) ab æterno interitu mundum conservavit universum.

Psal. 44. vers. 10.

Et ex hoc quamplurima alia Mariæ Virgini aquilæ propriè convenire hieroglyphica, facilè dignoscemus. Pierius narrat quosdam illud ipsi attribuisse *benignitas. Cum enim*, inquit, *commodissimo hieroglyphico explicare vellent benignitatem, aquilam cum alia quavis alite, ex eadem olla cibum capientem, veteres fingebant.* Verùm cui fundamento hoc (quod Pier. arbitratur fore verum commentum, eò quò illud apud Ægyptios non reperiatur) innitatur, incertum est. Plurimi id desumptum credunt ex mirabili quadam historia, quam ex Plut. narrat Pierr. his verbis *Cum pestis enim olim Lacedemona exhauriret, oracula monuerunt, mali vim cessaturam, si quotannis nobilem aliquam virginem immolassent. Obsecuti Lacedemonii; oraculi fidem approbaverunt. Fortè verò evenit, ut sors Helenæ obtigerit, aquila devolans, sacrificuli gladium abripuit.* Quo obstupefacti Lacedemonii, à solito annuali sacrificio in posterum abstinuerunt. Idem olim evenisse Romæ Valeriæ Lupercæ tradit Aristides. Et ob hoc tam notatu dignum, tum Helenæ, tum Valeriæ ab aquila præstitum benignitatis obsequium, veteres eam benignitatis hieroglyphico decorarunt. Pier. l. 19.

Sed veriùs alios hoc hieroglyphicum ex mirabili illius erga pullos amore, sedula eos educandi cura, & eximia illos contra quæcumque venatorum tela defendendi generositate, eruisse credidero. *Aquila enim*, ait Aldrovandus, *in primis pullos suos, non sicut cæteræ aves, quæ eos pedum digitis comprehendunt, eò quod illis timeant ab avibus, quæ altiùs volant, sed super alas suas quò lubet transportant.* Quod & attestatur Scriptura: *Quomodò portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi?* Hocque portandi modo aquila mirabilem suam ergà parvulos atque imbecilles, Exod. c. 19 v. 4.

demonstrat pietatem, teste eodem dicente: *Aquila verò, quæ omnes volucres volatus sublimitate superat, ea de re secura* (scilicet de aliarum avium rapacitate) *attamen quia telo potest impeti, pullos suis alis exceptos, per sublime vehit, insigni pietatis argumento, quasi corpore, clypei vice telis objecto, sese discrimini malit exponere, quàm pullos perire. Non detrectans vel vitæ propriæ dispendio, quam fætui dedit, incolumem servare.* Præterea annotant naturalistæ, illam iisdem, si quandoque ægrotare contingat, ingentia benevolentiæ & pietatis exhibere signa, piaque obsequia. *Ubi enim,* inquit præfatus author, *ob stomachi debilitatem, solidiorem cibum concoquere nequeunt, tum sanguinem è præda exuctum oreque suo haustum, in os pullorum parentes evomunt, hoc pacto levi ac digestu facilè recreantes cibo, qui morbo fracti duriusculum conficere non possunt.* Hinc ait Propheta Job: *Pulli ejus,* nimirùm aquilæ, *lambunt sanguinem.* Et quamvis S. Hieronymus eos, qui de animantium scripsêre naturis, omnium quidem bestiarum & jumentorum, & pecudum, aviumque ingenitum esse in pullos suos affectum testari perhibeat, maximum tamen esse aquilarum amorem apertè confitetur. Quod & ipsa æterna & prima veritas Deus approbare videtur. Etenim dum intensum suum erga Israëliticum populum exprimere vellet amorem, ab hac ave comparatione desumptâ ita loquitur: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas & assumpsit eos, atque portavit in humeris.*

Aldrov. l. 1. Ornith.

Iob c. 39. v. 30.

Hier. l. 18. in Isaiam, c. 65.

Deut. c. 32, v. 11

Mysticæ nostræ aquilæ Virgini Mariæ concinnè convenire hoc hieroglyphicum *benignitas*, quis inficiari poterit? hoc enim non tantum legenti ea, (quæ de ejus benignitate & suavitate diximus conc. 17. in qua illam olivæ assimulavimus fructiferæ in domo Domini) indubitatum apparebit: verùm & hanc veritatem prædictæ duæ hujus hieroglyphici aquilæ ab antiquis attributi, fortiter corroborant rationes. Quoniam si illud ipsi sit scriptum, quia in tanta angustia miseræ Helenæ, jam per sortem morti addictæ, gladium percutientis surripiens, advolans suppetias festinanter attulit, eamque à morte liberavit; quid nos de hac generosa aquila dicere non possumus, quæ non Helenam, sed pretiosam hominis animam ab æterno misericorditer liberat interitu? Ipsa namque, ubi evaginatum à divina justitia contra reum peccatorem conspexerit gladium, eique jam feralem imminere ictum, velocissimè ad SS. Trinitatis tribunal (sicut aquila in Helenæ succursum) in rei advolat subsidium, strictumque ensem, placato suavibus suis precibus irato Deo, procul avertit, miseroque veniam impetrat ac misericordiam. Sicque & rectè in numismate Mariæ sculperetur ejus imago, strato sub ejus pedibus fulmine. Quod, si quoque hæc regia aquila, de longè suis prospiciens, inæstimabilem hanc prædam, animam inquam, filii sanguine copioso redemptam, deliciosam dœmoni escam, rapacibus illius unguibus arctissimè constringi intueatur, mox eam ereptura descendit, & temerarium hostem in profundum detrudit barathrum, sicque desperatum peccatorem, adinstar alterius aquilæ Ganymedem Jovi, prædam Christi arreptam gloriosa sistit. Ideoque ei rectè potest illud, quod de aquila dicit Valerius Flaccus, appropriari.

> *Altum Iovis armiger æthra*
> *Advenit, & validis fixam abripit unguibus agnam.*

Quod si verò jam secundam hujus hieroglyphici, quam magis fundatam (ut dixi) autumo, attingamus rationem: nunquid longè eminentiori modo aquilæ nostræ mysticæ Mariæ, quàm illi naturali illud convenire omnes unanimiter confitebimur? sanè quis inficias ibit? hujus enim benignitatem, mansuetudinem, & in filios suos devota admirata Ecclesia, eam honorifico hoc indies cohonestat elogio *Mater misericordiæ, Mater divinæ gratiæ.* Obstupescunt cuncti Patres & Doctores Marianum subsidium, atque experientiâ eximiam hujus edoctus charitatem mundus denunciat universus, non est enim, qui se abscondat à calore ejus, id est à charitate & benevolentia ejus. Ac perinde omnium ore magnificum illud decantat elogium: *Tu benignissima Domina.* Sed de hoc fuse tractavimus conc. 1. 2. & 3. & incidenter in aliis. Dixi longè eminentiori modo illud hieroglyphicum *benignitas*, Mariæ quadrare & rectè; etenim si aquilæ id adscribebatur, quia proprios, ut foveat fœtus, ex naturæ instinctu omnem adhibet solertiam, iisque infirmis miro affectu & incredibili amore opitulatur: quis illud aquilæ nostræ Mariæ denegare audebit? Ipsa enim est, quæ tamquàm pia mater, ut nos Christianos in periculoso hujus mundi nido spiritualiter excludat & foveat, omni utitur diligentiâ, nunc nobis per internas suas inspirationes à lapsu præservando, nunc

nunc insidias diaboli detegendo, nunc divinum à nobis furorem avertendo, & misericordiam atque veniam impetrando. Ipsa est, quæ non ut aquila crudum pullis suis, ex arrepta præda exuctum sanguinem benigne subministrat, & sic debilitatos refocillat, sed proprium suum vivificum sanguinem è purissimis suis visceribus extractum, Christoque communicatum, nobis infirmis in hac mortali vita degentibus, indies in venerabili Sacramento (sanguis enim, ut suprà dictum est, Christi, est sanguis Mariæ) in vitam æternam, juxtà illud Christi: *Nisi manducaveritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* benigna propinat; sicque nos debiles divinâ hâc escâ mirabiliter confortat. Et si aquilæ præfatum hieroglyphicum *benignitas* convenit, quia pectus suum pro pullorum suorum defensione venatorum jaculis objicit, & tamquam scutum exhibet, ausim ego dicere, longè potiori jure illud Mariæ mysticæ aquilæ adscribi posse, quæ nobis fortissima refugii est turris, è qua mille pendent clypei & omnis armatura fortium, id est, Maria mille intercessionis habet modos, quibus contra cunctos, tam visibiles, quàm invisibiles, tam externos quàm internos hostes tutandi, ipsaque est nobis securissimus clypeus, quo omnia acuta dæmonum tela facilè retunduntur, ut latè conc. 18. ostendimus.

Ioan. c. 6. v. 14.

Denique si, ut aliæ volunt aquilæ alitum reginæ, tam præclarum attributum sit hieroglyphicum, eò quod tanta cum difficultate & anxietate aëtitem lapidem per vasta & varia loca quæratur, ut eum nido suo imponat; quia ex naturali instinctu hunc excludendis ovis omnimodè novit fore necessarium. Ille namque vi refrigerandi pollens, nimis intensum aquilarum, dum generationi incumbunt, æstum, ova alioquin exusturum corrigit, & illis fovendis reddit accommodum, ut testantur naturalistæ. Hinc canit Lucanus:

Quaque sonant fœta tepefacta sub alite saxa.

Ideoque hæc neutiquam quiescit, nullique parcit labori & defatigationi, donec illam petram adinvenerit; si inquam, ob hoc amoris obsequium pullis suis demonstratum, hieroglyphicum *benignitas*, illi ab antiquis approprietur: nonne rursus veriori cum fundamento, illud aquilæ nostræ Mariæ dedicabo, etenim ipsa non, ut aquila avis regia, inanimatam petram, ad nos filios suos spiritualiter excludendos ac vivificandos, sed viventem petram Cristum Dominum nostrum sacrosancti uteri sui nido imposuit. Ipsa enim optimè edocta humanum genus, per Adæ primam prævaricationem mortuum, ad vitam æternam nos posse regenerari, nisi mediante hoc mystico aëtite lapide, Christo Deo & homine, qui nimium æstuantem humanam concupiscentiam extingueret, omni industriâ, omni curâ, ut aquila pullorum suorum, id est fidelium satagens, illum acquirere conata est. Et tandem hæc aquila, sublimibus in cœlum humilitatis & virginitatis elevata pennis, lapidem hunc Verbum æternum è regio majestatis suæ throno extraxit, & ad virgineum nidum declinare fecit; mediante cujus passione, sanguine & morte, insignis exclusus est ille fœtus Ecclesia Christi sponsa & humanum genus spiritualiter regeneratum est. Inde de ea optimè ait Bonaventura: *O fœmina plena, & super plena gratiâ, de cujus plenitudine respersa, virescit omnis creatura.* Cedat itaque aquila illa volatilium regina, aquilæ huic Mariæ, cœli & terræ Imperatrici: cedat aquilinus naturalis ergà pullos suos affectus Mariano supernaturali in nos filios amori: cedat Mariæ hoc hieroglyphicum *benignitas*: ipsa enim tantummodò sollicita est in conquirendo, ad pullorum corporalem sustentationem cibo: Hæc verò nobis famelicis panem vivum, spirituale animarum nostrarum nutrimentum, verum corpus Christi Domini subministrat. Illa tantummodò clypeus est suis, ut eos contra nocivum venatorum tela tueatur, & à morte liberet corporali: hæc invictissimus est clypeus, qui nos contra callidorum venatorum infernalium spirituum jacula præservat & à morte eripit æterna. Illa ad nidum suum pro suorum salute portat aetitem petram: Hæc verò pretiosam illam petram Christum Dominum, de quo dicitur (petra autem erat Christus) in totius salutem protulit universi. Concludamus itaque. Maria est *aquila magnarum alarum*

Bonav. in spec. Virg. c. 7.

Beneficentiæ insuper à veteribus aquilæ attribuitur hieroglyphicum, idque ideò, quia quamplurima ab eo regna amplissima recipiunt non exigua beneficia. Sed ut cætera taceam præcipuè Scythia, cujus incolæ aquilæ operà summoperè ditantur. In hac amplissima & profundissima reperitur abyssus, undequaque altissimis montibus circumdata, ideoq; illa est planè inaccessibilis. In ea generantur hyacinti, margaritæ, atque pretiosi uniones, quorum Schytici avidi, aquilæ beneficio (cum ipsi descendere nequeant) usi, hoc adinve-

adinvenerunt stratagema. Tenerrimum excoriant agnum, eumque leviter assant, ut adhuc quasi viscosus remaneat & in abyssum præcitant, ad quem ob viscositatem, cum margaritis & unionibus conglutinatum suavi odore attractæ famelicæ aquilæ, velociter deorsum tendunt, illumque in altum suprà montes attollunt, his refertum, devoratâque carne, cunctos adhærentes uniones Scythicis in prædam relinquunt. Ita attestatur gravissimus Author Athanasius Nycenus: *Cum agnum excoriaverint, leviter assant, & desuper eum jaciunt ex rupibus in chaos fossæ: in illus autem carnibus conglutinantur lapides, aquilæ autem descendunt ad odorem carnium, & sursum ferunt agnum habentem lapides. Inter comedendum, carnes lapides manent in vertice montis.*

Ath. Nycenus.

Verùm longè notabiliora mystica aquila Maria mundo universo contulit, continuòque confert beneficia. Etenim sive per illam Scythiæ abyssum intelligamus lymbum, in quo detenti fuerunt SS. Patriarchæ & Prophetæ, pretiosi sanè uniones, ad quos in altum ad cœleste Jerusalem attollendos, nulli prorsùs dabatur accessus. Sed ecce hæc aquila tenerrimum quemdam agnum produxit, quem igne charitatis in ara Crucis quasi tostum ad hoc ergastulum dimisit, qui quadragesimo post mortem die, cunctis his unionibus onustus, tantisque divitiis ditatus, gloriosè cœlum avolavit, illudque pretiosâ hâc prædâ cohonestavit. Sive verò per abyssum hanc intelligamus purgatorium, in quo animæ peccatorum suorum pœnæ reatum persolvunt igneque purificantur, cirumdatum undequaque altissimis justitiæ montibus, secundùm illud Davidis: *Justitia tua sicut montes Dei*, estque plane inaccessibile. Sed ecce rursùs hic mirifica, his afflictis aquilæ nostræ exhibita, relucet beneficentia, ipsa enim mundo immaculatum illum peperit agnum Christum Jesum, qui in sacrosancto sacrificio Missæ immissus in hunc lacum, defunctisque fidelibus applicatus; uniones hos ex infinitis sanguinis sui effusi meritis, ad æternam portat beatitudinem. Sicque & cœlum ipsum vacuum impletur, & angelorum apostatarum ruinâ reparatur, ut supra dixi, ipsa quotannis ad hoc luctuosum descendit carcerem, animasque à voracibus flammis eripit, atque in cœlum evehit. Ecce aquilæ nostræ universalem benevolentiam: hanc enim terra (quia omnia dona cœlestia & divinæ gratiæ nobis à Maria Virgine promanant) limbum, purgatorium, imò & ipsum regnum cœleste maximè experitur. Nonne itaque meritò illi magnificum

Ps. 35. v. 7.

hoc possumus adscribere hieroglyphicum *benignitas*! sane quàm optimè, quia Maria est aquila magnarum alarum.

Præterea aquilæ ab antiquis Ægyptiis attribuitur generositatis, constantiæ & infractæ patientiæ hieroglyphicum. Hoc significare volens generosus ille belli Dux Galeatius Fregosius quoddam ingeniosum emblema depinxit, in quo aquila ita delineata erat, ut sub cœlo turbato ac fulgurante immunis remaneret & intacta, solem inspiciendo. Ab altera parte ad montem volatu contendere videbatur cum lemmate: *Neque occidere me, neque terrere me.* Quo inquam, denotabat invicti animi in arduis negotiis virum, qui nullis umquam adversitatibus expavescit, sed in iis semper immotus & constans perseverat. Unde aquilæ illud Claudii Paradini appropriatur dictum:

Ardua deturbans vis animosa quatit.

Maria profectò verissima est aquila, ipsi namque constantiæ & invictæ patientiæ optimè convenit hieroglyphicum. Quis enim imperterritum Mariæ in procellosa Christi unigeniti Filii sui Passionis tempestate, Cruci adstantis animum considerans, non obstupescit? Ecce ingruunt undique intumescentes dolorum & tormentorum undæ, quæ maternam fortiter quatiunt mentem: attamen non succumbit his malis insuperabilis hæc Virgo, sed ut durissima rupes immota, luctuosam hanc, quam feri Judæi peragunt, intuetur tragœdiam & solem adinstar aquilæ, fixè adspicit crucifixum, & tamquam Heliotropium ad eum, æterni Patris sese conformans voluntati, convertitur, & veloci cursu ad montem Calvariæ contendit, ut ibidem eximiæ constantiæ ac patientiæ evidens exhibeat testimonium. Unde ei potest concinnè applicari adductum Claudii dictum;

Ardua deturbans vis animosa quatit.

Sed qui Mariæ cognoscere desiderat fortitudinem, legat conc. 5.

Apud Ægyptios quoque aquilæ magnificum victoriæ attribuebatur hieroglyphicum. Unde tanta apud cœcam gentilitaem irrepsit de aquila superstitio, & vana confidentia, idque præcipue apud Romanos, ut milites ad pugnam procedere recusarent, nisi singulis legionibus aquila præferetur, teste Aldrovando: *Tanta dignitatis*, inquit, *istud aquila signum, ut in omni legione, in prima semper* *Loco citato.*

cohor-

cohorte præferetur, quod viris doctis ac litteratis ferè constitisse scribit Fonteyus. Itaque illud principatus insigne putabant, omenque victoriæ. Hinc & Romanorum exercituum Duces, in ultimis regni, sub imperio Romanorum armis subacti, limitibus aquilam collocabant, illi adscribentes reportatam de hostibus victoriam. Quod ex Julii Cæsaris facto clarè constat. Cum enim jam superatâ Britanniâ, peractâque fœliciter adversus Pictones ac Scotos expeditione, ad Calledoniam sylvam arma Romana produxisset, aquilam erigi mandavit, eamque militaribus trophæis cohonestavit, ipsiusque pectori jussit insculpi hoc distichum:

Hâc duce Romanos Gallos Iovis arce fugavit,
Hac laudem domitor Cæsar ab hoste tulit.

Id, quod Romani stultè & superstitiosè aquilæ, volatilium reginæ Jovisque aliti adscripsêre, nos Christiani cum Catholica veritate mysticæ aquilæ Mariæ quàm optimè convenire, audacter asserere possumus; ipsa enim quoque verissimum est victoriæ hieroglyphicum (ut abundè satis demonstratum est conc 17.) & ausim dicere, si sub Mariæ vexillo, id est protectione arduam hujus vitæ malitiam, tam contra visibiles hostes aggrediamur: si sub hac invicta Amazone militemus, ad instar alterius Arcturis (de quo suprà) omnes inimicorum insultus avertemus; sin verò ejus tutelam, illiusque subsidium contemnamus, victi indubiè succumbemus. Hoc Marianum in militando auxilium cuncti Sancti, ad instar Julii Cæsaris apertissimè confitentur, dum illius aræ laureolas suas ac coronas, ut suprà dixi, appendunt, illique omnem de hostibus humiliter reportatam adscribunt victoriam. Possuntque meritò dicere Sancti Mariæ Virgini, quæ olim Pyrrhus Epirotarum Rex suis commilitonibus dixit, verba. Ipse enim ut narrat Plut. *à pugna magna cum gloria ac celebritate nominis & lætitia in Epirum reversus, cum aquila salutaretur, per vos,* inquit, *aquila sum, qui me vestris tamquàm alis in altum extulistis.* Hoc idem dico, in Mariæ encomium non exiguum, intonare coguntur cuncti cœlestis regni incolæ. O Maria! si nos, tamquam aquilæ ad sublimem hanc curiam elevati sumus, intuituque æterni solis & divinæ essentiæ aspectu fruamur: per te ô Virgo, tantam adepti sumus eminentiam. Si ô Domina! nos in hujus mundi militia diabolicos explosimus astus, & cunctas inferni vires imbelles perfregimus, si carnis lenocinia, & subdolas mundi blanditias & voluptates contempsimus, tuis armis, tuo præsidio & adjutorio nostrorum victores extitimus inimicorum, & alis tuæ gratiæ ac benevolentiæ in altum delati sumus. Quia nullus salvus fit, nisi per te ô piissima! nullus liberatur à malis, nisi per te ô potentissima!

Ex his omnibus legitimam & perquam solidã deducere possumus consequentiam, scilicet rectissimè Mariam Virginem aquilam intitulari, & quidem magnarum alarum, quia illi omnes omninò proprietates, omniaque apprimè conveniunt hieroglyphica. Quod & latiùs probare mihi esset facile, sed temporis penuriâ pressus, brevitatis quoq; gratiâ, plurimis adducendis hieroglyphicis supersedeo: & me ad te converto, ô mirifica aquila Maria! & humiliter exoro, ut sis nobis in cœlo vera aquila. Tu enim ô piissima Domina in cœlum rapta es & assumpta, non ut fabulosus ille Ganymedes, Laomedontis filius, ut Jovi potum ministraret, atque sitim ipsius extingueret: sed ut dulci precum tuarum, & intercessionis liquore excandescentem, atque æstuantem irati Dei furorem refocilles, ut nobis miseris peccatoribus indesinenter suffrageris, & abundantem in mundum gratiæ effundas pluviam. Tu usque ad thronum divinæ majestatis evecta es, ut ignito judicis fulmini (sicut Jovis commentitia aquila.) prædomineris, justitiæque frænum injicias: tu in cœlestibus constituta es, ut tamquàm aquila, eminùs escam illam tantoperè à filio tuo desideratam, peccatoris animam contempleris & nostrûm commisereàris. Tu itaque ô benignissima Mater! efficacissimos illos misericordes oculos ad nos converte, & ut amorosa aquila, infirmos pullos fovet & adjuvat, nos filios tuos à spirituali infirmitate & æterna morte libera. Succurre nobis in cunctis, quæ tam contra visibiles, quàm invisibiles committimus præliis, ut victoriosa aquila, eleva nos potentibus tuis gratiarum atque cœlestium donorum pennis in cœlum, ut in æternùm confiteri possimus illarum virtutem, potentiam & magnitudinem, tibique semper mirificum hoc decantare elogium, *Aquila magnarum alarum*: quod nobis det Pater, & Filus, & Spiritus S. Amen.

CONCIO XXIV.

THEMA.

Multa abscondita sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius. Eccl. cap. 43.

ARGUMENTUM.

In hoc Mariali primo tractatu, me nihil tantâ Virgine dignum in medium protulisse ingenuè confiteor. Hoc tamen addo elogium, divinam illius maternitatem omnem excellentiam atque eminentiam antecellere, ideoque de Maria dictum encomiasticum sufficit. Matth. cap. 1. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

FAmosissimus ille artifex, celeberrimusque sui ævi Pictor Aristocles, vanâ quâdam & cœcâ instigatus gloriâ (conspecto ultimum vitæ suæ terminum appropinquare) opus quoddam totâ posteritate dignum, artificioso suo penicillo delineare est præmeditatus. Verùm dudum deliberans, ut intentum suum assequeretur, quodnam aptius assumeret prototypon: tandem cœli firmamentum totius hujus inferioris universi illuminativum depingere statuit. Hoc tam eminens inter cætera creata corpus: ut pro dignitate debitis, congruisque coloribus adornaret, atque ejus magnificentiam & excellentiam exprimeret, summa cum industria pro primo decore & ornamento in illo innumeras stellas efformavit, quæ luminis sui splendore densissimas noctis tenebras depellunt, atque sublunaribus corporibus continuum præbent influxum. His addidit septem planetas, quibus, tamquàm pretiosis unionibus cœleste hoc opus mirificè condecoratur. Deinde luminari minori lunæ depingendæ artificiosam admovit manum, quæ, ut vera noctis domina, & solis vicaria mundum tenebrosum suâ luce illuminat. Nec hic substitit Aristocles, sed ulteriùs progressus pro ultima selecti hujus operis perfectione, in firmamento luminum lumen, omnisque lucis fontem, splendidissimum scilicet solem, diei præsidem, clarissimis circumcinctum radiis, stupendâ arte delineavit. Hanc picturam jam ultimis coloribus subductã & omninò perfectam, attentè inspiciens Aristocles, consideratāque inexplicabili penicilli sui solertiâ & manus nobilitate, ac rara dexteritate, tantum admiratus artificium, exclamavit: *O mirificum opus!* verùm post elevatis oculis inspectoque reali firmamento, ejus quasi obfuscatus splendore, suam ad amussim tam nobilis prototypi figuram vivaciter delineandam, inertiam & imbecillitatem ingenuè est confessus dicens: *pulchriora latent.*

Imbecilli & rudi indisertæ atque balbutientis linguæ meæ penicillo, ô Auditores in variis discursibus, nobilem illam imaginem Mariam Virginẽ, cœleste firmamentum, conatus fui depingere, ejusque virtutes, magnificentiam, eminentiam, atq; immensas prærogativas detegere & in lucem prodire studui. Hoc ut assequerer, usus Aristoclis ingeniosâ inventione, undequaque varia diligenter inquisivi ornamenta, vivosque ad tam excellentis, tamque eximii prototypi effingendam effigiem, elegi colores; non destiti quamplurima hinc inde honorifica colligere elogia, ad iisdem Marianas laudes depromendas idonea. Etenim regali ejus

aræ magnificum illud, nec sane infimum appendi encomium: *Maria mater misericordiæ*: in quo tota hujus reginæ consistere videtur magnificentia. Illi addidi aliud, nec contemnendum, scilicet *omnium Sanctorum Regina*, ostendique hanc Virginem in sanctitate cunctas longo intervallo antecelluisse creaturas. Nec hic substiti, sed mysticum nostrum firmamentum Mariam, adinstar alterius pictoris Aristoclis omni, scilicet stellarum, lunæ & solis lumine decoravi, imò & æterni solis Dei sui vivam ostendi esse imaginem, ad ejus prototypon ab ipsomet supremo artifice depictam. Hunc solem Mariam numquam eclipsatum fuisse, nec alicujus peccati actualis, nec originalis no-se, n aculam contraxisse, solidè & fusè demonstravi, ideoque rectè possum, contra immaculatæ Conceptionis illius hostes, trito apud Ægyptios uti adagio: *In sole maculam ne quæras*. Mirabiles, pretiosasque dotes, quibus cælestis sponsus, Verbum æternum, sponsam suam ditavit Mariam, diversasque, quas ei concessit prærogativas ex infinito & æterno erga eam erui amore. Perfectiones ejus variasque eminentes virtutes, ut virginitatem, humilitatem, perfectam suæ voluntatis cum divina conformitatem, promptam illius in miseris peccatoribus succurrendis, voluntatem ac mirificam celeritatem, Illius tàm in cœlo, quàm in terra & abyssis mirabilem potestatem &c. neutiquam subticui, sed pro mea conatus sui exprimere imbecillitate. Denique ut unico verbo, ne prolixior sim absolvam, omnem adhibui mihi possibilem diligentiam, ad divinam hanc imaginem, splendidissimum hoc firmamentum rectè & secundùm exigentiam efformandum. Sed heu! dum maturè hujus inspexi ac intimiùs indicibilem penetravi pulchritudinem (ubi anteà tantâ ejus admiratus excellentiam, tacitè clamabã cum Aristocle: *O mirificum opus*) nunc & cum eo cogor confiteri: *Pulchriora latent*.

Fateor, ut dixi, multa dicta sunt de te, civitas Dei ô Maria! fateor tamen cum Sapiente: *Multa abscondita sunt majora his, pauca enim vidimus operum tuorũ.* Sed quia ut in hujus tractatus præfatione clarè ostendi, impossibile est cunctas tuas, ô Virgo! perfectiones enucleare; si ulteriùs à quopiam interroger, ut olim Hæbræi, mannæ virtutem demirantes, Manhu quid est hoc? quid est Maria? respondebo, nescio quid sit: hoc unum scio, Maria Virgo est & Dei Mater, in quo omniũ dignitatum excellentiæ & gloriæ illius consistit complementum, teste S. Thoma à Villa Nova dicente: *Sufficiat tibi quod dixit Evangelista, de qua natus est Iesus. Quid ampliùs quæris? quid amplius? sufficit. quod Mater Dei est.* Hinc, ô Auditores! pro complemento hujus tractatus, Mariæ Virginis aræ appendam omnium plane elogiorum eminentissimum hoc, *Maria Mater Dei*, secutus Evangelistam Matth. *de qua natus est Iesus.* Verum antequàm tam difficilem & intricatam aggrediar materiam necesse est, ut per hujus Matris intercessionem Spiritus S. implorem assistentiam, pro qua eam unanimiter rogemus dicentes: *Ave gratia plena.*

Tho. à Villa nova serm. 2. de Nat. Virg.

Multa abscondita sunt majora his, pauca enim vidimus operum ejus.

GEnerosus ille & invictus militum Dux, Romanorumque exercitus moderator Lysander, ardenti ergà dilectam suam genitricem Narracleotam amore incensus, in publicum affectus sui testimonium, ingeniosissimos ac celeberrimos totius Romani Imperii viros simul convocari præcepit. A quibus magno studio & labore jam congregatis, instantissimè expostulavit, ut quilibet pro ingenii sui sagacitate, laudes, prærogativas, perfectiones, virtutes, eminentiam atque magnificentiam Narracleotæ emblematicè conaretur exprimere; propositâ ingenti illi mercede, qui secundùm litteratorum judicium, præ cæteris palmam reportaret. Quilibet tam gloriæ, quàm amplæ mercedis avidus, cunctas ingenii sui exercuit vires, sicque tam subtilia & ingeniosa in medium, statuto tempore, producta sunt emblemata, unicuique appositè suâ adjunctâ acutissimâ epigraphe (hoc Narracleotæ pulchritudinem, illo animi generositatẽ: altero stematis ac prosapiæ nobilitatem extollente) ut quilibet attonitus hæreret, & cui victoria adscribi deberet, ignoraret. Sed cunctis obstupescentibus, tandem in medium prosiliit famosus ille vir Niceratus, in manibus nitidissimam portans tabulam, in qua artificiosissimè delineatum splendidissimum conspiciebatur cœlum, è quo clarissimum illud sydus, sol lucidissimis suis circumornatus radiis oriebatur. Emblematis tenorem authorisque mentem declarabat nobilis epigraphes hoc disticho exarata.

Ad laudes Matris Princeps hoc sufficit unum
Quod Roma solem Narracleota dedit.

Ac si diceret, ô Lysander! inane est matris tuæ decantare pulchritudinem, heroica gesta, mentis ge-

Generositatem, antiquam nobilitatem: ecce complementum gloriæ atque eminentiæ, & quasi breve omnium Narracleotæ perfectionum compenpendium est, quod te solem in Romani Imperii emolumentum produxerit, qui tuis armis & industriâ sæpè sæpius hostiles generosè & fortiter profligasti exercitus, patriamq; tuam animosè propugnasti Ingenioso hoc viso emblemate, ac succinctæ hujus epigraphis comprehensâ energiâ, cuncti litterati, unanimiter Nicerato palmam detulerunt.

Supremus ille Lysander Deus noster cunctos, tum veteris, tum novi Testamenti litteratos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, omnesque Ecclesiæ Doctores, & Verbi divini præcones per cœlestes convocat spiritus clamantes: *quæ est ista, quæ ascendit?* ad Marianas laudes depromendas, & ad eminentiam, dignitatem, atque celsitudinem mundo manifestandam, Ecce varii varia Mariæ Virgini offerunt encomia & honorifica elogia. Hic ejus tum corporis, tum animæ eximiâ extollit pulchritudinem: ille invicti animi constantiam: hic illius virtutes, & cœlestes perfectionum dotes: ille immensam ejus gloriam: alter immaculatam ipsius conceptionem enarrat, & ut uno verbo dicam, quilibet pro suo sensu & ingenii imbecillitate, tantam Virginem, cœli, terræque Reginam eminentibus titulis decorare sategit: dum hic secutus Isaiam, fœdus populi, ille auroram juxta Psalmistam rorantem cœlestem gratiam; hic rursùs secutus Isaiam, salutiferam nubem, dudum desideratum pluentem justum; ille juxta Ecclesiam, stellam maris, quæ nos miseros homines periculosum hujus mundi mare transmeantes, ad tutum salutis portum deducit, intitulant, aliique aliis honorificis, in Maria laudanda, utuntur elogiis.

Orat. de dormitione Deiparæ. Quod si modò ad hoc meam quispiam exigeret responsionem, quæ est Maria? responderem cum Arnoldo Carnotensi: *Magnitudo gloriæ Mariæ, nec discerni potest nec intelligi, honoretur silentio.* Si tamen aliquid edisserere cogerer, Mariam Virginem cœlum intitularem juxta illud Davidicum: *Dominus in cœlo paravit sedem suam;* Verùm non nudum cœlum, sed animatum & fæcundum, quale cœlum emblema Nicerati repræsentabat, depingeremque pulcherrimam Virginem, è qua egreditur splendidissimus ille sol Christus Jesus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ, & mutatis paucis Nicerati verbis, ibidem adjungerem epigraphen.

Psal. LII. v. 19.

Ad Christi Matris laudes hoc sufficit unum.
Quod mundo Solem Virgo Maria dedit.

Unde si veteres, dum matrem à celebri partu laudare intenderent, stellam depingebant, è qua sol egrediebatur, ut quidam famosus orator ingeniosè & succinctè encomiavit Olimpiam Alexandri magni matrem cum epigraphe: *Olympia stella cœli, Alexandri mater:* ego, ad Mariæ decantanda encomia, asseveranter dicam, illam esse stellam matutinam, è qua ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster, eiq; audacter adscribam epigraphen hanc: *Maria stella solis Christi Mater:* in hoc enim omnis ipsius gloria consistit. Etenim si à S. Matth. interroges, quæ est Maria? nil aliud respondet, quam *de qua natus est Iesus,* & hoc verum sufficit. Hinc ait Anselmus: *Hoc solum prædica de S Virgine, quod Mater Dei sit, hoc superexat totum, quod sub Deo dici potest.* Anselm. de excel. Virg. c. 8.

Curiosa planè quæstio, non ab infimis regni Macedoniæ ingeniis instituta est, quis sibi majorem deberet adscribere gloriam, vel Alexander, eò quod ipse Philippi invicti Monarchæ & prudentissimi Principis, atque Olimpiæ nobilissimæ ac generosissimæ matronæ foret filius? an verò Philippus & Olimpia, quia domitorem totius universi progenuerant Alexandrum? Verum hi (forsitan tam Philippo & Olimpiæ, quam Alexandro adulari studentes (ut aulicorum mos est) quæstionem propositam intactam & indecisam reliquerunt. Hoc viso, quidam nobilis non infimæ notæ, ut sui ostenderet ingenii sagacitatẽ, hieroglyphico emblemate acutè quæstionem conatus est dissolvere. Ad quem finem, artificioso, peritissimi sui ævi pictoris Apellis, penicillo, summa cum industria depingi curavit pulcherrimum hortum, undequaque odoriferis herbis refertum, in medio cujus altissima posita erat arbor, in qua unicum aureum pomum pendebat, cum hac epigraphe: *sufficit unũ.* Significans per hortum Olympiam matrem, & per arborem Philippum Regem patrem, per unicum autem pomum aureum, Alexandrum magnum unigenitum utriusque filium, per epigraphen verò indicabat majorẽ sibi arrogare posse parentes Philippus & Olimpia gloriam, eò quod tantum filium in lucem edidissent Alexandrum, quàm Alexander, eò quod ex tam nobilibus progenitus esset parentibus.

Huic emblemati subscripsit quidam disertissimus & eloquentissimus ejusdẽ Philippi Regis orator, qui intellecta eleganti de laudibus hujus Monarchæ

narchæ, numquam satis laudati, oratione, non ab inferiori oratore, depromptâ, in qua ille nervosè ac enucleatè omnia heroica illius gesta, in inimicos debellando invictam constantiam, eximiam in perferendo æstum & frigus, famem & sitim patientiam, cunctas victorias divinè expresserat, & omnia regna, & diversa terrarum loca, armis ejus subacta, ad amussim recensuerat, finiens eum dicto: *Sed nondum satis.* Quo innuebat nulli oratori, quantumcumque eloquenti, immensum encomiorum & laudum unius Philippi abyssum possibile esse penetrare. Hâc finitâ, ipse suas quoque ad laudes Regis decantandas subiens vices, omnibus prædictis silentio pressis, à prolixa & longa abstinuit oratione, hoc unum proferens elogium: *Sufficit te filium habuisse Alexandrum.*

Anselm. de excel. Virg. c. 8.

Horum ego deprædicaturus hodierno die Mariæ Virginis encomia, ne in scyllas aut carybdes impingam, sanè uti cogor subtili stratagemate. Nonne enim Deiparam pulcherrimum fore hortum, de quo sponsus: *Hortus conclusus soror mea sponsa,* audacter asserere possum, è cujus sacro-sancto utero prodiit ille, tam diu exoptatus, saluberrimus fructus, Jesus Christus, unigenitus Dei & Matris filius? unde clamat Marcilla: *Beatus venter, qui te portavit.* Nonne & prædicti emblematis istius nobilis, ei appropriare mihi erit licitum ingeniosam illam epigraphun, *sufficit unum?* aut oratoris Philippi dictum, ô Maria *sufficit te filium habuisse Christum*, qui & unigenitus est ipsius Dei Patris? indubie sanè; præcipuè cum divinos ipsos Oratores S. Evangelistas, Spiritus S. supernaturali lumine illuminatos, taciturnos conspicio. Etenim illi præclara Mariæ gesta, nec ejus sanctitatem, virtutes, pulchritudinem, austeram vitam, nec ulla illius enarrant miracula, sed imitati hunc oratorem, cunctis tacitè prætеritis, duntaxat in lucem proferunt Dei maternitatem, ut patet ex Matth, *De qua natus est Iesus*, & meritò inquit S. Thom. à Villa nova: *Quia omnia collecta sunt, cum dictum est, ex ea natum fuisse Iesum, sufficit ad plenam ejus historiam, quod scriptum erat, pars scribenda non fuit.* Unde & cantat doctissimus Novarr,

Cant. c. 4. v. 12.

Luc. c. 11. v. 27.

Thom. à Villa nova serm. 2. de Nat. Virg.

Noscitur ex omni fructu, qua sit arbor, Iesus
Maria est fructus conjice qualis erat.

Sed quis ex maternitate (sub qua multa abscondita sunt majora his, quæ vidimus, & diximus, imò quæ videre, aut dicere valemus, & nequidem dico concipere, qualis sit Maria dignoscere poterit? sanè nullus. Sicut enim corpus quantitatis infinitæ numquam ad finem mensuræ valet deduci, sed semper adhuc restat aliquid ulterius mensurandum: ita Mariæ Virginis perfectio, & dignitas mensurari nequit, utpotè quæ, ex eo, quod Mater Dei est, sit infinita, juxtà divum Thom. dicentem: *Humanitas Christi, fruitio Dei, & beata Virgo, ex hoc quod Mater Dei est, habent quamdam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod Deus est. Et ex hac parte non potuit fieri melius.* Nec id mirum; sicut enim secundùm omnes Philosophos indubitata est veritas, quòd natura dans formam, det sequentia ad formam: v. g. forma ignis ex naturæ appetitu innato in ligno conatur similem ducere (utrum ea ab occidentibus solius agentis, an verò ab ipsa substantiali forma sola (ut ego autumo) an autem ab utroque physicè producatur, Philosophis relinquo) ideòque paulatim, mediante suo calore, humores materiæ, in quam agit extrahit & exsiccat, illamque intensè calefacit, & sic proximè ad formam recipiendam disponit, ita & Deus, cum, tamquam autor gratiæ, Mariæ Virgini nobilissimam, & infinitæ dignitatis formam divinæ communicarit maternitatis, consequens est, ut eam infinitæ hujus dignitatis reddiderit capacem. Hoc divinè attingit Bonav. hisce verbis: *Ipsa est mater, quæ tali filio est decentissima, ipsa est mater, cui decentissimus est, ipsa est, quâ majorem Deus facere non posset, majorem mundum facere posset Deus, majus cælum facere posset Deus, majorem, quàm matrem Dei, facere non posset Deus.*

Thom. 1 p. q. 26. a. 6.

Bonav. l. 4. serm. 3. a. 2. c. 1.

Obstupeo quando audio Damianum dicentē, quòd prudentissimus ille Deus, non sine magno mysterio, Mariæ Virgini Genitrici suæ miracula in hac vita perpetrandi denegaverit potestatem (quam forsitan opinionem ipse eruit ex eo, quòd de illis sacra scriptura nullam prorsus faciat mentionem) cum tamen illam quàmplurimis Sanctis in majorem eorum gloriam, & sanctimoniæ evidens testimonium benignè concesserit. Hoc enim multum derogare videtur Matris Dei dignitati & præeminentiæ. Verùm è contrà hic Doctor docet, per hoc eam incomparabiliter super omnes planè Sanctos elevari. Ad quid enim inquit, aliis Sanctis ea data, scilicet miracula edendi virtus, nisi ut per ea exaltarentur? Maria verò nullâ omninò elevatione opus habebat, quia ipsa perpetrando miraculum omnium miraculorum, etiam secundùm conceptum maximum, scilicet dum vi

suæ humilitatis, virginitati conjunctæ, è cælo unigenitum Dei filium descendere fecit, suavibusque oris sui vocibus, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, è sinu Patris ad virginale uteri sui claustrùm attraxit. Quis enim manifestissimum esse denegabit miraculum infinitè distantia conjungere, creaturam creatorem, immortalem reddere mortalem, impassibilem passibilem, immensum comprehensibilem? certè id nullus sanæ mentis inficiabitur. Ad Mariæ itaque laudes, gloriam, magnificentiam manifestandam, hoc unicum sufficiebat, quod Mater Dei foret. Ad quid ergò pluribus opus? planè ad nihil. *Maria enim*, inquit Antonius, *in solo partu, quem edidit omnium procul dubio Sanctorum virtutes, & signa excellit.* Hinc Christus ipse quamvis eximiam Joannis Baptistæ sanctitatem, Cananeæ & Centurionis fidem, Magdalenæ amorem, Nathanaelis bonitatem extulerit: numquam, ne ullum quidem verbum, de matris excellentia protulit. Etenim satis ipsi erat Dei maternitas. Id clarè videtur annuere rursus Antoninus dicens: *Cum de Maria audio, quod mater Dei sit, ibi inde reliqua colligere est, sicut ex ungue Leonem.*

S. Anton.

Unde Maria Virgo longe majori cum fundamento generosas quasdam gentiles matronas imitari potest, quæ omnem suam gloriam in filiis constituebant, de Cornelia enim nobilissimorum Graccorum matre, magnorum reipublicæ Romanæ Ducum, referunt historiæ, quod ipsa cum illi à Campana, nobilissima quoque Romana matrona, gazæ, divitiæ, & quamplurimi ostenderentur thesauri, attonita ut apparebat (gemmarum ac unionum inspectâ pulchritudine, & obfuscatis tanto splendore oculis) quid de iis sentiret rogata, protrahens judicium, tam diu exspectavit, donec è schola redirent filii, ut testatur Val. Max. *Cornelia Græcorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua sæculi istius, ei ostenderet, traxit sermonem, quousque è schola redirent liberi, quos Campana indigitans dixit: hæc ornamenta mea sunt.* Cumque ei offerretur Ægyptiaci regni à Ptolomæo dominium, si in legitimo consentiret matrimoniali contractu, & ad hoc tàm ab affinibus, quàm consanguineis instigaretur, his verbis coronam recusavit: *Malo esse Graccorum mater, quàm Ægypti regina*: indicans nobilitatem, & gloriam matris à partu debere desumi. Et hic tam communis apud Ethnicos fuit mos, ut omnes matres de filiis gloriarentur, ut clarè satis patet ex aliis quàmplurimis historiis. Cum enim Jonia rogata, ut pretiosa sua adduceret monilia, doctissimi Phocionis uxor existens, filium Phocionem ostendit dicens: *Mihi ornatus loco est Phocion viginti jam annis Atheniensium dux.* Hinc ne in longum abeam (plures enim tum in historiis profanis, tum in sacris, dicti mei facile invenire est comprobationes) audacter assero, illam potiori jure Corneliam & Joniam Mariam Virginem longè antecellere. Ipsa enim quamvis mille pretiosis virtutum gemmis, & inæstimabilibus prærogativarum & perfectionum ditata sit unionibus, totumque cælestium divitiarum thesaurum in se contineat, quamvis de nobilissima sacerdotali, & regia stirpe exorta sit, omnia flocci pendit, nec in illis gloriatur, nec à sacris chronologistis ea recenseri desiderat, sed tantùm Dei maternitatem propalari expostulat, *de qua natus est Iesus*, quia omnem gloriam suam, nobilitatem & magnificentiam ab illa desumit, atque in ea sola gloriatur, & ob hanc sese beatam æstimat, ut testatur dicens: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, ecce enim ex hoc (scilicet quia illa virtus unigenitum è sinu æterni Patris filium avulsit, & ad uterum suum attractum incarnari fecit) *beatam me dicent generationes.* Hinc, si quis Mariæ congratulari desiderat, ab ea petat, quonam honorando sit titulo? indubiè respondebit, sese cuncta respuere elogia, & encomia, etiam cæli & terræ reginæ, dicet cum matrona Cornelia: *Malo esse Mater Dei, quàm cæli Regina*, quia ista maternitas omnem gloriam in se comprehendit, & omnia Dei mirabilia opera longo intervallo superat. Ideò & sanè ea considerans Propheta Jerem. *Novum fecit Dominus super terram, mulier circumdabit virum*: id est, tenerrima Virgo filium, qui ab æterno de Patre extitit genitus, in tempore concipiet, & immensum angustissimo sacro-sancti uteri sui circulo conclusit, & Virgo peperit. Quid hoc mirabilius? quid quæso magis novum, quàm quod integerrima Virgo permanens, pepererit virum, stella protulerit solem, filia conceperit Patrem, creatura creatorem? unde eruditè Isychius ait: *Concepit, at vulvam non corrupit, eduxit infantem, & uterum signatum reliquit; lac suppeditavit, ubera attamen intacta servavit, portabat puerum, puer tamen patrem humanum non agnoscebat, ager fructum edebat, & fructus carebat cultore; messem reddebat, quæ semen non acceperat.* Cui concinit S. Epiph. *O fœmina sanctissima! quæ exercitum etiam Angelorum in stuporem deduxisti, stupendum est miraculum in excelsis mulier amicta sole,* *stupendum*

Val. Max. l.4. c.4.

Ierem. c.3.

Epiph. serm. de encom. B. Virg.

stupendum miraculum, mulier gestans lucem in ulnis, stupendum miraculum alter thronus Cherubius, stupendum miraculum mulieris filius, qui ipsius & sæculorum pater est. Et totum hoc succinctè & clarè comprobat mellifluus Bern. *Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogativa Mariæ, quod filium unum, eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem.* Et quod Mariæ maternitatis dignitati non exiguum conferat incrementum, est, quòd ipsa illum virtute suæ sanctitatis, virginitatis scilicet, & humilitatis (virginitate enim placuit, sed humilitate concepit, & quia hanc respexit Dominus, fecit ei magna, qui potens est) saltem de congruo promeruerit. Etenim laude dignius, quòd quisque proprio labore, & industria, quam, quod ex principum mera liberalitate sibi acquirit. Unde de Rege Siciliæ Agatocle in apophthegmatibus narratur, quod, cum ex figulo ad Regium thronum esset evectus, in abaco vasa fictilia, quæ aliquando confecerat, aureis & argenteis intermiscere mandarit, quia, ut ibidem dicitur: *Non puduit pristinæ fortunæ, sed magis æstimavit regnum virtute partum quàm si hæreditate obtinuisset. Nam Regem nasci nihil magnum est, ac regno dignum se præstitisse, maximum est.* Quod adeò verum arbitratur Cicero, ut ad essentiam, & rationem dignitatis hoc sentiat pertinere, ut patet ex illius definitione: *Dignitas est æstimatio quædam, quæsita claris gestis, magnificaque opinio.* Beata itaque Virgo, ut majori cum honore tantâ maternitatis ipsius Dei gauderet dignitate, opitulante divinâ gratiâ suis operibus eam promeruit, teste August. *Talis eligitur Virgo de toto mundo, quæ tantum haberet meritum, ut filium Dei in semetipsa susciperet.* Cui omnes concinunt SS. PP. Chrysost. ait: *Beata mater ultra omnem humanæ naturæ modum, modestiam, ut temperantiam excoluit & ob id universorum Dominum in utero gestare promeruit.* Hieron. *Tanta puritatis Maria extitit, ut mereretur effici Mater Dei.* Dam. *Adinstar cæli plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium ac templum.* Ideòque etiam cantat Venantius Fortunatus.

Bernard. — Cicer. apud Thes. linguæ latinæ. — August. serm. 10. de Nat. Domini. — Chrysost. de Christ. præs. — Hier. epist. ad Eustoch. — Dam. ser. de nativ. Virg.

Virginitas fœlix, quæ partu est digna tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

S. Thom.

Et Doctor Angelicus Divus Thom. disertè idem confirmat his verbis: *Ex gratia sibi data, meruit illum sanctitatis gradum, ut congruè posset esse Mater Dei, ad quod sanè nullus umquam pertingere valuit, nisi sola beata Virgo. Quia, cum à Deo prælecta esset in unigeniti sui matrem, & unicuique largiatur Deus gratiam, accommodatam statui & muneri suo, consequens est,* tot cœlestis divinæ gratiæ charismatibus illam locupletasse, quod opus erat ad hoc, ut si *non de condigno, saltem de congruo, Matris Dei dignitatem, & per consequens in elevatissimo illo, ac supremo gratiæ unionis hypostaticæ ordine, immediatè post Christum collocari promereret.* Ex quibus Thomæ verbis rectè eruitur maternitatem Dei cunctas Mariæ Virginis perfectiones, & prærogativas includere, & ex ea illius sanctitatem & magnitudinem posse colligi, sicut ex ungue leonem. Ac proinde quòd satis sit in Marianas laudes dicere: *De qua natus est Iesus.* Quod idem argumentum egregiè prosequitur S. Thomas à Villa Nova: *Fuit Christus Matri simillimus super omnes filios, ut sicut cælo qualis pater, talis filius, ita in terra qualis mater, talis filius. Cum itaque mores & proprietates matris in filium transfunduntur, talis debuit esse mater illa, ex qua forma illa cœlestis & idæa mundi, speculum illud lucidissimum, in quo omnes respicerent; pulchritudo illa, quam omnes mirari debent, oriri & procedere debuit. Si Ioannes Baptista propter solum testimonium, quod de Christo redditurus erat, ita perfectus fuit: Virgo mater, quæ cum sibi similem genitura erat, & mores, & vitam in eum debebat transfundere, qualis esse debuit? Nolo ergo, ut de cætero labores, & mihi Virginem per singulas ejus virtutes describas, & gratias, & excellentias sigillatim exaggeres & magnifices: ad omnem enim excellentiam, & magnitudinem unicum hoc thematis elogium sufficit, de qua natus est Iesus.*

Th. à Villa-Nova conc. 3. de nativ. Virg.

Hoc ut confirmem, operæ pretium est diversum Evangelistarum de Deipara Maria Virgine loquendi modum diligenter perscrutari. Mirum enim est, quod Matthæus & Lucas tam diversimode de ea disserant. Etenim ille, enarratâ Mariæ genealogiâ, recensitisque ejus antecessoribus, & progenitoribus in laudibus Virginis decantandis, omninò sterilis, nihil aliud dicit, quam *de qua natus est Iesus.* Hic verò solemnem illam SSS. Trinitatis ad Mariam per Angelum Gabrielem signanter exprimit legationem, & nativitatis ejus locum, desponsationem, atque virginitatem eximiam declarat: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo David, & nomen Virginis Maria.* Deinde ejus enarrate incipit encomia, illam-

Matth. c. 1. v. 16.

que

que omni perfectione & virtute decoratam esse apertissimè confitetur. *Et ingressus Angelus ad eam dixit, Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Nec hic sistit divinus Mariæ Virginis encomiastes, verùm eam in sacrosanctum totius SSS. Trinitatis triclinium, & sanctuarium electam fore dicit: *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Cur quæso Lucas tam disertus omnes illas, Mariæ Virginis in medium profert qualitates, & eas Matth. tam taciturnus altissimo premit silentio? Hoc enim in admirabili hoc Incarnationis mysterio non sine mysterio factum esse autumo. Ad quod dignoscendum.

Luc. c. 10. v. 27.

Necesse est lepidam quamdam nobis à Plin. enarratam commemorare historiolam. Refert is, quod quodam tempore duo celeberrimi & famosissimi pictores, Antorides & Euphranor in publica academia inter sese certaverint, quisnam exactius & artificiosius cæli firmamentum depingeret? Cujus decisionem in hac arte peritorum judicio committebant. Euphranor omnes ingenii sui exeruit vires, ut enucleatè omnia cæli ornamenta delinearet, ideòque illud cum linea æquinoctiali, cum zodiaco, omnibus illius signis, cum polo arctico, & antarctico, ursa majori & minori, suis epiciclis extrinsecis, stellis & planetis artificioso suo penicillo vivis & exquisitis coloribus efformavit. Antorides verò planetarum & stellarum ornamento omisso, tantummodò sydus syderum, & lumen luminum solem, tamquam omnis ornatus compendium, in eo miro artificio depinxit. Obquod cum ab Euphranore palmam prætendente argueretur, ab eoque peteretur, cur firmamentum absque suis luminaribus delineasset? subridens respondit: *Ego cælum diei, tu noctis depinxisti*, ac si diceret, ô Euphranor? sicut de nocte solis tamquam vicaria cætera elucent lumina, ita sole apparente, lucem suam retrahunt, & obfuscantur lumine majori: ac proinde optimè firmamentum sole tantummodò ornatum, depinxi, quia hic omne planè lumen in se comprehendit.

Sic duo hi Evangelistæ Luc. & Matth. tamquam duo exacti pictores splendidissimum illud cælum Mariam Virginem, de qua Dam. *Cælum & sedes Dei est Virgo*, descripserunt. Etenim Luc. illam cælum noctis depinxit, quia dum ad eam è cælo legatus emissus cœlestis paranymphus Gabriel, illius prærogativas & gratiæ plenitudinem deprædicabat, adhuc Virgo cælum noctis erat, quia nondum radiantem illum justitiæ solem, Christum Jesum conceperat; ideòque illud perfectionum, ac divinarum benedictionum stellis ornare debebat. Verùm Matth. Mariam cælum diei delineavit, quia Maria tum Mater Dei effecta erat, & verum illum solem, mundum illuminantem universum, pepererat: *de qua natus est Jesus*, & ob hoc, relictis virtutum & perfectionum stellis, mystico nostro firmamento solem dumtaxat maternitatis divinæ adscripsit, quia hæc omnem planè, etiam conceptibilem eminentiam in se continet, ut testatur S. Thomas à Villa-Nova: *Sancti Evangelistæ in ejus laudibus silent, quoniam ineffabilis est ejus magnitudo, satis fuit de ea dicere, de qua natus est Jesus.* Et elegantiùs infra: *Omnia collecta sunt, cùm dictum est, ex ea natum fuisse Christum sufficit ad ejus plenam historiam, quod scriptum erat, pars scribenda non fuit.* Bernardus verò Evangelistarum silentium digni tati Mariæ minimè efficere, disertè asserit, quia sicut sol omnem planè lucem, sic Dei maternitas omnem cœlestem excludit gratiam. Audite divina ejus verba: *Sicut divinæ perfectiones omni intellectui incomprehensibiles sunt, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo accepit in conceptione filii Dei, soli intellectui divino, & Christo, & sibi comprehensibiles extiterunt. Et quidem, quod Deus generarit Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret verbum, per omnia sibi æquale. Imò impossibile est, quòd non generet Deum propter suam fœcunditatem. Sed quòd fœmina conciperet & pareret Dominum, est & fuit miraculum miraculorum; opportuit enim (ut sic dicam) fœminam elevari ad quamdam quasi æqualitatem divinam, per quamdam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam creatura nunquam experta est, unde (ut credo) ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in Beatam Virginem descenderunt in hora divinæ Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuit attingere.* Quod satis constat ex mysterioso in sua legatione Archangeli Gabrielis agendi modo.

Damian.

Loc. citat.

Bern. ser. 61. de B. Virg.

Numquam annotastis, ô Auditores! subitaneum, quem scriptura exprimit illius legati à Maria discessum? dum enim ipse illius in Verbi incarnationem expressum intellexisset consensum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, confestim ad cœleste reversus est regnum, *& discessit Angelus ab ea.* O stupendum factum! ô admirabile

mirabile mysterium! quid agis, ô cœlestis Paranymphe? Ecce Virgo illa, quam tantopere laudatam, & gratia plenam denunciasti, Mater Dei effecta, & cæli, terræque constituta est regina, cur quæso ei de tanta dignitate, atque eminentia non congratularis? Cur ejus non deprædicas gloriam, & majestatem? Cur Angelorum Dominæ ad nimiùm non valedicis? Cur fœlicem tantæ prolis ei non exoptas partum? Cur obtumescis, & ut apparet, inciviliter discedis à Virgine? Ah ô Auditores, Angelicus intellectus tam fulgidis divinæ maternitatis radiis obfuscatur, & obnubilatur, tantam ipsius comprehendere non valens dignitatem. Lingua hebescit, & palato adhæret, nec ausa est in sublimis hujus creaturæ, ad inconceptibilem jam elevatæ magnificentiam, encomia excurrere. Quia illa hâc nullatenus depromi possunt. Idcircò hic quasi mutus, mentisque impos effectus, taciturnus discessit, intrinsecè & mentaliter cum Andræa Carnotensi dicens: *Quia magnitudo gloria tua nec discerni potest, nec intelligi, honoretur silentio.* — *Loc. citat.* — *Bern. ser. 61. de B. Virg.*

Mirum Augusti Imperatoris in excolenda falsa Dea Junone studium veteres referunt historiæ. Etenim hic, cum insigni contra Marcum Antonium partâ victoriâ, inæstimabilem quemdam adamantem, qui Cleopatræ reginæ in corporis sui ornamentum deservierat, sibi comparasset, in summam Junonis reverentiam hunc (cæteris membris pretiosis unionibus abundanter decoratis) capiti ejus imaginis inseri curavit, eumque in hostiam simul & ornamentum consecravit. Haud aliter cum verissima nostra Junone Maria sese gessit supremus ille Imperator Deus, ipse enim mirificus illius existens excultor, distributis cæteris Sanctis per partem cœlestibus gratiæ suæ unionibus in animæ ornamenta, concessaque huic Martyrii, alteri virginitatis, illi prophetiæ, illi Apostolatus prærogativâ, totam Mariæ infudit gratiæ plenitudinem. Cumque tamen tam nobilem hac nondum perfectè adornatam fore intueretur imaginem, pretiosissimum & inæstimabilem, longè Cleopatræ præeminentem, capiti illius imposuit, unionem, scilicet divinam maternitatem cum virginitate conjunctam, quæ omnis Mariani spiritualis ornamenti fuit compendium. Unio enim splendidissimus sufficienter hanc Virginem adornat Verbum Incarnatum, Christus Dominus; hinc si antiqui regiam hieroglyphicè declarare volentes claritatem, atque nobilitatem, mulierem quamdam, ut ait Pier. sicut in antiquissimis Ægyptiorum reperitur monumentis, tribus regiis — *Pier. l. 41.* caput insignitam depingebant. Quod emblema in honorem nobilissimæ Regis Simandii matris allatum fuit, ut hoc significaretur eam, Regis filiam, Regis uxorem, & Regis matrem esse; quod idem post Mariæ Austriacæ Imperatrici, Imperatoris conjugi, filiæ, & matri fuit consecratum, quid ni & ego Mariæ nobilitatem, & excellentiam à divina expiscabor maternitate, quæ triplici corona cœlestem nostram Imperatricem adornat? est enim supremi Dei Regis filia, sponsa & mater, quod ad extremum illam extollit.

Doctissimus Berchorius ridiculam narrat de Æsculapio historiam, quamvis forsitan fabulosam, quem solis filium esse antiqui effinxerunt Poetæ. Scilicet, quod ipse quodam tempore cernens pastorem in agro corona ex cinnamomi foliis contexta redimitum, quem ei à sole contra quodlibet venenum datam esse autumabant, cum basilisco dimicantem, animadverterit mirabilem horum foliorum virtutem; ipse enim corona capiti illius insistente, basilisci victor evadebat, quando verò hæc de capite ejus cadebat, basiliscus subitò Æsculapio prævalebat. Verùm eâ reassumptâ, capitique impositâ, illum rursus superabat. Quod de Æsculapio dicit Berchorius, verè an fictè nescio, & quod de eo fabulati sunt Poetæ, verissimè Mariæ Virgini possum appropriare. Ipsa enim, tamquam solis æterni electa è millibus filia, & simul illius sponsa, & mater, in hac terra contra diabolum, calcaneo ejus insidiantem, præliatura, ab eo mirificam maternitatis recepit coronam (nisi enim Mater Dei fuisset, indubiè devicta occubuisset, ac maculam originalis noxæ incurrisset) quâ circumornata infernalem basiliscum prostravit, fœtuque suo potentissimum hunc hostem, in generis humani emolumentum dejecit. Ad quam victoriam anhelabant Patres in limbo clamantes *aperiatur terra,* id est, appareat benedicta illa Virgo Maria, *& germinet Salvatorem.* Virgo mater fiat, ut oculi nostri desideratum tandem aliquando conspiciant bonum, nempè humanæ naturæ reparationem.

Inter varia Jobi Prophetæ lamenta, hoc hîc observatu dignum est, registratum cap. 9. ubi de vitæ suæ brevitate litteraliter conquerens dicit: *Dies mei fugerunt bonum, & non viderunt bonum,* & post velocitatem dierum enarrans ait: *Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* Sed quid ais ô Propheta? Potesne dicere oculos tuos nihil boni vidisse? An forte nescis te opimam armentorum possessionē habuisse? — *Iob cap. 9. v. 3.* — *Ibidem.*

Ut testatur ipsa veritas Spiritus S. *Fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, quinquaginta quoque juga boum, & quinquaginta asinæ atque familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* Deinde nonnè oculi tui cælum & terram contemplati sunt, cæterasque creaturas? Quarum bonitatem clarè satis de-
Gen. c. 1. clarat Scriptura: *Viditque Deus cuncta, quæ fece-*
v. 31. *rat, & erant valdè bona*; quomodò itaque ais, *dies mei non viderunt bonum?* Ah Job in aliud bonum, quod prophetico spiritu è cælo dimittendum prævidebat, mentis oculos conjiciebat, de
Matth. c. quo ait Christus per Matthæum: *Amen quippe*
13. v. 16. *dico vobis, quia multi Prophetæ, & justi cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Anhelabat enim totum humanum genus ad unam offensi Dei pacificatricem, ad benedictam pro solatio & sublevamine clamabat terram Mariam, quæ divinâ maternitate digna, mundi germinaret Salvatorem, de quo dicit Hieron. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et hujus boni carentiam deplorantes Prophetæ, exclamabant: *Dies nostri pertransierunt, sicut naves poma portantes.* Et benè inquit Gregor. quia qui poma deferentes maria transeunt, ipsi quidem fructuum odorem habent, sed eos in aliorum fruitionem deferunt: sic Patri-
Isaia c. 7. archæ & Prophetæ sciebant profuturam aliquan-
v. 14. do Virginem, quæ pareret filium: *Virgo concipiet, & pariet filium,* benedictum sanè fructum, nobis in angelico Eucharistiæ cibo indies degustandum. Concludo itaque maternitatem Mariæ omnis boni originalem fontem & primam originem fore. Ideòque eam ad *non plus ultra* extolli, dum hoc magnifico honoratur elogio, *de qua natus est Iesus.* Unde potest meritò puerpera Maria universum ad præsepe convocare mundum, & di-
Exod. c. 33. cere illa Dei ad Moysem verba: *Ego ostendam ti-*
v. 19. *bi omne bonum*, scilicet Deum humanâ carne vestitum.

Gellius doctissimus scriptor narrat Flaviæ paupérculæ mulieri à quodam satyrico, filio suo è vili conditione ad consulatum evecto, improperatum fuisse abjectum illius ortum, & prosapiæ ignorabilitatem his verbis: *Concurrite omnes augures, & aruspices, portentum inusitatum conflatum est recens, nam mulos qui fricabat, consul factus est.* Quo patienter tollerato, Flavia modestè respondit: *Consulatus dignitas natalium obscuritatem tollit.* Quod si Mariæ nobilissimæ creaturæ, tam in virtute & perfectione, quàm in progenie, utpote è sacerdotali atque regio stemmate oriundæ, exhibeatur in ejus laudem tam animæ, quàm corporis nobilitas, ei tamen abjecta objiciatur ratio creaturæ, ipsa adinstar alterius Flaviæ, has omnes quasi respuens dotes, ac qualitates, ad improperium respondebit & exclamabit: *Maternitatis Dei dignitas, cætera in me obfuscat*: hæc enim tamquam splendidissimus sol aliorum astrorum, id est virtutum fugat lumina, & ignobilitatem obfuscat creaturæ, quia mediante illa Maria quasi Dea efficitur, unde quidam Modernus eam sic dicentem introducit: *Sistite præcones mearum laudum, sistite, & in me solum divinam maternitatem vestris vocibus extollite.* Ac proinde Maria dictum Philippi oratoris encomiastis confirmat: *Hoc unum in tuam laudem dixisse sufficiat filium te habuisse Alexandrum.* Ipsa enim rectissimè potest dicere: *Hoc unum in meam laudem dixisse sufficiat, me filium habuisse Deum.* Quia, ut rectè ait Cellensis: *Si cæli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quàm ore excogitatum protuleris, non assurget ad hunc indicibilem honorem, quo creditur, & prædicatur esse Mater Dei.*

Certum est ex prudentis æstimatione minori, vel majori, res aliqua tanti, vel tanti caloris dicitur. Vis itaque, ô homo, dignoscere quanti pretii, & valoris divina Mariæ Virginis sit maternitas? sagaciter mentis tuæ oculis inspice quanti ab ipsomet Christo, infinita æterni Patris sapientia, existimetur, quod ut expiscemur, operæ pretium est initium cap. 1. Matth. Evangelistæ parumper perscrutari. Hic enim desiderans debitè Christi genealogiam componere, ejusque ad amussim enarrare prosapiam, incipit his verbis: *Liber generationis Iesu Christi.* Ubi curiosè annotandum occurrit, vocabulum *generationis.* Etenim, cum Christus ex Sacerdotibus, & Regibus per plurimas descenderit generationes, dicere debebat Evangelista, *Liber generationum Iesu Christi,* in plurali, & non *generationis* in singulari: & præsertim, quandoquidem hoc ad exactam, & præcisam genealogiam omninò necessarium videatur. Cur ergo, ô Matthæe, tuæ non satisfacis obligationi?

Ad hanc difficultatem enodandam advertendum est illud, quod Spiritus S. dicit de illo potentissimo belli fulmine Alexandro Magno lib. 1. Machab. cap. 1. *Et factum est, postquam percus-*
sit Alexander Philippi Macedo, qui primus regna- Machab. c.
vit in Græcia, egressus de terra Chetin, Darium Re- 1. vers. 1.
gem Persarum, & Medorum, constituit prælia mul- 2 & 3.

ta, &

tæ, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ, & pertransiit usque ad fines terræ, & accepit spolia multa multitudinis gentium, & siluit terra in conspectu ejus. Sed quomodò potest veraciter dici, quod terra siluerit in conspectu ejus? cum armorum fragore, & tympanarum sono, atque tubarum clangore totum mundum impleverit. Sicque nulla quiete illa gavisa fuerit, sed continuis motibus concussa. Nec dicatur cunctos tandem Alexandri hostes armis illius subactos fuisse, constat enim ex variis historiographis ipsum usque ad finem vitæ arma contrectasse, continuaque bella contrà diversos gessisse. Quomodò itaque hæc scriptura, quæ tamen infallibilis est, veritati consonat? optimè sanè: *siluit terra in conspectu ejus*; quia antequam strenuus bellator hic Monarcha Alexander in hunc mundum venisset, terra admirata decantabat Cyri Regis potentiam, Nani magnificentiam, Xerxis generositatem, Cæsaris victorias, Achillis fortitudinem, Ulissis astutiam, & Hectoris, aliorumque potentissimorum belli ducum heroica facta: sed dum terra obstupefacta Alexandri victorias, prælia, gloriam, generosaque illius gesta contemplabatur, obmutuit, aliorumque ducum gloria, & laudes quasi evanuerunt. Quia itaque gloria Alexandri nimio suo lumine cætera lumina obfuscabat: idcircò ait scriptura *siluit terra in conspectu ejus.*

Sic, antequam Maria Virgo, æterni Patris filii effecta mater, tanto illustrata lumine, in mundo comparuisset, scriptura deprædicabat nobilem Abrahæ, Isaac, & Jacob, atque Noë stirpem, multùmque diversas extollebat generationes: *Hæ sunt generationes Noe, hæ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham & Iaphet, hæ sunt generationes Ismael, hæ sunt generationes Esau, hæ sunt generationes Aaron, hæ sunt generationes Thare*: Verùm dum hæc gloriosa peracta fuit generatio, omnis aliarum generationum gloria, magnificentia, & nobilitas quasi in fumum abiit. Noluit ergò Christus, ut Evangelista Matth. τὸ *generationes* uteretur, tanti æstimans unius Mariæ maternitatem, ut ea sola perfectissimè suam genealogiam exprimi, seseque summoperè extolli confiteatur. Et idcircò ipse à Maria, quæ mirabilis est liber generationis, incepit, quia hæc, tamquam sol cætera lumina omninò obfuscat. Benè itaque ait in singulari *generationis*, in hac enim summa tam matris, quàm filii consistit gloria, & dignitas.

Gen. c. 6. vers. 9. Gen. c. 10. vers. 1. Gen. c. 11. vers. 27. Gen. c. 25. vers. 12. Gen. c. 36. vers. 1. Num. 3. vers. 1.

Verùm ulteriùs breviter unica adhuc confirmatione stabiliamus, quantæ in oculis Christi æstimationis sit Mariæ maternitas. Audeo sanè dicere tantæ, ut illam (ut ita dicam) tanti æstimaverit, quanti ipsam paternitatem divinam. Ad hoc dilucidè probandum, operæ pretium est aliqua scripturæ loca parumper ruminare. Pater æternus hunc hominem Deum incarnatum, ad summam illius gloriam, suum unigenitum fore protestatur filium, sibique per omnia consubstantialem. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Nullum tamen prorsus Christus divinæ istius filiationis & tantæ paternitatis declarationis exhibet alicujus lætitiæ signum. Deinde à dæmoniaco Marci c. 1. Dei filius denunciatur dicente: *Scio, qui sis sanctus Dei* Sed ecce ob hæc præconia irascitur, illique silentium indicit: *Obmutesce.* Imò dum suam ostendit divinitatem, & maximè in quatriduani mortui Lazari resuscitatione, quàm plurimæ internæ mæstitiæ non exigua demonstravit indicia. Etenim vehementer *turbavit semetipsum*, oculos elevavit ad cœlos, *fremuit spiritu, & illachrymatus est.* Et tamen, cùm ad crudelissimam suam passionem & ignominiosam mortem iter arripiebat ait Apostolus, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Et Matth. *Hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Hic indubiè mecum obstupesces Lector, quia ingenuè fateor, me nec scintillam quidem hujus mysterii, sub hoc Christi actu absconditi, expiscari posse. Etenim, si in cruce mori sit maximè abjectum & infame juxtà illud Deut. *Maledictus, qui pendet in ligno*, è contrà verò filius æterni Patris intitulari, & mirabilia summa cum potentia perpetrare miracula, sit summopere gloriosum, cur istic tristitiæ, & illic lætitiæ evidens perhibet testimonium.

Matt. c. 17. vers. 5. Marci c. 1. vers. 25. Ioan. c. 11. vers. 38. Ad Heb. c. 12 vers. 2. Matth. c. 26. v. 30. Deu. c. 21. vers. 23.

Ad hoc meminisse oportet pulchræ cujusdam, quam in antiquis historiographis reperimus de Alexandro Magno, historiolæ. Huic, cum adulatores (quibus Regum & Principum ordinariè scatent aulæ) ad fastum ejus magis accendendum, persuaserant illum non fore filium mortalis matris Olympiæ, nec ab ea progenitum, sed ab ipsomet supremo Deo Jove procreatum. Ipse iis nec quidquam respondit, sed ob singularem, & eximium, quem matri deferebat respectum, subticuit. Verùm, cum post in ardua contrà quosdam hostes expeditione, cruentaque pugna graviter sauciatus, abundantem è corpore effluere conspiceret sanguinem, subridens dixit: *Omnes me filium Iovis esse prædicant, sed vulnus istud me mortalem esse dicit. Gaudeo tamen propter certitudinem matris.* Ac si dice-

diceret, tanti æstimo me mortalem à mortali, tantâ matre, qualis est Olympia, esse productum, quàm si ab ipso Jove forem genitus. Tanti enim illius, quanti hujus facio filiationem.

Haud aliter contigit Christo Domino; Pater æternus illum summi Jovis filium unigenitum declarabat: *hic est filius meus dilectus*, mirabilia, atque stupenda ejus opera idipsum efficaciter comprobabant, & eum ab immortali esse progenitum evidenter propalabant, tamen ad hæc modestè subricuit, imò & ingemuit; sed cum in terribili illa, contra furibundos hostes Judæos, imò contrà totum infernum, & cunctas diabolicas potestates, expeditione, tremendo illo in monte Calvariæ animosè inito prælio, copiosum è sauciato corpore sanguinem emanantem cerneret, summo repletus est gaudio, exclamavitque adinstar alterius Alexandri magni: *Pater æternus, clamans hic est filius meus dilectus, opera mea, & insolita prodigia, me filium supremi Iovis Dei existere asserunt: verùm hic sanguis, quem fundo me mortalem, & verum dilectæ genitricis Mariæ filium proclamat, gaudeo propter matrem.* Tanti enim illius temporalis maternitatis, & filiationis, quanti facio æternæ ipsius paternitatis relationem. Ita apposite id explicat Idelphonsus dicens: *Vt te veram matrem ostenderet, se verum filium patiens tormenta, demonstravit.*

Luc. c. 11. vers. 15. Hujus ampliorem probam sanè non vituperandam habemus Luc. 11. ubi refertur, quomodò invidi & contumaces Pharisæi, stridentes dentibus, Christi miracula sustinêre non valentes, ipsi dæmoniacum liberanti contumeliosè improperaverint: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Sed ecce benignus Dominus, fundamentaliter rejectâ absurdâ eorum contumelia non Patrem æternum deprecatur, ut dato de cælo signo, aut edita viva voce, potentiam suam divinam fore, & Dei omnimodè æqualem declaret: sed pauperculam internè commovet, & excitat mulierculam Marcillam, ut eum Mariæ testetur esse filium. *Et extollens vocem quædam mulier de turba, dixit, Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ, suxisti.* Sed quid agis, ô pie Domine? opus hic erat, ad pertinaces hos Hebræos publicè confundendos, Filiationis divinæ evidens edere testimonium, ac indicium. Cur itaque cum tanto paternitatis divinæ, & tui ipsius præjudicio te filium mortalis fæminæ denunciari procuras Mariæ? ah! quid ad hoc respondere aliud potest Christus? nisi, hæc, quæ in omnium conspectu inaudita patro miracula, apertè satis me filium Dei fore probant, ut, viso terræ motu, petris scissis, sole obscurato, totaque mundi machina communem comminante interitum, confessus est Centurio: *Verè filius Dei erat iste.* Idcircò volo, ut Maria mea declaretur mater, & ego ejus filius. Hanc enim maternitatem æqualiter æstimo, ac ipsammet divinam paternitatem. Ita ad nostrum propositum concinnè hoc declarat doctissimus Pont-ferrariensis: *Etsi temporis oportunitas postularet, ut Dei manifestaretur filius, tamen matris venter, è quo prodiit, laudibus extollitur. Benignissimus ac amantissimus id fecit filius, qui mavult paternitatem divinam celare, quàm temporalem maternitatem.* Pont. fer. in hunc loc.

Nec id ego umquam demiror, omnis enim Christi gloria in hac maternitate, & filiatione consistit, quia per illam insigni contra dæmonem potitus est gloria. Ipse enim Christus humanitate ab hac matre acceptâ, infernalem hostem decepit, sicut coluber nomine Enhydros Crocodilum. De hoc enim narrant naturalistæ, quod ipse, cum à Crocodilo innato odio, & naturali antipathia hostiliter inquiritur, suæ studens saluti, caute illum deludit; annotans enim eum in pascuis delicatis herbis famelicum stomachum saturantem, sub herbis sese abscondit, ut ab eo simul cum illis gulosè satis pascente absorbeatur. Sed quis quæso absorptum Enhydros cernens, non diceret eum opimam Crocodilo remanere prædam? quilibet sanè id judicaret. At contrà accidit, Enhydros enim vivus in Crocodili corpore existens, ejus intestina corrodit, & nobiles partes consumit, quo enecato, salvus ex illo egreditur. Sic infernalis ille Crocodilus, malignus spiritus delusus est à prudente illo colubro Christo Jesu. Cum enim ipse delicatissimæ hujus humanitatis herbæ inescatus, ignarus, quòd sub illa delitesceret ipsa divinitas, quam carne subtexerat Maria mater, illum deglutivit, & quamvis triumphare præsumeret, proprio suo damno tandem commissum cognovit errorem. Nam Christus, morte devicta, diabolo prostrato, ipsemet gloriosus triumphavit, & ipsimet morti prædam, non exiguam eripuit, ut rectè annotat Eusebius Emissenus. *Mortis iniquitas, inquit, quæ tamquam hominem vincere gaudebat, expavit subitò prædam suam, & in suo regno, & à suo, ut putabat debitore, constricta est à suo condemnata reo, à suo subjugata est captivo. Ideo suis laqueis illigata, & irretita, dum deciperet, sublata est, cum devoraret, absumpta est.* Ecce Christus mediante humanitate, quam à matre Maria accepit, victor hostium evasit. Euseb. Emiss. hom. 6. pasch.

evasit. Quid itaque mirum, si tanti ejus æstimet maternitatem.

O mirifica Mariæ excellentia! ô ineffabilis dignitas! de hac enim natus est Jesus. Hoc splendidissimum jubar Maria omninò meos imbecillis ingenii obnubilat oculos, hi lucidissimi radii ad terram illos deflectere, & te ô stellatum, omnique luce, solis, & lunæ decoratum firmamentum, ô pia Domina! amplius intueri non permittit: nec ulteriùs in tuas meus defatigata excurrere ullatenus valet laudes, cogorque calamum cohibere, & linguam. Verùm ne fortè nimiùm inciviliter à tuis, ô piissima Domina, abstineam præconiis: quodnam pro coronide aræ appendam honorificum elogium.

Apud veteres consuetudo invaluit, ut illustrium virorum sepulchra ingeniosis epitaphiis, ac subtilibus dictis adornarentur. Sic refert Plut. sepulchro invicti istius Monarchæ Alexandri Magni insculptum fuisse curiosum emblema de devicta Asia & Europa, cui adjuncta erat hæc epigraphes, *Alexandri victoria*. Cyrus quoque Rex potentissimus suo varias contra hostes reportatas victorias imprimi jusserat, suumque epitaphium hoc adornarat dicto: *Hic jacet Persarum Debellator*. Famosi etiam Atheniensium Legislatoris Themistoclis sepulchrali lapidi artificiosè insculpta visebantur præcipua ejus facinora, atque heroica facta, additaque erant hæc verba: *Memoranda Themistoclis facta*. Denique, ut narrant diversi Rabini, Josue Israëlitarum Ducis effigiei impressa erat imago solis, cum hac epigraphe, *Sol contrà Gabaon ne movearis*. Sed quid ego illustri illi Dominæ, Reginæ cœli & terræ adscribam elogii, & encomii? sanè anxius hæreo. Fateor, ô Maria Virgo excellentissima! tibi quàm optimè omnia præfatorum magnatum conveniunt præconia. Tu enim, ut alter Alexander Magnus, non Asiam, & Europam, visibiles hostes, sed cœlum & terram, & inimicos invisibiles devicisti; itaque jure merito epigraphen Alexandri aræ tuæ appendere possem: *Maria victoria*: Tu, non ut Cyrus Persarum debellasti Regem, sed omnes tenebrarum principatus & potestates generosè domuisti, diabolumque pedibus tuis contrivisti; tibi itaque convenit, ô Maria! hoc elogium *Bellatrix dæmonum*. Tu longè alia (ut suprà diversis in locis demonstratum est) quàm Themistocles gessisti heroica facinora: mirabilis enim est potentia tua, ideòque & ea justè aræ tuæ in ornamentum adjungi possunt verba: *Miranda Maria facta*. Tu profectò, nec in potentia uni Josue minimè cedere debes; si namque ipse in solem ratâ gavisus fuerit potentiâ & virtute, tu solem illum æternum Christum Jesum in mundum produxisti: tu solis hujus intensos justitiæ ardores potenter mitigasti: tu, ut Josue, cùm justitia motum contrà peccatores prætenderet, non tantùm tuis precibus, sed etiam absolutâ tuâ potentiâ eam cohibuisti, & confidenter ad filium clamasti: *O justitia! contrà Gabaon, contrà reum mundum, & peccatores, ne movearis*: Siste impetum, & furorem. Et ecce tuæ obediens voluntati dicit: *Fiat tibi mater, sicut vis*. Omnes itaque hos, ô piissima Domina! titulos, & cuncta, quæ in præcedentibus produxi encomia, optimè convenire confiteor. Sed & hoc addo, omnia illa, nec scintillam quidem, eminentiæ tuæ deprompsisse. Quidquid enim dicatur, exclamare cogimur, tam cum pictore Aristocle, depicto cælo, *pulchriora latent*, quàm cum sapiente: *Multa abscondita sunt majora his, pauca enim vidimus operum tuorum*. Quid itaque, ô Domina! pro præcipuo tibi offeram elogio? nullum aliud sanè, quàm illud Matth. *de qua natus est Iesus*. Hoc est omnium perfectionum tuarum compendium, & discursuum meorum epilogus. Si enim jam à me peteretur (ut de manna inter sese Hebræi. *Manhu quid est hoc?* quid est Maria? non dicam est sol, est luna, est totius lumen universi, est imago divinæ bonitatis, &c. sed tantummodò Maria est, *de qua natus est Iesus*. Hoc enim tibi devotissimus tuus, ô Maria, offert famulus mellifluus Doctor Bernard. dicens: *Ipsa est Virginis nostra singularis gloria, & excellens prærogativa Mariæ, quòd unum, eumdemque filium cum Deo Patre meruerit habere communem*. Cui concinit Eusebius, Mariæ dignitatem, atque eminentiam à tanti filii partu colligens. *Quæritis fortasse qualis mater? quærite potius, qualis filius*. Ac si diceret, si filii Dei hominis assequi possis micam, aut scintillam celsitudinis, ex hoc, sicut ex ungue leonem, quæ, & quanta sit mater dignosces.

Bern. ser. 2. de Nat. Virg.

Finio hanc primam partem, ô Domina, (fortè animum pro secunda, si hæc grata sit brevi resumpturus) & ab ulteriori tua laude decantanda abstineo. Majori cum fundamento mihi imaginari possum illud quod sibi S. Bernard. dicens: *Non est quod me magis delectet, non est, quod magis terreat, quàm de Virginis gloria sermonem habere*. Et si ipse absolutè quidquam digni, aut congrui in gratiam tuam proferre, suo diffidat divino ingenio: quid meo imbecilli, & prorsus nulli confidam? audi, ô Domina, quid dicat, quod & ego cum

Bern. ser. 4. de Assu.

Bern. sup. Missus. cum illo dico: *Licet de Maria loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili eo ipso, quod dici potuit, minùs gratum est, minùs placet, minùs acceptatur. Quanam enim poterit lingua, etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem matrem, non cujuscumque, sed Dei.*

Propheta David innumerabilia, quæ benignus Deus peccaminoso mundo ultrò concessit beneficia, in gratiarum animi mnemosynon depromere incipiens, ad eumdem laudandum & magnificandum, totum convocat universum, multasque
Psal. 71. Deo donat benedictiones Psal. 71. *Sit nomen ejus*
v. 17. 18. *benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen*
19. 20. *ejus. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.* Nec adhuc in laudes Domini ulteriùs excurrere desistit, verùm totus beneficiorum memoria inflammatus, pergit: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facis mirabilia solus: & benedictum nomen majestatis ejus in æternùm, & replebitur majestate ejus omnis terra: fiat fiat.* Sed ecce, ipse cernens Dei laudes, & eminentiam sese pro dignitate nequaquam posse promulgare, suam agnoscit imbecillitatem, & Psalm. fini apponit: *Defecerunt laudes David, filii Iesse.* Hoc idem potiori sanè jure confiteor, ô gloriosa Domina! tua temerariè præsumpsi (rursus repeto) deprædicare merita, perfectiones & gloriam, te matrem intitulavi misericordiæ: ostendi ubera tua meliora esse vino: ventrem tuum dixi fore eburneum, cujus virtute, accensa divinæ justitiæ fornax extinguitur: te omnium Sanctorum, etiam Martyrum, & super omnes Angelorum choros elevatam constitui Reginam: te immensum omnium cælestium gratiarum mare appellavi: te vivam bonitatis divinæ, Christoque filio tuo declaravi simillimam: tibi omnis luminis totius firmamenti attribui proprietates, & quidem indeficientis: te unicam è tota Adami stirpe electam fore, omnesque vias, & semitas tuas pacificas, & mundas à peccato, & quidem originali, fusè demonstravi: neutiquam subticui ingentem Creatoris sponsi, & filii tui ergà te amorem: te Dominam vocavi ipsiusmet Dei, & absolutè ipsius voluntatis directricem: tuam demiratus sum in cœlo, terra, & abyssis potentiam, & tuam in peccatoribus adjuvandis, & in asylum tuum recipiendis sedulam curam: te titulo humanæ naturæ reparatricis, & totius SS. Trinitatis exaltatricis honoravi elogio, atque varias sub variis metaphoris, ut olivæ, aquilæ, &c. decantavi laudes, & præconia: tandem pro coronide divinum tuum caput pretiosissimâ divinæ maternitatis coronâ insignivi.

Sed his omnibus finem impono cum Davide dicens: defecerunt laudes meæ, & cum Bernard. qui tuæ celsitudinis oppressus pondere in divina hæc prorumpit verba: *Si lingua centum resonarent, oraque centum, ferrea vox mihi, Maria nil dignum tibi dicere possum stella maris, quæ Virgo beata vocaris. O quàm te memorem Virgo? quibus laudibus efferam? elevata est magnificentia tua super cælos, & super omnem terram gloria tua, ita ut, nec in cælo inveniatur creatura, quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam, nec in terra sit, qui gloriam tuam exprimere valeat. Nemo etiam, nec in cælo, nec in terra inventus est dignus aperire librum prærogativarum tuarum, & dignus solvere septem signacula ejus. Plenitudinem gratiæ, adventum Spiritus S. in virtutis altissimi obumbrationem: Verbi conceptionem: quod sine gravamine gravida, sine dolore puerpera, Virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit viri divitiarum de civitate Domini virtutum? miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinem divitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt, quia investigabiles sunt viæ istæ, & inscrutabilia universa. Conati sunt, & non est datum ultrà.* Conatus sum, ô Maria! de tuis disserere encomiis, & laudibus, & non est mihi datum ultrà. Quia deficiunt laudes, & finio unicum cum eodem Bernard. expostulans ipsius verbis: *Revertere, visitans in nobis naturam humanam: Revertere ostendendo eam, quam in Christicolas habes charitatem tuam: Revertere per singularem in nos à Deo datam potestatem tuam. Revertere per eam, quæ tibi specialiter infusa est in plenitudine gratiæ, prærogativam tuam. Vt intueamur te largientem beneficia, conferentem remedia, medentem contritis corde, ponentem fortitudinem lugentibus Sion, dantem coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Ut tibi & filio hoc in æternum dedicare valeamus chronicum.

Bern. ser. 2. super Salve.

sIt ChrIsto & DIVæ MarIæ gLorIa.
Amen.

SERMO

SERMO PANEGYRICUS DE DILECTO FILIO JOANNE EVANGELISTA.

THEMA.

Vidit discipulum, quem diligebat Iesus sequentem. Joan. cap. 21.

ARGUMENTUM.

Ostenditur hujus Apostoli ex variis capitibus mirifica dignitas, & incomparabilis quasi sanctitas, & præcipuè ex Christi verbis, eum filium Mariæ matris denunciantis: *Mulier ecce filius tuus.* Et Mariam Joanni dantis: *Ecce mater tua.* Et ex scriptura: *Qui recubuit in cæna super pectus ejus.* Et *vidit discipulum, &c.*

DUm dilecti adoptivi Mariæ filii sanctitatem, prærogativas, ac præeminentiam attente inspicerem, meque ad tanti Apostoli laudes depromendas cernerem obligatum, ex uno vix egressus labyrintho in alium incidi. Nec minùs fermè me intricatum reperio, quàm dum immensum perfectionum Mariæ mare anxius ingrediebar. Unde si ibi in scyllas impingere verebar, hic carybdes timeo. Etenim si petenti à me, quid est Maria? respondere coactus fuerim, nescio quid sit; ejus namque celsitudo omnem superat intellectum: sic si à me quis rogaret, quid est Joannes Evangelista? nec minùs de eo dicere possum quàm nescio quid sit. Fundamentum hujus mei dicti non leve haurio ex illis Apostoli Petri verbis de Joanne, ut ex textu patet loquentis: *Hic autem quid?* dum enim Petrus dilectum illum Christi discipulum intuebatur sequentem, qui & recubuerat in cæna super pectus ejus, à Christo, quid de illo futurum foret petiit, dicens: *Domine hic autẽ quid?* ac si diceret, ô divina & infinita sapientia! tu, qui scrutaris renes & corda, tu, qui cuncta hominũ occulta cognoscis opera, & consilia, obsecro indica mihi, quid est Joannes? Hic obstupesco, mira enim, imò & stulta quasi mihi apparet Apostoli petitio: etenim dic mihi, ô Petre, an forte tu Joannem non cognoscis? nonne cum eo in dominico famulatu tanto tempore fuisti conversatus. Nonne eum in ultima Domini cœna super pectus illius decumbentem vidisti? cur itaque eum proprio nomine non appellas? profectò, quid ad hoc respondere potest Apostolus Petrus? sanè non nisi, ut Hebræi, qui omnem in manna cælesti diversorum ciborum saporem, & suavitatem, comperientes juxtà illud sapientiæ: *Paratum panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Et quod magis est: *deserviens uniuscujusque voluntati & ad quod quisque volebat convertebatur:* clamabant, *Manhu quid est hoc? nesciebant enim quid esset.* Nescio quid sit Joannes? etenim, si illum Apostolum intitulem, ejus nimis minutè indico magnitudinem. Si Evangelistam appellem, nec hoc elogio illius adæquo dignitatẽ. Si Doctoris utar vocabulo, nec adhuc cunctas ipsius perstringo prærogativas. Deniq; si uno illum conde-

Marginalia: *Joan. c. 21. vers. 22.* — *Sap. c. 6. vers. 2.*

condecorare audeam encomio, indubiè præeminentiæ illius super omnes Sanctos maximam erogo injuriam, etenim ipse omnia dona cælestia, omnes virtutes, omnes dignitates, & totius cæli in se comprehendit celsitudinem, omnemque in se includit hominum sanctitatem. Undè sicut Dam. de Maria Virgine dicit (ut suprà vidimus) quod omnipotens & benignus Deus cæteris Sanctis per partes suam distribuerit gratiam, & raras disperserit prærogativas, ipsi tamen infuderit totam gratiæ plenitudinem: ita & modò ausim dicere, quod Joanni, tanquam dilecto Mariæ filio omnem gratiæ eminentiam communicarit. Nec hoc ex meo effingo cerebro, sed id clarissimè attestatur S. Thom. à Villa nova, dicens: *Hic Apostolus, Propheta, Evangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doctor, Cognatus, Amicus, & si quid in Ecclesia dignitatis, & gratiæ est, totum perfectissimè possidet. Sublimatus est omni gratiâ & virtute decoratus. Quòd si aliorum quilibet uno solo titulo in Ecclesia Dei præclarus, & magnus est, quid de isto dicendum, qui simul omnibus pollet?*

Th. à Villa nova ser. de Ioan.

Quòd si ita est, quandoquidem in tanti sancti Joannis Evangelistæ laudes & præconia hodierno die excurrere cogor, subtili rursus celeberrimi pictoris Apellis utar stratagemate: qui, cum formosissimæ Helenæ Reginæ Trojæ effigiei ad vivum depingendæ manum admoveret, tanto ejus perculsus decore, ac facie venustate, eam retraxit, utque debito artificio picturam compleret, omnes omnium totius Græciæ formosarum puellarum dispersas pulchritudines Helenæ attribuit; sic ego inquam, omnes Sanctorum omnium perfectiones, virtutes, & cælestia dona Sancto nostro adscribam: ut ex iis pateat quantus, qualisque sit hæc suprà omnes Sanctos evolans aquila Joannes. Nec inconsultè; etenim, sicut Helenæ pulchritudo corporalis Apellem coëgit picturæ illius totius Græciæ filiarum adscribere venustatem, ita me vehementer instigat spiritualis animæ sancti Joannis eximia pulchritudo, illi omnem totius cælestis curiæ attribuere sanctitatem. Et ad hoc me quoque trahunt S. Thom. à Villa-nova encomiastica de illo verba: *Omnium dignitatum titulos, omnes gratias, & honores, quos per alios domus suæ famulos, & officiales sparsim divisit, in hoc uno plenius asservavit.* Hoc ostendere præsentis discursus est scopus. Ad quem, ut attingere queam, matrem ejus dilectam unanimiter rogitemus Mariã, ut per piam suam intercessionem mihi assistentem Spiritus S. impetret gratiam, & adjutorium. *Ave.*

Th. à Villa nova.

Vidit discipulum, quem diligebat Iesus.

AD exprimendam Joannis Evangelistæ sanctitatem, & eminentiam illa thematis mei jam citata abundanter sufficere deberent verba: *vidit discipulum, quem diligebat Iesus.* Quoniam mensura humanæ sanctitatis ex amore divino desumenda est juxta D. Thom. qui talem inter humanum, & divinum amorem reperiri asserit differentiam, quòd amor hominis in objecto amato præsupponat bonum, saltem ut apprehensum: Dei verò bonitatem in eo causet. Verba ejus sunt hæc: *Electio & dilectio aliter ordinantur in nobis, & in Deo: eò quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono praexistente incitamur ad diligendum, & ideo eligimus aliquem, quem diligamus: Et sic electio dilectionem præcedit in nobis; in Deo autem est è converso: nam voluntas ejus, quâ vult bonum alicui diligendo, est causa, quod illud bonum ab eo præ cæteris habeatur.* Ergò rectè infertur legitima hæc consequentia, sanctitas Joannis debet à Christi ergà eum amore, & dilectione commensurari: sub qua sic subsumo, atqui præ cæteris Apostolis, & Sanctis Joannes à Christo homine Deo fuit summopere dilectus: ergò & præ cæteris insigniori sanctitatis & excellentiæ coronâ meruit decorari. Subsumpti veritatem non tantùm clare demonstrat scriptura, quæ ubicumque ferme de Joanne incidit mentio, de singulari Christi aliquid intermiscet dilectione, ut patet ex cap. 13. Joan. *Erat ergò recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Undè & ab aliis discipulis per antonomasiam dilectus Christi dicebatur; verùm eam etiam eruunt Sacræ scripturæ interpretes ex eo, quòd in cæna super pectus Domini recubuerit, quod evidentissimum specialis amoris extitit indicium Hinc doctissimus Jansenius ait: *Cæterùm, cum omnes diligeret Dominus, Ioannem tamen eximiè & singulariter inter omnes dilexit, ita ut singularis & familiaris amoris exhiberet signa.* Concludo itaque finaliter, ergò Joannes cæteros Sanctos in perfectione antecellit.

D. Th. 1 p. q. 23. a. 4.

Ioan. c. 13. vers. 23.

Ians. in Evang. c. 132.

Sed hanc Joannis prærogativam lepidâ, quam nobis antiqui referunt historiographi, confirmare, aut ut melius dicam, dilucidare lubet, historiâ. Orta fuit quodam tempore inter Aristodemum Lacedemoniorum Regem, & Reginam suam uxorem Vafram controversia, quæ ob nimiam ejus uteri inflationem mota est. Rex enim suspicatus illam binam prolem, & forsitan masculam parituram, eam conjurabat, ut primo genitum ratione

regiæ

regiæ hæreditatis mox manifestaret: illa contrà (nesciunt ob quam causam authores) constanter reluctabatur. Aristodemus prægnantem, jamque partui vicinam ulteriùs urgere nolens, ab omni verborum acrimonia abstinuit, corde tacito primogenitum, etiam illâ invitâ, & insciâ, expiscandi ingeniosum præmeditans stratagema. Statuit enim tempore partus ostium paulisper perforare, ut ex parvulo facto foramine posset intueri, cui illa primò præberet ubera, indicans illum fore primogenitum, cui prima charitatis & amoris demonstrat insignia. Quod ei ad votum successit, cùm enim eam mammillis, manibus arreptum filium admoventem vidisset, in cubiculum insiliit clamitans: *Hic est primogenitus.* Illâ hac de re attonitâ, attamen nudam confitente veritatem, filius ille legitimus regni hæres proclamatus est.

Quòd si ego jam interrogater, quis in prærogativis cæteros excellat Sanctos? quis sit totius cælestis curiæ primogenitus? Aristodemi imitabor judicium, ac respondebo illum esse, cui Christus majora, & evidentiora amoris ostendit signa, atque suprà pectus suum decumbere permisit. Proindeque Sanctorum primogenitum fore Joannem Evangelistam, *qui suprà pectus Domini in cœna recubuit*, & de quo cantat Ecclesia: *Hic est beatissimus Evangelista, & Apostolus Ioannes, qui privilegio amoris præcipui, cæteris altiùs à Domino meruit honorari.* Quod inde autem, scilicet, quòd pectus Domini Apostolo nostro in pulvinar capitis quasi deservierit, maximam eruere possimus illius præ cæteris præeminentiam, posteà clarè demonstrabimus, ubi priùs curiosam aliquam dilucidaverimus quæstiunculam.

Dignum est inquirere, cur Ecclesia Catholica inter Domini nostri Jesu Christi, & Joannis Evangelistæ festivam solemnitatem S. Stephani Protomartyris natalem celebrari mandet diem? Nihil enim commune summa lætitia & communis applausus, cum tristitia & luctu habet. Heri tam in excelsis, quàm in terra, gloria & pax ab
Luc. 2. 14. Angelis denunciata est: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hodie verò nil nisi lamenta, & ploratus apparent indicia, nil, nisi tristitiæ resonant voces:
Act. 8. 2. *Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Heri prospe-
Luc. 2. 10. ra percepimus nuntia, canente Angelo: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo quia natus est vobis hodie Salvator.* Hodierna autem die pertinax S. Spiritus inspirationibus mundo improperatur resistentia, & contradictio: *Durâ cervice, & circumcisis cordibus, vos sem-* Act. 7. 51.
per Spiritui S. resistitis. In Christi nativitate tam diu desiderata, & amabilis reconciliati Dei nostri, justitiâ illius totaliter pacatâ, decantatur pietas: *Apparuit benignitas, & humanitas Salva-* Tit. 3. v. 4.
toris nostri omnibus hominibus: Verùm in morte Stephani, nil aliud audimus, quàm severas vindictæ comminationes, nil videmus, nisi rigorosa divinæ justitiæ portenta: *Ecce relinquetur vobis* Matt. 23. v. 26.
domus vestra deserta. Quomodo itaque musica consistit cum luctu?

Scio quosdam homines tam in Christi nativitatem (quæ utpote pura & munda à peccato ab Ecclesia pro festivo & solemni die celebratur) quàm in Stephani martyrium, quod vigesimâ sextâ Decembris subsecutum esse asserunt, refundere; dies enim Sanctorum ex hoc mundo discessus pro eorum natalitiis habetur. Verùm parvo cum fundamento: etenim, si probata tam apud Rabinos, quàm alios antiquos Scriptores consulamus scripta, comperiemus Stephanum à perfidis Judæis lapidatum fuisse tertiâ Julii, sicque eorum opinionis basis totaliter corruit. Alii verò & fortè rectiùs duorum horum festorum immediatam celebrationem, ratione excusant philosophicâ. Dicunt enim Philosophi, echonem voci emissæ confestim respondere, ubi & debita loci concavitas, reverberatio, aliæque circumstantiæ, & dispositiones adsunt necessariæ, ut experientiâ clarissimè constat. Stephanus autem verè Christi Domini mysticus fuit echo. Petiverat enim hic in cruce pro perfidis Judæis veniam & misericordiam: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid fa-* Luc. 23.
ciunt. Iste piæ huic voci subitò correspondens, v. 34.
pro lapidantibus à Domino expostulat gratiam, & intonat: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Act. 7. 59.
Congruum ergo videbatur, ut vocem Christum echo Stepahnus subsequeretur. Prædictas rationes non tantùm non vitupero, sed summoperè veneror. Verùm aliam præsenti proposito magis congruum adducere me cogit jam commemorata de Aristodemo historia.

Hic, cùm jam dicto stratagemate versutiam, in filiorum primogenituræ declaratione, Reginæ Vafræ elusisset, in temporis progressu, nimiâ eorum similitudine, tum in moribus, ingenio, facie, gestibus, tum in incessu, & statura semel mirabiliter fuit deceptus. Contigit enim, cùm primogenito

nito certa aliqua regni negotia manifestare vellet, ratus ei loqui, in fratrem natu minorem incidit, sicque delusus est. Queritur, ne inposterum quandoque committeretur, capitibus eorum diversos pretiosos lapides distinctivos inseri mandavit, dicens, ut testatur Herodotus: *Veniant lapides, similitudinem dividant, & vi us objecta demonstrent.* Christus & Joannes erant simillimi, ille Propheta, hic Propheta, iste Doctor, hic Doctor, ille Patris æterni Confessor: *Ego ex Patre exivi:* hic totius Trinitatis propalator: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; ille Virgo, & ipsius puritatis author, hic & illius amator, atque perpetuus conservator, ut attestatur Ecclesia, Joanni honorificum hoc attribuens elogium: *Virgo in ævum permansit.* Quæ virtus sola tantæ est virtutis, & efficaciæ, ut creaturam Deo assimilari permittat, si divo Basilio credimus dicenti: *Virginitas hominem incorruptibili Deo simillimum reddit.* Ne itaque ob tam raras virtutes, forte ut Deus æstimaretur, mihi eum dixisse videtur Ecclesiæ suæ sponsæ, horum festorum celebrationem inspirando, ad instar alterius Aristodemi: *Veniant lapides pretiosi dulces Stephano, & similitudinem dividant.*

Ioan. 1. 1.

Basil.

Unde, si, ut narrat Martialis, tantâ industriâ, arte, ac dexteritate famosissimus pictor Phidias (alii sculptorem eum fuisse dicunt, pisces tam vivis depinxerit coloribus, ut nil, nisi ad motum quasi vitalem, aqua requireretur: *Artis Phidiæ Cæteurema clarum pisces aspicis adde aquam, natabunt.* Et si Apelles adeò ad vivum efformaverit Alexandri Magni effigiem, ut per nihil, nisi per spiritus carentiam posset distingui à suo prototypo: sanè Joannem ipsummet Christum fore, facile quis credidisset, cui & ipse ne quidem suum voluit deesse spiritum. Ideoque, ut vivum Joannes foret originale, inclinato capite, scilicet versus illum, emisit spiritum, ut eo discipulum suum dilectum animaret, sibique simillimum redderet, *quo signo*, inquit sublimis Ecclesiæ Doctor August. *& illum Ioanni communicabat*; quia, ut ait, cùm hic esset discipulus, quem diligebat Jesus, anima Christi magis erat in Joanne ubi amabat, quàm ubi animabat. Et hoc confirmare videtur Ecclesia, quæ de eo cantat: *Ecce pu r meus dilectus, posui super eum spiritum meum.*

August.

Ad hoc propositum non incongruum est curiosam satis instituere quæstionem, & indagare, cur beati Joannis corporis sepultura fuerit discipulis incognita, & cur illud à Deo ad certum quemdam locum sit transportatum, nec umquam fuerit repertum, ut apertè attestatur Thom. noster. *Accurrentes ad tumulum, nihil ibidem invenerunt: de discipulo autem, quid factum sit, omninò nescitur.* Et S.P.N. August. id confirmat: *Clausis tumuli foribus, gratiâ resurrectionis ablatum est, ut constaret sepultura, inveniretur sepultus, cùm honorandi causâ Sacerdotes requirerent, reserato aditu, tumulus non potuit reddere, quem suscepit.* Cur itaque Joannes solemni quasi duliæ privatur cultu? curque ejus reliquiæ in hominum venerationem non sunt relictæ, sed miraculosè absconditæ? sane id non sine profundo mysterio contigisse arbitror. Quod ut attingamus,

Th. à Villa Nova ibid.

August in mellifl. verb. Ioã.

Operæ pretium est, imò plane necessarium, in memoriam revocare divinam de Moysis Prophetæ ossibus dispositionem, ut habetur Deut. cap. 34. *Mortuus est ibi Moyses, servus Domini in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum.* Et pòst subjungitur: *Et non cognovit homo sepulchrum ejus.* Imò, quod magis est, summa cum diligentia Judæi corpus illius inquisierunt, nec tamen umquam invenire valuerunt, ut ait doctissimus Oleaster: *Nemo postea potuit invenire.* De quo ipse obstupefactus petit à Deo: *Quare Domine, non vis homines servi tui Mausoleum agnoscere, neque locum scire, quo eum recondidisti?* Et respondet: ideò Deum divinâ suâ providentiâ corpus Moysis occultasse, ne Hebræi ad idololatriam maximè proclives sanctitatis, & mirabilium ejus, quæ in terra operatus est, memores facti, illum cultu latriæ adorarent. Tantus enim fuerat hic Propheta, ut de eo attestetur Scriptura: *Non surrexit ultra Propheta in Israël, sicut Moyses.* Audite Oleastrum hoc declarantem: *Sepelivit eum Dominus, & non cognovit homo sepulchrum ejus; sunt enim, qui dicunt, Dominum servi sui sepulchrum abscondisse, ne Iudæi illi divinos honores exhiberent.* Hæc eadem ratio de Joannis corpore esse videtur; ipse enim in sanctitate Christo maximè fuit similis, & quasi per gratiam, ut dixi, in eum transsubstantiatus, & Deus factus, ut bene colligitur ex eo, quod dicit Apostolus: *Audivi arcana verba quæ non licet homini loqui:* Et Joanni mandat Deus, ut visiones suas mysteriosas, & arcana propalet. *Scribe ergo, quæ vidisti.* Consequentia enim ex his verbis secundum Origenem sequitur legitima: ergo *Ioannes non est homo, sed aliquid habens Divinitatis.* Et benè, si enim virginitas Dei præ

Deut 34. v. 5, 6.

Oleast.

Deut. 34. v. 10.

2. Eph. 12. v. 4.

Apoc. 1. 9.

præ ſe ferat ſimilitudinem, ut diſertè declarat Baſil. *Virginitas hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit.* Nec ſine fundamentali ratione: Cicero enim rectè ait: *Nil amabilius, nil copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum, cum quibus enim eadem ſtudia ſunt, eadem voluntates, in iis, ut æque delectetur in uno, atque in altero amicus.* Ubi è contra teſte eodem: *Diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum ſimilitudo diſſociat amicitias.* Unde cùm Joannes habens mirabilem in virginitate ſympathiam, & in affectibus, & inclinationibus ſimilitudinem, difficulter ab eo poſſet diſtingui, corpus ejus abſcondit, ne à quopiam indebito cultu honoraretur. Aliqui alii tamen ob prædicta cenſent Joannis corpus per Dei potentiam rurſus animæ fuiſſe reunitum, & in cælis collocatum, ſicque eum plenariâ ex nunc gaudere beatitudine, quia ipſe erat ille diſcipulus, de quo cantat Eccleſia: *Diligebat autem eum Ieſus, quoniam ſpecialis prærogativa caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum: quia Virgo electus ab ipſo, Virgo in ævum permanſit.* Ideoque, ne quid, perdito uno filio naturali, adoptivi Mariæ deſtinati deficeret ſimilitudinis, ait Eccleſia: *In cruce moriturus huic matrem ſuam Virginem Virgini commendavit, & tanto privilegio amoris præcipui Ioannes cæteris altiùs à Domino meruit honorari.*

Baſil. tr. 1 de Virg.
Cicero l. 1. in off.

Nec Eccleſia tantùm, verùm admodum clarè de Joanne hanc ipſimet Apoſtoli Joannis familiares ſtabiliunt veritatem; dicit enim Scriptura, inter eos aliquam ventilatam fuiſſe quæſtionem, ortam ex verbis Petri: *Hic autem quid?* Et reſponſo Chriſti: *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Et conſideratis omnibus ejus prærogativis, perfectionibus & virtutibus: *Exiit ſermo inter fratres, quòd diſcipulus ille non moritur,* judicarunt Joannem eſſe immortalitate dignum, ſicque & magiſtro in hoc aliquatenus ſimilem. Verùm quo fundamento? antiqui gentiles, teſte Franciſco Cæſariano, firmiter eum credebant immortalem, qui inſignibus ditatus erat moralibus, & politicis virtutibus: *Olim apud Gentiles,* inquit, *cùm homines aliquem excellenti animo, & magnis pollentem virtutibus, & donis præclaris exornatum videbant, eum immortalem faciebant, dignum ſcilicet, qui numquam morti ſubjaceret.* Unde, cùm Apoſtoli mirabiles in exceſſu in Joanne elucere cernerent virtutes, & in omni perfectione præeminentiam, eum immortalem exiſtimabant. *Diſcipuli quidem Chriſti,* ait idem, *talem, & tantam beati Ioannis conceperunt opinionem, ut ſi non per naturam per gratiam eum immortalem cenſerent.* Talis quoque habebatur, qui aliquid rari, vel novi in arte quacumque adinveniſſet, aut aliquid ſubtilitatis inventæ arti addidiſſet, ut Cleantes, qui picturam, & Pelo, qui ſculpturam prodidêre.

Ioan. 21. v. 21, 23.
Tract. 3. de Ioan.

Anne ob hoc idem bene de Joanne judicant Apoſtoli, eum eſſe immortalitate dignum? Ipſe enim myſterium reperit toti mundo abſconditum, & SSS. Trinitatem propalavit, atque in cognitionem deduxit, dum dixit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* De quo admiratus Chryſoſt. ait: *Verùm quonam pacto, non habitâ Patris mentione, de filio ſermonem aggreditur? Quia omnibus patrem eſſe conſtabat, ſaltem ut Deum, unigenitus autem ignorabatur; quare haud meritò ad ejus cognitionem à principio ſtatim feſtinavit, ut neſcientibus eum oſtenderet.* Si itaque Joannes judicatus ſit ab Apoſtolis, ſaltem gratiâ immortalis, quaſi conſequens eſt, eum proxime ad ipſam accedere Divinitatem, cui ſoli per naturam & eſſentiam convenit immortalitas, ſicque Chriſto maxime ſimilem.

Ioan. 1. 1.
Chryſoſt. in hæc verba.

Sed quid dico ſimilem? Nonne multùm aberrarem, ſi Joannem in Chriſtum (de humanitate loquor, & cum ſale intelligi volo,) fuiſſe converſum, aſſererem. Ut hoc probem, & inquiram, non leviter me inſtigant ipſiuſmet Veritatis, in cruce pendentis verba: *Mulier ecce filius tuus.* Et D. Thom. noſtri à Villa-Nova ſuper hæc ſecundùm multos interpretatio: dicit enim ipſe, ſecutus Damianum, hæc Chriſti verba virtutem habuiſſe Joannem in Chriſtum transſubſtantiandi, non quoad naturam, hoc enim planè impoſſibile eſt, ſed ſecundùm gratiam; eodem ferme modo, quo Chriſti corporis & ſanguinis per conſecrationis verba prolata: *Hoc eſt corpus meum,* ex panis materia fit transſubſtantiatio. Audite, quia forſitan id vobis paradoxum apparebit, beati Damiani ſententiam: *Sicut enim dixit Apoſtolis, hoc eſt corpus meum, ita dixit matri, hic eſt filius tuus: & ſicut illis verbis factum fuit Dominicum corpus, ita ex quadam ſimilitudine Ioannes Evangeliſta, non filius Virginis conſecratus eſt, ſed apud beatam Virginem quoddam Sacramentum promeruit.* Hanc piam ſpeculationem, quam plurimos approbaſſe, apertè confitetur D. Thom. dicens hiſce verbis: *Neque putamus vacua illa*

Thom. à Villa Nova conc. 1 de Ioan.

Th. à Villa Nova.

Salvatoris verba fuisse, neque enim defuére viri pii, & docti, qui assererent, non solâ æstimatione humanâ filium reputari potiùs, quàm esse, quales lex, & adoptio solet filios procreare. Sed eum, qui verbo suo cuncta creavit de nihilo, ajunt filium facere de non filio, quòd si potuit, & fecit. Non enim dixit, habeto eam in matrem, sed assertivè, ecce mater tua. Atqui ita dicendo, hoc est corpus meum, verum corpus suum fecit, sic etiam dicendo, hic est filius tuus, amore filium fecit ex cognato, non tamen naturâ, sed gratiâ. Conveniebat enim, ut, qui per charitatem ei erat similis, & per dilectionem mutuam erat alter ipse, in ipsius substitueretur locū.

Sed quidquid sit de hac opinione, quam ego ut piam & plausibilem, (si congruè explicetur,) lubens admitto, dico ex eo, quòd Christus moribundus in cruce condidit testamento, Joannis celsitudinem mirificè comprobari, Christique immensum ad hunc dilectum discipulum indicari amorem. In confesso est apud omnes, testatorem magis propinquo, & dilecto pretiosiora munera legare; benedictus Jesus discipulis suis in ultima cœna, mox ad mortem iturus, pretiosum testamentum donavit: vivum scilicet & animatum suum corpus, & sanguinem Divinitati hypostaticè conjunctum, infinitum profectò, & inæstimabilem thesaurum, liberaliter est elargitus: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*: tunicam inconsutilem, & desuper contextam militibus: Petro Apostolatum: emortuum corpus Nicodemo, & Josepho ab Arimathia reliquit: spiritum tradidit Patri, & Matri filium dedit Joannem. Sed cernens juxta crucem fidelissimum illum, & summopere dilectum discipulum, speciale ei, ad instar alterius Jacob Josepho dicentis: *Do tibi partem unam extra fratres tuos*: quoddam desiderans elargiri donum, pretiosissimam margaritam, incomparabilem illum unionem, Mariam Virginem omnis creaturæ antecellentem dignitatem ipsi legat, clamans: *Ecce mater tua*, quo Christum intensissimum suum erga Joannem demonstrasse amorem, apertè confitetur D. Thom. à Villa-Nova: *Pendebat in cruce moriturus, aderat ibi dilectus, quid sibi legaretur exspectans. Quid tibi dilecte legabo? Quid in ultimis dabo tibi? Ecce mater tua; hac omnium, quæ possideo, charissima gemma est, hanc tibi trado, hanc tibi dono. O magnum dilectionis indicium! Suo loco apud matrem substituit eum, & pro se in filium Virgini reliquit eum. Huic gratiæ quid ampliùs addi potest?*

Matt. 26. v. 26.

Gen. 48. v. 22.

Ibidem.

Hinc si, ut testatur Scriptura, pallium Heliæ Prophetæ virtutem & efficaciam habuerit, Elisæo duplicem spiritum communicandi: nonne meritò dicemus Christum Dominum, non tunicam suam, sed dilectam Genitricem Joanni donantem, cujus caro & sanguis pretiosum exstitit pallium, sub quo Divinitas delituit Christi, ipsi mirabilem indidisse spiritum? Imò potiori jure, inquit Hieron. *Quòd si pallium Heliæ virtutem habuerit, ad faciendum Elisæum duplicem Heliam, quid ni sanctissima Mater eam haberet, ut Ioannem faceret duplicem Christum!* O mira Joannis prærogativa! ô eximia Christi erga Joannem dilectio! verè ille discipulus fuit, quem unicè & præ cæteris dilexit Jesus, & ideò de eo dicitur: *Qui privilegio amoris præcipui præ cæteris altiùs meruit à Domino honorari.*

Hieron. de Script. Eccles.

Sed unde tantum quæso à divina majestate Joanni concessum est privilegium? & quodnam Domini motivum, quòd hunc discipulum præ aliis Apostolis ardentiùs dilexerit? Bartholomæus Angles lib. 12. refert, inter omnia totius universi animalia, majorem non reperiri antipathiam, quàm inter serpentem & pellicanum. Iste enim hujus pullos immortali odio ex natura sua insectatur, eosque venenoso suo morsu lethaliter lædit, vulnere hoc indubitanter morituros, nisi amorosus pellicanus celerrimè advolans, suorum invigilans saluti, rostro pectus aperiret, suoque proprio sanguine (qui est unicum contra virulentos colubri morsus antidotum) inflictum vulnus sanaret. Verùm hi hac ingratitudinis notâ signantur, quòd, sanitate restituta, eum illicò deserunt, excepto uno, qui pectori illius est vicinior, quem & ob hoc parens majori dein affectu prosequitur. Pellicanus est Christus, juxta illud Davidicum: *Similis factus sum pellicano solitudinis*: antiquus serpens filios illius venenoso peccati morsu gravissimè læserat, eosque semivivos reliquerat: at ipse eorum misertus, ad montem velociter advolavit Calvariæ, & recubans in arduo crucis nido, pectus suum Longini lanceâ aperiri permisit, ut vulneri inflicto efficaciter mederetur. Sed heu! filii ingrati, *relicto eo, omnes fugerunt*, excepto solo Joanne, pectori pellicani Christi magis propinquo: *Qui supra pectus Domini in cœna recubuit.* Ideoque & à Christo vehementiùs diligebatur, hocque privilegio *amoris præcipui altiùs præ cæteris meruit honorari*, & tam pretiosâ margaritâ, Mariâ Virgine dotari: *Ecce*

Ps. 101. 7.

Matt. 26. v. 56.

mater

mater tua. Et hinc etiam non vult Deus permittere, ut quispiam aliorum Evangelistarum de lateris Dominici apertione loquatur, nisi Joannes, quia ipse solus, tamquam scutum defensivum, illi semper adhæserat: & sic dignum erat, & congruum, ut ipse istius, in quo inæstimabilis ille latebat Eucharistiæ thesaurus, foret thesaurarius, nobisque sanguinem & corpus Christi depromeret: *Et continuò exivit sanguis & aqua.* Joan. 19. v. 34. Hieron. de Script. Eccles.

Sed quandoquidem toties mentionem fecerimus de speciali Christi erga Joannem amore, quem non obscurè ex magnificentia, quam ab ipso in cruce recepit, collegimus dote, scilicet Dei Genitrice: operæ pretium est replicam quamdam, quæ contra hanc veritatem adduci posset, dissolvere. Alicui enim videretur forsitan Apostolum Petrum, tum ex amore (qui inter amantes debet esse reciprocus) quo in magistrum suum ferebatur, ut ipsemet testatur: *Tu scis Domine, quia amo te:* tum ex dono ipsi concesso, & privilegio, Joanne magis fuisse dilectum. Etenim Joanni Christus tantùm suam Matrem Mariam Virginem donavit: verùm Petro universam suam commendavit Ecclesiam: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quod longe excellentiùs apparet. Sed facile unum & alterum prædictæ instantiæ dirueretur fundamentum: constat enim, Petrum implicite in amando Christum Joanni cessisse palmam, quoniam cùm ab eo peteret Dominus: *Diligis me plus his*, scilicet cæteris Apostolis? circumspectè respondit ad primum, taciturnus præteriens secundum, nempe *plus his, tu scis Domine, quia amo te*, indicans, neminem in amore Joanni fore comparandum, & coram illo, tamquam supremo omnium, nullum debere amoris sui intensionis edere testimonium. Quoad secundum verò dico, jurisdictionem, non secundùm quantitatem, sed subditorum qualitatem, esse metiendam. Nobilitas enim subditi unius jurisdictionem plurimorum infimorum antecellit. Cùm itaque cunctis totius Ecclesiæ militantis & triumphantis subditis Maria sit perfectior, & eminentior, sequitur, Joannis jurisdictionem fuisse ampliorem ac digniorem. Joan. 21. v. 15, 16. Matt. 16. v. 18. Joan. 21. v. 15, 16. Ps. 101. 7. Matt. 16. v. 56.

Quòd si verò quis rursus replicet, authoritatem Petri sese extendere ad corrigendum subditos, & reprehendendum, quod Joannis jurisdictioni attribuere, est impium, respondebo, Christum Dominum cum tali restrictione Petro in Ecclesiam contulisse authoritatem, ut tamen sibi ipsi absolutum in illam retinuerit dominium: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* Ac si diceret, ô chare Apostole Petre, tu solida basis eris, & fundamentum; verumtamen ædificium ad me pertinebit, imò specialiter de ovibus disserens, à se absolutam non abdicavit possessionem, sed dumtaxat, ut suas Petro gubernandas reliquit: *Pasce oves meas.* Sed Joanni matrem suam, ut propriam ipsius, illi assignavit: *Ecce mater tua:* & ut talem, discipulus acceptavit eam in suam. Idem c. 21. v. 7. Idem c. 19. v. 27.

Concludo itaque, nullatenus esse dubitandum, Joannis prærogativam ampliorem ac nobiliorem fuisse. Et hoc evidens est incomparabilis ejus sanctitatis argumentum, & majoris excellentiæ indicium, juxta Euthymium: *Ioannem diligebat Iesus*, inquit, *præ cæteris, ut qui pluès diligi dignus erat, quàm cæteri, ideò dicitur discipulus, quem diligebat Iesus.* Euth. in hunc loc.

Sed videamus parumper ulteriùs, quàm altè Joannes à Deo sit evectus. Certum est, Evangelistam hunc cæteros Evangelistas & Doctores in subtilitate, & divinis revelandis mysteriis, atque scientiâ longo intervallo antecelluisse. Unde per antonomasiam à Theologis *Theologus* nuncupatur; ipse enim ipsam penetravit Divinitatem, ipsamque sanctissimam (quæ antea latebat, ut jam dixi) in lucem produxit Trinitatem; ubi tamen nullus Evangelistarum ingenii & doctrinæ suæ alis tam altè sese elevare potuit, teste Dam. de Joanne dicente: *Ad tantum gratiæ provectus est privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non denique quisquam ab ipso mundi exordio cognoscatur in carne positus aspirasse.* Dam.

Unde S. P. N. August. S. Joannem cæteris comparans Evangelistis, honorificum hoc de illius doctrinæ excellentia, & præeminentia proferre non veretur testimonium: *Cæteri Evangelistæ tamquam cum homine Deo in terra ambulabant, de Divinitate ejus pauca dixerunt; istum autem, quasi piguerit in terra ambulare, erexit se, non solum super terram, sed super omnē ambitum aëris, & cœli, & super omnes etiam exercitus Angelorum.* Et subjungit: *Et pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia: dicendo, In principio erat Verbum &c.* Dam. infusam Joannis considerans scientiam, illum hoc encomiastico honorat elogio: *Hoc divina sapientia sale, beati Ioannis doctrina* Aug. serm. 34. in Ioā. Dam.

na omnis respersa videtur Ecclesia, ut meritò dicatur os Dei, lingua Spiritus S. logotheca divinitatis. Unde sicut Pyrrhus Rex, dum commilitones ipsi de insigni contra hostes reportata victoria congratulabantur, illumque ob magnam generositatem, tamquam regiam aquilam super omnes alites, supra omnes totius orbis belli Duces debere exaltari, asserebant: respondit, *Si ego in altum tollor, & veluti aquila volo, vos alæ fuistis, ô milites mei, quibus ad sublime ducor.* Sic Ecclesia, quæ quàm optimè dici potest aquila magnarum alarum, quæ in sublime (abscondita multa enarrans de Deo uno, & trino mysteria) avolat, & potentibus Joannis Evangelistæ alis, doctrinæque pennis adeò in altum sublevatur. Ad eum potest dicere: *Si ego in altum tollor & veluti aquila volo, tu ô Ioannes! alas suppeditasti, quibus ad sublime tollor.* Sic Ecclesiæ exaltationem explicat Labata: *Si &c. scilicet volat, sapientiâ, Epistolis, Evangelius, & sanctitate.*

Labata t. 3. de Ioan.

Nec stupendam Ioannis dumtaxat scriptura & SS. PP. patefecerunt doctrinam, verùm etiam juxta Augustinum Ethnicus confessus est Plato, in cujus libris sese hæc legisse afferit verba: *Principium Evangelii S. Ioannis dignum est, quod litteris aureis in inanuis omnium divinorum librorum inscriberetur, ubi omnes illud legere, eisque uti possent.* Neque ego tantopere, dum futilia Poetarum attentè perpendo commenta, Ioannis demiror sapientiam. Hi enim fingunt in Boetia, non longè à monte Helicone, fontem à Cadmo musis consecratum, & ungulâ alati equi Pegasi adinventum esse, ideòque ei nomen Hippocrene aut Aganippe indiderunt juxta illud Propertii.

August.

- - *Aganippæâ ludere docta lirâ.*

De quo meminit quoque Ovid.

Fama novi fontis nostras pervenit ad aures,
Diva Medusæi, quem præpetis ungula rupit.

Huc cunctos Poetas convolasse effingunt, ut aliquid doctrinæ liquoris ex eo exugerent, & haurirent; verùm inter omnes Homerum excelluisse dicunt. Quia alii ex parte de illius fontis succo potitarunt, ipse verò os fonti applicuit, & continuò inhæsit. Sic alii Sancti à fonte sapientiæ Christo: *De plenitudine ejus omnes accepimus,* inquit Ioannes, suam per partes participant scientiam, sed discipulus ille: *Qui supra pectus Domini in cœna recubuit,* eique incessanter adhæsit, omnem divinæ sapientiæ liquorem ex illius pectore exsuxit: sic apertè testatur S. Thom à Villa-Nova: *Deipso sacro Dominici pectoris fonte potavit.* Et ideò eximiam ejus volens extollere scientiam, subjungit: *Non somniavit in parnasso, ut sic repentè Propheta prodiret, sed sancti Evangelii Sacramenta de sacro Domini pectore potavit.* Cui concinit S. P. N. August. dicens: *Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, etiam cœlestis haustum sapientiæ cæteris excellentiùs de ipso Dominici pectoris fonte potavit.* Et hinc ipse, tamquam generosa aquila, sese efficacibus contemplationis alis ad ipsum solem, id est SSS. Trinitatem sublevavit. Audite rursus aquilam Doctorum S. P. N. August de hac Evangelistarum aquila dicentem: *Transcendit omnia cacumina montium terrarum, transcendit omnes campos aereos, omnes altitudines syderum, omnes choros, & legiones Angelorum.* Fœlicissima sanè est aquila Ioannes, qui in ipsiusmet sapientiæ infinitæ academia supra pectus Domini requiescens, meruit edoceri, & ex eo cuncta divina à sæculo abscondita, tamquam in crystalino speculo recognoscere mysteria. *Revelavit ei,* inquit S. Thom à Villa Nova, *secreta personæ, secreta regni, secreta domus, in illo namque extatico somno, quando supra pectus ejus in cœna recubuit, mira de ipsius divinitate secreta cognovit, & arcana sui cordis aperuit.* Cui consonat. Laur. Just. *Hic ingenua puritatis suffragio fultus, tamquam spiritualis aquila spiritualiter figurata, universa transcendens, usque ad æternum verbi solium pertingens, inquit, in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.*

Th. à Villa Nova serm. de Ioan.

August.

Aug. tr. 1. in Ioan.

Th. à Villa-Nova.

Laur. Iust. serm de Ioel.

Naturalistæ mirabilem aquilæ pennis à natura inditam esse dicunt virtutem: etenim, si eæ aliarum avium pennis intermisceantur, illas consumunt. Hoc quàm maximè aquilæ nostræ sapientiæ quadrat. Ipse enim divinâ suâ doctrinâ plurimos prostravit perversos hæreticos, & totaliter consumpsit. Contra Arianum enim Augustinus aquilæ hujus utitur pennis, id est doctrinâ, sicque argumentatur: *Deus erat verbum: exeat nunc, nescio quis infidelis Arianus, & dicat, quia verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri ut verbum Dei factum sit, quando Deus per ipsum fecit omnia?* Et hanc Ioannis in doctrina præ cæteris

Ibidem.

Aug. tr. in Ioan.

ris Evangelistis prærogativam, eleganti extollit carmine sedulus Poeta.

Hoc Matthæus agens hominē generaliter implet,
Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis,
Iura Sacerdotis Lucas tenet ore juvenci,
More volans aquila verbo petit astra Ioannes.

Et sanè optimè Ioannes aquila denunciatur, eique proxima depingitur: quia omnibus in volatu, & doctrinæ sublimitate præeminuit. A quo probando (ut tempori parcam) abstineo, & benevolum Lectorem ad conc. 4. de diva Virgine remitto, in qua argumentando à minori ad majus, è Ioannis doctrina, è pectore dominico desumpta, *qui supra pectus Domini recubuit*, genitricis Dei summam erui scientiam. Ibi enim quàm plurima de aquila, cujus metaphora optimè convenit Ioanni, dicta reperies.

Sed quod magis admirandum est, quòd Christus etiam Ioanni dormienti tantum amicitiæ, & dilectionis demonstrarit indicium. Admiratum fuit transactum sæculum Alexandri magni singularem erga dilectum amicum suum Timotheum affectum. Is enim (ut narrant celeberrimi historiographi Plut. & Suidas) numquam ei occurrit, quin beneficium aliquod ipsi Alexander offerret. Imò quodam tempore, cum domum illius ingressus dormientem comperisset, auream catenam collo ejus injecit: quem singularem favorem annotantes aulici, illum ingenioso hoc expresserunt emblemate. Dormientem depinxerunt ad maris littus manu retia contrahentem, quæ, non tantùm ad terram gemmarum, & coraliorum attrahebant thesaurum: verùm & sceptrum, & coronam, è cælo dilapsam adferebant: adjunctâ subtili hâc epigraphe: *Quid expergefactus?* Hoc emblemate aulici Alexandri innuere volebant, quantâ benevolentiâ & favore ipse unum Timotheum prosequeretur. Ioannes noster dormiens supra pectus, maximis à Christo condecoratur privilegiis, & non aureâ profectò catenâ, sed divinâ insignitur sapientiâ. *In illo namque*, ait Thom. noster à Villa Nova, *exstatico somno, quando supra pectus ejus in cœna recubuit, mira de illius divinitate secreta cognovit.* (Ibidem.) Ergo jure meritò idem censere poterant de Ioanne Apostolo, & dicere, ut aulici Alexandri: si tanta, & tot dilectus hic Timotheus Ioannes à supremo illo Alexandro Christo beneficia dormiens accepit, *quid expergefactus?* ô admirabilis Domini nostri erga Ioannem amor! ô magnifica dilectio!

Sed quid eam adeò admiror? sanè non tam admiranda, quàm laudanda est hæc dilectio. Quàm plurimæ enim tanti divini effectus concurrunt efficaces rationes. Et in primis certum est, Principem aliquem, imò & quemcumque magni accuratum æstimare horologium. Sed, ut ipse foris, & intus bene de diei, & noctis horis notitia deserviatur, magnum pro familia parieti affigi curat: parvum verò, & portatile sacco suo impositum, semper secum portat. Omnes Apostoli fuerunt destinati, tamquam grandia & communia, in totius mundi servitium horologia, juxta illud: *In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum*; (Ad Rom. c.10. v.18.) verùm supremus Princeps Christus speciale, sibique magis charum reservavit horologium, quod pectori suo apposuit, scilicet Ioannem Evangelistam. Unde quocumque iret Iesus, aderat & Ioannes, teste Thom. à Villa-Nova: *Hic ipsum comitabatur, quocumque iret.* (Thom. à Villa-Nova conc. de Ioan.) Hoc horologium divino suo sono absconditam manifestavit Trinitatem, dum sonuit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* (Ioan. c. 1. v. 1. v. 14.) Hoc mirabile illud Incarnationis declaravit mysterium: *Et verbum caro factum est*: hoc horam meridiei indicavit, dum Iesus defatigatus ab itinere, peccatorum in Samaritanæ persona invigilabat saluti: *Hora erat, quasi sexta, Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem.* (Ioan. c. 4. v. 6.) Imminentem mortis quoque Christi horam præcisum patefecit horologium: *Sciens Iesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* (Ioan. c. 13. v. 1.) Nec extremi judicii reticuit tempus: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei.* (Ioan. c. 5. v. 25.) Appositè ad hunc conceptum ait eruditus Franciscus Cæsarianus: *Congregatio Sanctorum velut horologium magnum cœleste est, ad enarrandam gloriam Dei: Ioannes autem Evangelista horologium minus est, in quo ea continentur, quæ in magno: hoc autem Deus condidit pro sinu suo; in sinu enim erat quando sonuit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem. Et sicut hujusmodi horologium aureum solet esse, aut saltem ex alia pretiosa materia confectum, nam ad sinum Principis tale decet id esse, sic etiam fuit Ioannes, charitatis scilicet auro resplendens.* (Tract.)

Nec in horologium tantummodò magistro suo, verùm & in securissimum contra quoscumque

que

que hostes deserviit clypeum, & in Christi defensorem præ cæteris electus est. Cum enim is ex benedicto Domini sui ore in cœna infame, ab infidelissimo, & ingratissimo quodam discipulo patrandum cognovisset scelus, *unus vestrum me traditurus est*, quasi ejus tutelam in se suscipiens interrogavit, *Domine quis est, qui te tradet?* Ac si diceret, ô dilecte magister! tantummodò innotescat mihi, quis nostrum ad tam nefandum sese resolverit crimen, qui eò procedet dementiæ, ut dominum suum sit proditurus, ego ictum feralem etiam cum propriæ vitæ meæ dispendio retundam; & in signum fidelitatis statim caput suum supra pectus domini sui, tamquam clypeum, ad traditoris manum avertendam posuit. Sic censet doctissimus Labata: *Recubuit supra pectus Domini, quasi clypeus, quem supra cor applicuerat Iesus, ut eo retunderet pessimum ictum Iudæ.* Et hinc notandum Joannem Christi individuum exstitisse comitem. Si enim Christus gloriam suam & transfigurationem demonstraturus, montem Thabor ascendat, adest dilectus discipulus Joannes: si Christus nuptias, matrimonium honoraturus, in Cana Galilææ suâ præsentiâ condecoret, nec Joannes abesse permittitur. Et ut uno verbo multa complectar, Joannes lateri Domini semper fidelis adstitit; in cœnaculo, in horto Gethsemani, in captura, &c. Et quamvis tum ab eo per rabidos Judæos crudeliter fuerit avulsus, attamen magistrum non deseruit, sed ipse, cæteris fugientibus, ut testatur Matth. *Relicto eo omnes fugerunt*, solus constans remansit, Jesumque usque ad crucem est secutus juxta illud Marci: *Adolescens autem quidam sequebatur à longè.* Imò & usque ad Christi mortem perseveravit. Sed quare quæso Christus hujus discipuli continuam adeò desideravit præsentiam? An fortè, quia cum Christus sit splendidissimus sol, & verissima lux mundi, Joannes verò heliotropium, ideòque necesse foret, quòd sese ad solis motum dirigeret; ut ex natura facit heliotropium, juxta hanc ei adscriptam à hieroglyphicis epigraphen: *Quo pergis, eò vergo.* Sed hanc genuinam non credo esse rationem. Cur ergò;

Matth. c. 26. v. 21. Ioan. c. 21. v. 20.

Matth. c. 26. v. 56. Marc. cap. 14. v. 51.

Antiquitùs, ut varii commemorant historici summo in honore & æstimatione habebatur scutum. Unde Romæ & Athenis consuetudo vigebat, quòd milites tempore hiemali, dum scilicet bello vacabant, clypeos suos in amplis, & in publicis theatris proprio nomine, & dicto insignitos, appendebant. Quod si quis verò, vel ex invidia, vel ex odio alicujus scutum, vel leviter tantùm attigisset, dominus scuti, illi, tamquam sibi, illatam injuriam vindicaturus, ipsi duellum indicere cogebatur. Omnem enim tam Athenienses, quam Romani viri martiales gloriam in scuto suo collocabant. Quod si verò quis miles in prælio illud deperdidisset, pro imbecilli, & ignavo tenebatur. Quare Lacenæ mulieres pro more habebant, quòd filios suos dum ad bellum proficiscebantur, iis tradentes clypeum, sedulò admonerent, ut summam istius gererent curam, nec illo relicto ad patriam redirent. Hoc testatur Basil orat. 40 dicens: *Lacenæ mulieres, liberos hortabantur, ut scutum è prælio salvum reportarent; aut in eo reportarentur, cum hoc, aut in hoc redi:* Malebant enim filios in prælio occumbere, quam eo deperdito, cum dedecore domum reverti.

S. Basil. orat. 4.

Hinc generosissimus ille Atheniensium Dux Epaminonda, cum in cruento quodam prælio ad mortem esset læsus, sese ad commilitones suos convertit, hocque unicum rogavit, quid de scuto actum foret? An ab hoste reportatum, an verò salvum ac integrum? Ubi salvum intellexit, illud sibi adferri moribundo mandavit, ut in ejus amplexu gloriosè emori posset. Sic narrat. Val. Max. *Vi relatus in castra semianimis vocem spiritumque collegit, id unum à circumstantibus requisivit, num cadenti sibi scutum hostis ademisset? quod ut servatum audivit, allatum voluit, & laborum, & gloriæ socium osculatus est, atque ita gratulabundus expiravit.* Nec ab hac imaginatione gentilium multum abhorrebant Judæi, qui etiam magni clypeos æstimaverunt, imò scutum regium eodem, quo Reges ungebantur oleo, inungebant, ut patet ex 2. Reg. c. 1. v. 21. *Abjectus est clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.*

Val. Max.

2. Reg. c. 1. v. 21.

Cum itaque Joannes Christi Domini existeret clypeus, lateri suo ipse eum semper quasi voluit esse accinctum, sicque numquam Joannem à se separari permisit. Et hâc eadem ratione facillimè poterit dissolvi quæstio, cur Christus Joanni martyrii laureolam non concesserit. Ipse enim in ferventis, & ebullientis olei cacabum projectus, miraculosè incolumis evasit. Nec eum crudelitas Judæorum juxtà crucem Domini stantem attigit, nec poculum veneno infectum ebibitum, ei quidquam nocuit, sed ab omnibus his intactus fuit conservatus, quia Joannes ipsius

erat

erat scutum, ideòque ipsum ab omni læsione indemnem decebat custodire. Imò adinstar alterius Epaminondæ graviter in cruento illo prælio in monte Calvariæ sauciatus, jam morti proximus de scuti hujus dilecti Ioannis salvatione curam gessit,& vulnera,& mortem contemnens: an hic clypeus salvus foret conspexit, caputque ad illum inclinavit: *inclinato capite*, & hôc viso indemni, lætus & gloriosus, *tradidit spiritum*.

Ioan.c.19. v.30.

Verùm contrà hæc jam dicta de denegata martyrii laureola, non levem mihi parit difficultatem illa, quam ex D. Thomà à Villa nova supra retuli, sententia, qui Ioanni martyrii coronam adscribit: *Hic martyr,&c.* quandoquidem etiam dicat, *Quid de Apostolo factum sit, omninò nescitur.* Cum enim de essentia martyrii sit mors, & quidem violenta, teste S. Thom. *Mors est de ratione martyrii*: Quomodò Ioannes martyris titulo condecoratur? sanè à Thomæ deflecterem sententia, nisi ipsammet veritatem Christum Ioannem martyrii palmâ cohonestasse scirem. Accedenti enim ad Christum Zebedæi uxori pro filiis deprecaturæ Matth. cap.20. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram, & unus ad sinistram in regno tuo*, Salvator respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* per calicem autem martyrium significatur juxtà Hier. *Calicem in scripturis divinis passionem intelligimus.* Ad hunc passionis calicem ebibendum promptissimos se esse asseruerunt, *possumus.* Quorum animi generositatem intuitus Dominus, utrique martyrii addixit coronam: *Calicem quidem meum bibetis.* Ad quod S Chrysost. *Dominus autem eis prophetat magna bona, id est martyrio dignos efficiendo.*

S. Th.2.p. q.124.

Matth.c. 20.v.22.

Hier.

Vers.23. Chrysost.

Sed, ut jam dixi, id mihi intellectu valdè apparet difficilè: etenim Ioannes, cum morte naturali occubuerit, quomodò veritas divinæ prophetiæ salvari potest, quandoquidem enim tantummodo Iacobus martyrium esset subiturus, debebat Christus dicere, *non bibetis* in plurali, sed *nunc* in singulari *vestrum*: scilicet Iacobus, calicem martyrii bibet Hanc quæstionem quoque movet S. Hier. in catena D. Tho. *Quæritur quomodo calicem martyrii si ii Zebedæi, Iacobus videlicet, & Ioannes biberint, cum scriptura narret Iacobum tantùm Apostolum ab Herode capite truncatum fuisse; constat autem Ioannem propriâ morte vitam finiisse.* Ad objectam difficultatem respondet præfatus Doctor, ambos laureolâ martyrii fuisse à Deo dotatos. *Quia, inquit, Ioannes non defuit martyrio, ex quo voluntas pro facto accipitur.* Ipse enim, tamquam invictus Christi athleta à ferventi, & ebullenti oleo non abhorruit, sed summa cum constantia sese in illud pro Dei magistri sui fide immitti non detrectavit. Eodem modo Ioannis martyrium salvat S. Thom. à Villa-Nova: *Non enim, inquit, Ioannes morti sed mors Ioanni defuit in martyrio. Verè, sicut Dominus antè promiserat calicem Domini bibit, & sine morte martyrii meritum & gloriam obtinuit. & Martyrum aureolâ in cælis est coronatus.*

Hier. in catena D. Thom.

Ibidem.

Verùm, salvâ horum Doctorum reverentiâ, mihi aliter & rectiùs videtur respondendum, ideòque dico Christi prophetiam perfectissimè fuisse in Ioanne adimpletam. Ille namque longè majus, & crudelius, quàm omnes alii Martyres, subiit martyrium. Etenim, si ut suprà dixi conc.5. Maria Virgo titulo ab Ecclesia Reginæ Martyrum honoratur, quia ipsa adstans cruci, omnia Christi filii sui tormenta, dolores, cruciatus, flagella, coronam spineam, & clavos in corde, quæ filius in carne (quod longè durius & sensibilius est) creditur sustinuisse, teste S. Hier. *Quot læsiones in corpore filii, tot vulnera in corde matris; clavi, quibus corpus Christi pendebat in cruce, & cor Virginis confixum habebant, nullum ictum recipiebat filii corpus, cui non tristis echo responderet in corde matris.* Quod ex infinito Mariæ, ergà unigenitum suum filium, ibidem deduxi amore. Quod si ita est; nonne quoque optimo fundamento omnium aliorum Martyrum coryphæum proclamare possum Ioannem Evangelistam? indubiè, ipse enim cruci quoque vicinus, dilecti magistri sui & fratris: factus jam Mariæ filius, luctuosam, & acerbissimam passionem contemplans, crudelissimum præ cæteris Martyribus, qui ardentiùs iis Dominum, ut ostendi, diligebat, in corde passus est martyrium. Unde ei illa, quæ de Maria divina dicit Rich. verba, martyrii Virginis gravitatem extollens, rectè appropriare possum: *Quantò incomparabiliter amavit, tanto vehementiùs doluit, unde sicut non fuit amor* (de cæteris Sanctis respectu Ioannis loquor) *sicut amor ejus, ita non fuit dolor similis dolori ejus. In Martyribus magnitudo amoris dolorem linivit passionis: sed S. Ioannes quantò plus amavit, tanto plus doluit, undè quia plus omnibus dilexit, graviùs passus fuit mente quàm carne.*

Hier. de pass.

Rich. de S. Victore in Cant.c.26

Cedat itaque interno Ioannis Evangelistæ martyrio Laurentii craticula: Apostoli gladius, Bartho-

Bartholomæi culter: Catharinæ rota: Petri & Andreæ crux: cæteraque omnium Martyrum tormenta ac supplicia; quia hæc ad martyrii Joannis eminentiam nullatenus possunt attingere. Poterit enim, sicut & mater ejus Maria, illis dicere Joannes id, quod amicis suis dixit Empedocles, ab Atheniensibus in exilium missus. Is enim cum ipsi de favorabili denunciata sententia congratularentur, eò quòd delicti complices morte, ipse verò tantùm relegatione ab urbe mulctaretur: indignatus respondit: *Durius martyrium est cæteris, quod patior, nam alii tormenta sustinuerunt in corpore, ego verò crucior in animo: alii per mortem Superum consortio adscripti sunt, ego vero vivus, exul & à patria, & à Diis abstineo.* Potest, inquam, ad eos clamare ô sancti Martyres! durius est martyrium, quod hic passus sum sub cruce; vos enim tantùm tormentum in corpore sustinuistis, at ego animo, & in mente. Concludo itaque acerbissimum Christi passionis calicem Joannem verissimè bibisse, ut egregiè attestatur doctissimus Osorius: *Crucifixus hic, fuit ejus gladius, hic eum martyrem fecit, & idem doloris gladius, qui cor Mariæ transverberavit, scilicet Christus in carne, hic idem Ioannem martyrem fecit: ô illustre martyrium! quem Christi dolores martyrem effecerunt, verè calicem Christi bibit Ioannes, dum Christi passione ipse torquetur.* Ideòque noluit Christus eum, tamquam scutum suũ corporaliter lædi, nec martyrizari permittere; & tamen martyrii gloriam non minuit, sed augmentavit. Ergò Joannes *privilegio amoris præcipui altiùs à Domino meruit honorari*, erat enim discipulus, quem diligebat Jesus.

Osorius.

Pro hujus ulteriori confirmatione curiosam posset quis instituere quæstionem, cur Christus Dominus in cruce moriturus, & ex hoc mundo transiturus ad Patrem, dilectam suam Matrem (è qua donatione non leve sanè Joannis eximiæ sanctitatis, & præ cæteris eminentiæ eruimus argumentum) in solatium & præsidium discipulo Joanni, & non sponso & viro ejus commendarit Josepho. Etenim, cum ipsi tam eximia prærogativa (de cujus magnitudine agam in concione sequenti) fuerit concessa, ut pater putativus apud Hebræos reputatus sit, & Christus verus illius filius; cur modò in fine vitæ, quasi inter sponsam, virum & uxorem, faciens divortium, Mariam alteri donat, ac Iosephum tanto privat honore? ô piissime Domine! estne hoc tàm fidelis servi tui recompensare merita & labores? an forsitan immemor es tanti tibi, & matri tuæ præstiti obsequii, dum te tanta cùm diligentia, & anxietate è manibus furentis Regis Herodis, in necem tuam conspirantis, eripuit? an non recordaris quàm sedulam, matris Mariæ sponsæ suæ, & tui gesserit curam ac diligentiam? an forsitan ingrata esse potest ipsamet per essentiam bonitas & distributiva justitia, quæ unicuiq; reddit secundùm opera sua? hoc profectò in Deum cadere non potest vitium.

Scio quosdam scripturæ interpretes non infimæ sanè notæ secundùm quosdam sanctos Patres asserere Josephum tribus annis antè Christi Domini passionem è vita discessisse, & per consequens eum matrem suam ipsi in cruce commendare non potuisse; attamen salvâ omnium sic sentientium reverentiâ, solidissimi & subtilissimi istius Ecclesiæ Doctoris August. aliorumque Patrum Ambr. scilicet & Cypr adhæreo doctrinæ, qui asseveranter sustinent Josephum Christo patiente adhuc in vivis fuisse. Quo supposito, piè & firmiter credendum est, Josephum cruci quoque astitisse, quamvis de eo nullam scriptura faciat mentionem. Dicere enim illum qui salutis filii, & matris per totum vitæ curriculum tàm fideliter sategerat, nunc in tanta persecutione, & angustia Christum & Mariam deseruisse, maximè foret temerarium: ne dicam impium. S. P. N. August. opinionis suæ fundamentum eruit ex cap. 37. Gen. ubi narrat Joseph fratribus suis, & patri propheticum somnium dicens: *Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.* Quam prophetiam dicit non adimpletam, cum Iacob ejus pater, & undecim fratres in terra Ægypti ipsum adorabant, juxta Iacob opinionem dicentis: *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te suprà terram?* deerat enim luna, scilicet mater ejus Rachael, quæ ex partu Benjamin mortua erat, ut patet ex cap. 36 *Mortua est autem Rachael, & sepulta est in via, quæ ducit Euphratem.* Verum illud somnium suum asserit S. P. N. August. sortitum fuisse effectum in mystico illo Iosepho, non Ægypti, sed totius mundi Salvatore Christo Domino, dum ipse post resurrectionem a Iosepho, tamquam sole, Maria, ut luna, & ab undecim discipulis adoratus fuit. Audite illius verba: *Hoc in illo Ioseph impleri non potuit, quia jam mater ipsius de hac vita migraverat: in mystico vero Ioepho, hoc est Christo Iesu, somnii illius sacramenta impleta sunt. Sol enim, & luna, & undecim stellæ eum adoraverunt, quando*

Aug. ser. 18. de tempore.
Ambr. de inst Virg.
Cypr. ser. de pass.
Gen c. 37. v. 9. & 10
Gen. c. 35 v. 19.

post

post resurrectionem sancta Maria, quasi luna, Ioseph quasi sol, cum undecim stellis, hoc est beatis Apostolis, incurvati & prostrati sunt antè Christum.

Quod cùm ita sit (ut pro præsenti cum August. sustineo) rogo te, ô benignissime Christe! cur matrem discipulo, & non sponso tradis? ad te clamo, ô piissime Domine! his Cypr. de mysterioso hoc sacramento obstupefacti verbis: *Obsequium Virginis discipulo tradis Domine, ut jam, non Ioseph tanti mysterii honoretur præpositura, sed Ioannes?* Optimè, sanè & prudentissimè facit Christus; cum enim Joannes esset dilectus discipulus, debebat ei donari (ut dixi) pretiosissimum, quod habebat: hâc autem margarita Maria Virgine, nil in universo reperiebatur præstantiùs. E tanto ergò Christi Domini testamento, Joanni legato, eruitur, & splendescit ingens ipsius sanctitas, dignitas, & præeminentia, ob quam ipsemet Joseph Marianæ curæ, & tutelæ voluntariè & lubenter Joanni hanc cessit prærogativam, teste rursus Cypr. *Passus est Ioseph æquanimiter sibi eum in hoc servitio præponi, quia digniorem se Ioannem judicabat.*

Cypr.

Aug. ser. 18. de tempore. Ambr. de inst. Virg. Cypr. ser. de pass.

Sed modò antequam à laudibus tanti discipuli decantandis, qui cunctis cæterorum Sanctorum dotatus est perfectionibus, & cælestibus ditatus donis, imò & unione, omnes gemmas & margaritas infinitè antecellenti, ipsa scilicet Dei genitrice Maria est locupletatus, desistamus: operæ pretium duxi, ipsius quoque celsitudinem ex Marianæ filiationis dignitate, & excellentia: *Mulier ecce filius tuus*, comprobare. Pro quo notandum est, donum in pretio & valore personæ, cui datur dignitati correspondere debere; ex quo in Joannis laudes hoc conficio argumentum: atqui Joannes datur Mariæ cæli, terræque Reginæ, in se continenti omnes gratiarum, perfectionum, & virtutum divitias: ergò illi debet correspondere in dignitate Joannes. Totum admittit Dam. ideòque Joannem Evangelistam microcosmos sanctitatis appellat. Et rectè; etenim, ut benè ait D. Tho. *Omnis creatura nomine significatur homo, omnis enim creaturæ aliquid habet homo*, & est omnium creaturarum quasi compendium. Quocirca veteres cum microcosmum mundum, id est abreviatum nuncupabant. Habet enim esse cum lapide, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Et ad hunc sensum Dam. Joannem *microcosmos* intitulat *sanctitatis*: quia omnium Sanctorum prærogativarum, Prophetæ, Apostoli, Evangelistæ, Doctoris, Confessoris, Martyris, & Virginis est epilogus. Hinc & quam optimè mannæ, sicuti Maria ejus mater, poterit assimilari; quia sicut illud omne delectamentum in se habebat, sic & Joannes omnem in se virtutem comprehendit. In cujus dicti mei, mirabile quoddam veritatis testimonium refert Dam. simulque stupendum prodigium. *Iam verò illud quis di...nè miretur, quod in sepulchro ejus manna reperitur, non semel, sed quotidie nascitur. De manna quippe, salvo altiori mysterio, scriptum est: Panem de cælo dedisti eis habentem omne delectamentum.* In evidens, scilicet indicium, quod cuncta Sanctorum dona in se contineat.

Gen. c. 37. v. 9. & 10

Gen. c. 35. v. 19.

D. Tho. in catena.

Dam. ser. 2 de Ioan.

Præterea in confesso est apud omnes amantem, si procul proficisci & longo tempore ab objecto amato abesse contingat, in amoris tesseram, suam ad proprium prototypon ad vivum depictam donare effigiem: haud aliter sese gessit Christus Dominus cum amata sua genitrice Maria: ipse enim trabi cruci affixus, sciens sese brevi transire debere ex hoc mundo ad Patrem, seseque à dilecta sua matre tam diu cogi avelli, ipsi in perpetui amoris testimonium, imaginem suam tradit Joannem ad prototypon divinum vivaciter à summo artifice Deo efformatam. Joannes enim inter omnes Sanctos ipsi Christo maximè est similis. Christus quippe est ipsa gratia, *&* *Ioannes* verò gratiam significat. Christus est dilectus Patris: *Hic est filius meus dilectus*, Joannes est *discipulus, quem diligebat Iesus*. Et de eo cantat Ecclesia in persona Christi: *Ecce puer meus dilectus, posui super eum spiritum meum.* Christus est puritatis author, ecce virginitatis quoque Joannes coruscat nitore. Et sic, si Christus Deus per essentiam, Joannes Deus dici potest per participationem, & similitudinem. Quia, ut ait Basil. *Virginitas hominem incorruptibili Deo simillimum reddit.*

Duas in Christo reperimus nativitates, unam æternam ex Patre, aliam temporalem ex Matre; duplex est talis quoque in Joanne, una æterna, secundùm quam in divina idæa & prædestinationis decreto ab æterno electus est filius Dei adoptivus: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, altera temporalis, quâ constitutus est filius Virginis: *Ecce filius tuus*, sicque Christus est frater Joannis ex parte matris, *ut ipse primogenitus in multis* fratri-

Ad Rom. c. 8. v. 29.

fratribus. Unde ſicut Eva, dum Abelis mortem amarè defleret, Domino ejus miſerto, aliumque ejus loco ſubſtituente, ſcilicet Seth, quod nomen *poſitionem* ſignificat: *Poſuit mihi Deus*, inquit Eva, *ſemen aliud loco Abel, quem occidit Cain*, fuit conſolata, eoque partu dolor illius totaliter abſumptus eſt; ita etiam, dum Chriſtus Ioannem in loco ſuo ſubſtituit, Maria jam jam deperdendum filium naturalem Chriſtum deplorans, conſolationem accepit, poteſtque dicere ad inſtar alterius Evæ: Poſuit mihi Dominus aliud ſemen, ſcilicet Ioannem, loco Chriſti, quem occiderunt impii Iudæi.

Hinc, quemadmodum Plin. narrat, Phœnicem avem, quæ inter flammas emoritur, in pullo ſucceſſore vivere: ita, quantumvis Chriſtus in ara crucis divini amoris flammis exuſtus, ut Phœnix moriatur, in ſuperſtite Ioanne vivit. *Amans enim*, inquit Ariſtoteles, *vivit in amato.* Unde, ſi de filio in timore Domini & juſtitia educato, dicat Salomon: *Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe*: pari modo aſſerere id poſſumus de Maria: *Mortuus eſt filius ejus Chriſtus, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe*, ſcilicet Ioannem, alterum Chriſtum, ut ait Laur. Iuſt. *Non aliter potuit aſcendere in Deum, niſi priùs eſſet Deus. Humanam tranſcendebat converſationem, mortaliumque conſuetudinem*: ob quem divinum Ioannis vivendi modum, ejuſque eximiam ſanctitatem (ut refert Procorus illius diſcipulus) Aſiæ incolæ firmiter credentes, ipſum fore verum Deum, humanâ carne obvelatum, non ſemel, ſed ſæpe ſæpiùs ſupremam Meſſiæ dignitatem obtulerunt. *Ad illum ſic verba*, inquit, *faciebant: Tu es magnus Deus, qui illuminas omnem hominem mirabiliter.* Nec adeò mirum, Aſianos hac in re deceptos fuiſſe; Origenes enim doctiſſimus, & antiquiſſimus ſcriptor, inſpectâ, diligenterque conſideratâ illius ſanctitate, & vitâ, quæ à Dam. *continuum* appellatur *miraculum*, cogitur exclamare: *Non eſt homo, ſed pluſquam homo, & aliquid habens Divinitatis.* Et hæ omnes prærogativæ Ioanni conceſſæ ſunt, quia à Deo dilectus eſt diſcipulus, ideoque *privilegio amoris præcipui præ cæteris altiùs meruit honorari.* Concludo itaque, donum Ioannem fuiſſe valde pretioſum, & Mariæ Virginis dignitati maximè correſpondens.

Eccl. 30. v. 4.

Laur. Iuſt. ſerm. de Ioan.

D. Procor. in vita Ioann.

Philo de ſe refert, quòd, cùm ſæpiùs ſedulò perpendiſſet, quodnam munus potentiſſimæ Ptolomæi Ægypti Regis matri, regiâ perſonâ dignum, præſentaret, caſu quodam die juxta oram maris deambulans, pretioſum reperit topaſium, petram ob raras ſuas à natura inditas proprietates, & virtutes, inter cæteras ſane non infimam. De quâ ſibi plurimùm congratulans prædâ, illam Ptolomæi matri in donum miſit, judicans ſeſe ei, nec dignius, nec præſtantius, umquam poſſe dare: ſic Chriſtus, cùm ambulans juxta mare Galilææ, ut narrat Matth. *Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ*, pretioſum illum topaſium Ioannem adinveniſſet, ejus conſiderato valore, & inæſtimabili pretio, magnificum hoc munus dilectæ genitrici ſuæ, ſummi Dei matri, cæli, terræque Reginæ dignitati correſpondens, donavit: *Mulier ecce filius tuus.* Et ſanè ſummo cum fundamento Joannes aſſimilari poteſt topaſio. Dicunt enim Naturaliſtæ, lapidem hunc facilem eſſe, ut omnem admittat ſculpturam & impreſſionem: ſic Joannes verus eſt topaſius; Chriſtus enim in eo facilè omnes divinas prærogativas, ſcilicet Apoſtoli, Martyris, Evangeliſtæ, Confeſſoris, Virginis, &c. inſculpſit. Deinde topaſius ſecundùm eoſdem hâc pollet proprietate, quòd ſi in aquam ebullientem immittatur, calor continuò tepeſcit, & ad priſtinum frigus aqua reducitur. Certè Joannes pretioſus eſt topaſius; etenim ipſe in oleum ebulliens immiſſus, etiam ſua virtute, à Deo ſibi conceſſa, ejus calorem temperavit, & incolumis evaſit. Sed non tantùm hujus pretioſæ petræ topaſii Ioannes poſſidet proprietates; verùm auſim dicere, ipſi omnes quoque omnium petrarum convenire virtutes. Et in primis adamantis, cui ob innatam ſuam duritiem, quâ ferro, & malleis reſiſtit, fortitudinis, & conſtantiæ ab Ægyptiis attribuitur hieroglyphicum, teſte Pier. *Per adamantem verò ea fortitudinis virtus oſtentatur, quâ quis ea adverſa, quæ acciderint ferendo pervincat, ſecundis nil quidquam immutetur; atque, ut apud Horatium eſt, rebus anguſtis animoſus, atque fortis appareat; itemque vento ſecundiſſimo duce vela contrahere, ſapientiam didicerit.* Ex iis, quæ jam ſtatim diximus, quilibet prudens lector Ioannem Evangeliſtam adamantem eſſe facilè dignoſcet; etenim in luctuoſa illa, quam Hebræi exhibuerunt tragœdia, in funeſto paſſionis dilecti magiſtri ſui ſpectaculo invictam ſuam & generoſam oſtendit conſtantiã, & illi imperterritus ac immotus ocularis aſtitit teſtis. Ioãnes eſt ille adamas, qui

Matth. 4. v. 18.

Pier. l. 42.

qui gloria transfigurationis, nec minimùm elevari, nec hoc tristi casu minimùm dejici potuit, sed cunctis omnium malleorum adversæ fortunæ ictibus viriliter obsistens, sese, tamquam scutum Christo obtulit, quo omnium hostium feralia tela facilè retunderentur. Et hæc animi serenitas Ioanni planè erat necessaria, ut Christo & in hac esset simillimus. Salvator enim, qui bene petra dicitur: *Petra autem erat Christus*, est verus adamas, ut disertè asserit Adamantius; sic namque inquit: *Et singularis ille & divinus, cælestis, atque incorruptibilis adamas, unigenitus Deus, à Patre ad terram missus, de quo Deus Pater: Ecce ego ponam adamantem in medio populi mei, quem neque ignis tentationum in deserto comminuet, quem ictus, verbera, plagæque impiorum in cruce non atterent, quem neque sepultura, neque descensus ad inferos, vel minimùm violare poterunt, sed omnia superabit, seseque divinum, & incorruptibilem probabit adamantem.* Et ideò Dominus Ioannem super incudem passionis suæ posuit, & diris, atque ponderosis flagellorum, dolorum, & gravissimorum tormentorum malleis internè, & in animo percuti permisit, ut adamantis veritas pateat, ejusque splendor magis elucescat.

Verùm, cùm Ioannem pretiosam nostram petram attentiùs perpendo, nulli rectiùs plane comparari posse autumo pretioso lapidi, quàm Opalo; sicut enim hæc petra secundùm Naturalistas, cæteras longo intervallo in dignitate antecellit, eò quòd omnes aliarum in se sola comprehendat virtutes & perfectiones; ita Ioannes nobilissima petra (ut dixi) omnium Sanctorum ornatus est prærogativis. De Opalo ait Plin. *In eo carbunculi ignis, & amethysti fulgens purpura, & smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia inveniuntur.* (Plin. li. 36. c. 6.) Unde, si Opalum quis versus Orientem intueatur, ille totus candidus instar nivis repræsentatur. Si ad Occidentem, ardens & rubicundus apparebit. Si verò illum quispiam contempletur versus meridionalem, ipse colorem præfert ad instar amethysti purpureum. Si ad septentrionalem, ut jaspis fulget; ita ut in Opalo cernatur amethysti purpura, smaragdi viror continuus, atque carbunculi fervens, ac lucidus ignis.

Ecce Opalus est viva & perfecta imago pretiosæ, & inæstimabilis nostræ petræ Ioannis, in eo enim comperies amethysti purpuram, id est, admirabilem abstinentiam & sobrietatem, quæ amethysti apud quosdam habetur, ut testatur Pier. hieroglyphicum: *Neque desunt*, inquit, *qui amethystum pro sobrietate poni dicant.* Et rationem subnectit, *quòd ejusmodi lapidem contra ebrietatem stare apertum est. Non enim vino tentari potest, qui eum gestat.* In illo quoque relucet ardentissimus ad instar carbunculi erga Deum, & magistrum suum (ut jam ostendi) amor, quem nulla interturbare potuit adversitas, nulla valuerunt temperare, & tepefacere tormenta; sed è contrà, ut oleum ignem, ita & illa ejus fomentarunt charitatem. Nec ei deest smaragdi hieroglyphicum, quod est puritatis, & virginitatis: *Sunt, qui perpetuò*, inquit Pier. *claroque smaragdi virore considerato, signum id esse virginitatis velint.* Ipse namque ob hanc eximiam virtutem, quam totâ suâ vitâ tenerrimè adamavit, specialiter præ cæteris dilectus fuit. Et altiùs etiam, dono scilicet excellentissimo, Maria Dei genitrice, meruit honorari: *Virginem enim Virgini commendavit.* Tandem præclara jaspidis illi nequaquam deest virtus, & hieroglyphicum. Iaspidem enim pro gratia poni, quod inquit rursus Pier. *Authores tradunt sumptum ab ejus vi, quòd mortalibus persuasum, gemmam eam hominum gratiam conciliare erga gestantem.* Unde non curiosè dictum à Virgilio volunt.

Illi stellatus jaspide fulvâ ..... Ensis erat.

Verissima jaspis est Ioannes; hoc enim nomen ipsam gratiam significat, estque propter raras virtutes, atque perfectiones ipsimet gratiæ per essentiam, Christo Iesu simillimus. Nec profectò jaspidis admirabilis, homines peccatores Deo reconciliandi, & reos in irati Dei, & offensi gratiam reducendi, deneganda est potentia, modò eam secum gestent, id est, modò Ioannem Evangelistam venerentur, & piè colant. Quid enim tantopere dilecto summa poterit recusare Bonitas? quandoquidem amor ex essentia sua amantem vehementer instiget, ut amato in quacumque possibili occasione complaceat. Nec sane nobis minima de repulsa timoris scintilla affulgere potest: ubi ille, qui exorat, Mariæ matris misericordiæ est filius, cui hæc pretiosa gemma in perpetuum donata est ornamentum, & judicis ipsius frater. Ioannes namque demonstrabit Mariæ officiosum ei præstitum obsequium, sedulam in ea custodienda curam, Maria suum adjunget

junget & præsentabit Christo in eo lactando, enutriendo, &c. servitium: sanè non poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt pietatis indicia. Eja ergo, ô Christiani! hanc gemmam, hunc opalum tantam in se continentem virtutem, vobiscum portate, id est, Joanni salutem vestram confidite.

Nonius cùm à Nerone innocens Senator existens, in exilium missus foret, solùm petram opalum (ob quam quidam autumant Nonium hanc infamiam passum fuisse) secum asportavit. Ratus, ut aliqui volunt, sese tandem hac pretiosâ gemma Neronem in maligno proposito obstinatum, quandoque reconciliaturum. O peccator! ô fœdifrage! ô scelerate! si contingat te à patria cælesti exulare, teque justè à summo Nerone Deo, ob tua scelera offenso, exilii sententiâ noveris condemnatum, ah! opalum accipe Joannem, offer irato Deo speciosam hanc gemmam, repræsenta ipsi summam erga hunc Sanctum devotionem, & venerationem; nec dubium, quia illum placabis.

Ad te itaque cuncti recurrimus, ô divina, & inæstimabilis petra! tu es, ô Joannes, verus opalus, continens omnium petrarum perfectissimè virtutes: obsecramus ergo te, concede nobis ardentem carbunculi divinæ charitatis ignem, quo cor nostrum illuminatum & accensum, despiciat terrena, & unicè amet cælestia. Dona nobis continuum smaragdi virorem, & amabilem animæ puritatem, & continentiam: refræna divinâ gratiâ, tuâ nobis intercessione concessâ, inordinatos concupiscentiæ, & rebellis carnis motus: effunde nobis amethysti purpuram, id est, dota nos omnium virtutum candore: adde quoque adamantis in omni adversitate constantiam, ut cum Christo, Maria, & tecum in æternum gaudere valeamus: quod nobis concedat Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, *Amen.*

SERMO PANEGYRICUS
DE DILECTO MARIÆ VIRGINIS SPONSO
SANCTO JOSEPHO.

THEMA.

Cùm esset desponsata Mater ejus Maria Joseph.
Matth. cap. 1.

ARGUMENTUM.

E duobus fontibus, scilicet quod S. Joseph Sponsus Mariæ Virginis exstiterit, & pater putativus ipsius Christi, mirificæ, atque stupendæ eruuntur illius prærogativæ.

CUm attentè mentis oculos in admirabilem Mariæ Sponsi, Christique putativi patris sanctitatem, & eminentiam conjicio, nimio illius splendore, atque fulgidis virtutum, & perfectionum radiis obfuscantur; nec unde sermocinationem exordiar, video. Sicut enim Maria, ut vidimus, est immensum gratiarum mare, sic & illius sponsus Joseph. Unde dum tento discursu meo vela pandere, & hoc vastissimum transmeare pelagum: hîc

hic formidolosas carybdes, illic scyllas vereor: & quò me vertam, nescio. Etenim cùm Patriarcham nostrum Josephum cæteris comparo & assimilo Sanctis, eum cunctos longo intervallo in dignitate, atque sublimitate antecellere intueor. Hinc cogor exclamare: Cedant omnes totius cælestis curiæ incolæ sanctitatis lauream, prærogativam, & palmam, (quos, tam antiquum, quàm novum deprædicat, & extollit testamentum) sponso Mariæ Josepho. Non sese jactitet invictus, & gloriosus ille Israëlitarum dux Iosue: eò quòd sua potentia naturalem Solis coërcuerit cursum, eumque immobilem consistere fecerit, ut testatur Scriptura; cùm enim clamasset: *Sol contra Gabaon ne movearis*, subnectitur: *Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei: obediente Domino voci hominis*: nostro namque Iosepho non obedivit materialis hujus firmamenti Sol, verùm mysticum & increatum illud sydus, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Christus Iesus, Verbum Incarnatum: *Et erat subditus illis*, ait Evangelista Matthæus, & addit eruditissimus Didacus: *Quidquid præciperet, exequebatur*. Non amplius sese exaltet veteris Legis Patriarcha Ioseph, eò quòd divinè obscura Pharaonis Regis interpretatus sit somnia: hic namque Ioseph per cælestem spiritum in somno edoctus, puerum Iesum à tyrannide Regis Herodis, & dira morte eripuit: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Accipe puerum, & matrem ejus*. Sileatur modò de dilecto discipulo Christi Ioanne, nec ulterius plurimis eximia ejus celebretur puritas encomiis: ob quam Mariam, Christi genitricem, in custodiam & tutelam recepit: *Virginem virgini commendavit*: non extollatur, eò quòd in cœna suprà pectus Domini recumbens, divinorum consiliorum, & absconditorum mysteriorum gnarus, ac SSS. Trinitatis Secretarius fit effectus: *Cui revelata sunt secreta cælestia*. Etenim Patriarcha noster Ioseph admirabili quoque, imò & longè excellentiori modo in vero cum Maria contracto matrimonio, enituit continentiâ & castitate, juxta summum illud Ecclesiæ columen August. *Iosephus*, inquit, *carni, seu connubiali interierat cælesti quodam munere, & castimoniæ voto, quod antè voverat*. Ob quam raram virtutem Mariam Dei Matrem non in tutelam tantum, sed in legitimam accipere promeruit sponsam. Nec ei sanè cælestia relata sunt secreta, teste Bern. *Iosepho datum est conscium fieri, & participem cælestium Sacramentorum*. Imò neque hìc sistit doctissimus Rup. verùm Iosephum multis parasangis cunctis Patriarchis & Prophetis præeminuisse audacter asserit: *Ad minimum*, ait, *Prophetis ipsis, & Patriarchis Ioseph præcelluit, qui multis antè sæculis eum præcesserunt*. Deinde quoties dilectus Iesulus Iosephi manibus, & sinu non fuit exceptus, & pectus pectori, os ori, mutuò sese osculis salutando, applicatum? vi cujus indubiè revelata ei sunt secreta cælestia.

Iosue 10. v. 12, 13, 14.

Matt. 2, 3.

August.

Nec tandem adeò Ioannis Baptistæ encomiastes deprædicent præconia, ac raras prærogativas, eò quòd in utero materno ab originali macula meruerit mundari, & à pestifera hac lue liberari, & quòd ab ipsamet Veritate Christo Domino major inter natos mulierum sit declaratus; prima namque prærogativa illi asseveranter à doctissimo Gersone, (qui ejusdem Augustinum autumat fore sententiæ) attribuitur: *Qui cum perpetua Virgine*, inquit, *virgo permaneret, uterque regali progenie illustris, uterque sanctificationem in utero recipiens*. Secunda verò vix inferiori recompensata est elogio ab ipsomet Spiritu S. prolato. Ioseph enim noster per antonomasiam Iustus intitulatur: *Ioseph autem vir ejus, cùm esset justus*: *Matth. 1. v. 19.*
Quod encomium adeò exaltat S. Hieron. ut illud æquum omnium perfectionum & cælestium *Hieron.*
prærogativarum esse attestetur compendium: *Attende*, inquit, *Iosephum vocari justum, propter perfectam possessionem omnium virtutum*. Unde, dum Joseph tantis divinorum donorum, & gratiarum radiis decoratum conspicio, ei ingeniosum cujusdam appropriari posse mihi videtur emblema, qui in candidissimo linteo unicam delineatam, inter cæteras incomparabiliter in luce & splendore excellentem stellam depinxit, insigniquе hac nobilitavit epigraphe: *Inter sydera sydus*. Lucidissima namque est stella, quæ cæteros Sanctos in sanctitatis lumine antecellit, & in perfectione inter sydera eminet sydus; quoniam, cùm ipse à cælo electus Mariæ Virgini Dei genitrici sponsus, ipsique Christo pater sit destinatus, oportuit eum tantis prærogativis, tantaque excellentia reddi dignissimum. Et ex hoc capite in præsenti discursu mens est Iosephi eximii novi testamenti Patriarchæ laudes & encomia expiscari. Sed antè unanimiter Marianum imploremus subsidium,

sidium, ut mediantibus ejus precibus, Spiritus S. illustrari promerear lumine, ut scintillam saltem inexplicabilis illius sanctitatis detegere queam.

Cùm esset desponsata mater ejus Maria Ioseph.

CUM in beatissimi Josephi laudes excurrere jam aggrediebar, in totam novi Testamenti Scripturam oculos conjeci, ut ex ea infallibilia tanti Sancti eminentiæ, & perfectionis eruere possem indicia; arbitrabar enim non infima in sacris Evangelistarum scriptis de Josepho comperire elogia, egregia facta, stupenda miracula, & exactam perfectissimæ illius vitæ enarrationem. Verùm plurimùm deceptus sum: etenim, sicut in Marianis decantandis laudibus admodum (ut vidimus, fuerunt taciturni,) ita & in depromendis Josephi Mariæ sponsi encomiis planè obmutescunt. Quòd si rursus tanti silentii ab iis fundamentalem exigam rationem, respondebunt cum disertissimo quodam Oratore, qui rogatus, ut mirâ suâ eloquentiâ, & exquisito stylo heroica Arcturis nobilissimæ, ac generosissimæ matronæ Gorgoniæ mariti gesta, prælia, varias feliciter expeditiones peractas, & innumeras victorias, animi dotes, mores, & omne, quod in ejus laudes vergere posset, describeret; tanto sese imparem judicans oneri, cuncta tacitè transiliens, brevem hanc contexuit oratiunculam: ***Vultis virum uno verbo describam? Vir Gorgoniæ, nec enim scio, quid amplius dici potest***; sic inquam respondebunt, sufficit hoc unicum dixisse in Josephi laudes: ***Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus.*** Quid enim præclarius, quid excellentius de Josepho, ad illius deprædicanda encomia, depromi potest, quàm eum esse genitricis virum, Christique patrem? Sic eruditè Evangelistarum taciturnitatem excusat doctissimus Vega, dicens: ***Longo verborum apparatu opus non erat, non ad multorum sermonum ambages lingua torquenda: dixisse sufficiat, vir illius est sponsus, & conjux sanctissimæ Virginis.*** His enim prærogativis, tamquam duabus basibus innititur tota magnitudinis & excellentiæ Josephi machina. *Vega serm. de Ioseph.*

Hinc Hieron. annotat, nomen Joseph augmentum significare, quod ipse colligit ex paterna benedictione Jacob, quam filiis jam moribundus est impertitus. Cùm enim Joseph eum accederet, Iacob ethymologiæ illius nominis non ignarus, accrescentis nimirum, specialem ipsi elargitus est benedictionem, & particularem quamdam donavit hæreditatem: *Do tibi*, inquit, ***partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.*** Verè summo cum fundamento dicere possumus, Iosephum antiquæ Legis Ægypti Conservatoris Patriarchæ, nostri Mariæ Virginis sponsi expressum extitisse typum; sicut enim ille in Ægypti salutem, & corporale nutrimentum suâ providentiâ frumentum conservavit: ita longè præstantius triticum, non in corporis sustentationem, sed in animæ spirituale alimentum, illum Angelorum panem mundo famelico asservavit. Et sicut ille filius intitulatur accrescens, quia cunctos fratres suos in dignitate, & prophetico spiritu procul antecelluit, ideòque & speciale, in evidens amoris testimonium, à patre donum recepit: ita & noster Ioseph verè accrescens, quia cæteros Sanctos in perfectione, virtute, & sanctitate superat, à supremo Jacob Deo nobilissimâ, & singularissimâ ditatus est prædâ, beatissimâ scilicet Virgine, quam verè de manu Amorrhæi, id est, infestissimi hostis dæmonis, calcaneo illius, scilicet Immaculatæ Conceptioni insidiantis, ab originali macula potenter præservando, eripuit. *Hieron. in c. 48. Gen.* *Gen. 48. v. 22.*

Deinde hanc etiam in suam recepit sponsam, quæ præda, quanta sit, quantæque æstimationis & pretii, non est operæ pretium denuò repetere. Etenim hoc satis clarè constat ex suprà dictis. Sed quid dico, Iosephum hâc unicâ præclarâ prædâ à Deo fuisse cohonestatum; adhuc namque ulteriùs filius accrescens Ioseph. Ecce enim Deus non contentus, tanto incensus erga eum amore, illi in sponsam dedisse Mariam: insuper etiam filium ipsi tradidit Jesum Christum in custodiam, & tutelam. Concludamus ergò, quòd verè mirabiliter accrescens filius sit Joseph. Audite quàm divinè hoc annotet D. Hieron. *Quando filio suo Ioseph benedixit, sic locutus est: filius accrescens Ioseph, quasi diceret, verè ô fili Ioseph! auctus es, & accrevisti, sicut nomen tuũ significat. Nam excelluisti, & in dignitatem provectus es tantam, ut omnium fratrum tuorum sis supremus, & qui natu penè ultimus eras, primus effectus sis sub honore* Et illud idem competenter adscribit Patriarchæ nostro privilegium, quia hoc nomen *Sponsus* Mariæ Virginis ex divino consilio sortitus est, *Hier. ibid.*

est ut potiori jure de eo dicere possimus, vir accrescens: *In tantam enim exaltatus est dignitatem, ut matris Dei, cui inter puras creaturas sanctitate & dignitate nihil est æquale, meruerit esse verus sponsus & verè unigeniti filii Dei Pater nuncupatus. Quibus duobus privilegiis & titulis auctus est suprà omnes Patriarchas & Prophetas, qui ante eum fuerunt. Quibus si adjungas, quod quem Reges & Prophetæ desideraverunt videre, & non viderunt: audire & non audierunt: ipse non solùm vidit & audivit, sed in ulnis sæpè portavit: frequenter amplexus & osculatus est: per plures annos cibavit, vestivit, & paternis officiis ipsi ministravit.* Unde Augustinus

Aug. ser. 3, de temp. Josephi ministerium Apostolico muneri præfert, dicens: *Ministerium Apostolicum est sub Christo, & propter Christum: ministerium autem Ioseph est propter Christum & supra Christum.*

Tria juxta sapientissimum Salomonem ad alicujus viri elevationem maximè conducunt: *Filii,*

Eccl. c. 40 v. 19. *& educatio civitatis conservabit nomen, & super hæc, mulier immaculata computabitur.* Sed nonne hi tres sublimitatis gradus apprimè quadrant Patriarchæ nostro Josepho? hoc quis denegabit? filius est Christus omnium totius universi, qui sunt, fuerunt & erunt filiorum dominus & creator, qui est Mariæ & Josephi filius. Quid autem eò æstimabilius? quid honorificentius? quidve nobilius? an fortè quispiam ei celebris alicujus civitatis ædificatoris adimere poterit titulum? sanè id temerè fieret, & non absque summa hujus Sancti injuria. Etenim si apud antiquos, tum Romanos, tum Athenienses ac Lacædemonios tantum cujuscumq; civitatis Deo tutelari & conservatori, quantum ejusdem exstructori deferebatur gloriæ & honoris: quid non dicam de Josepho, qui admirabilem illam civitatem, humanitatem Christi Jesu,

Psal. 86. v. 1. de qua dicitur: *Fundamentum ejus in montibus sanctis* tam fideliter custodivit, & contra omnes inimicorum insultus strenuè propugnavit? id vestro relinquo judicio. Si verò de tertio loquamur, nec minus apparet ei dictam per Salomonem convenire prærogativam. Etenim, si umquam

Hier. ibid. quispiam sponsam acceperit immaculatam, nonne noster Joseph? ipsa namque (ut abunde suprà dictum est) ab omni prorsus sorde peccati etiam originalis exstitit immunis. Concludo itaque tribus Salomonis rationibus non leviter sanctissimi Josephi summam apprimè stabiliri dignitatem.

Verum ut prolixius eam probem, mihi Mariana sufficiunt sponsalitia, & pro mille prærogativis unica divini fœtus deservit putativa filiatio; etenim si quidquam jam tritum, quod ubique invaluit axioma valeat: *Si vis nubere, nube pari*: Et si dicat D. Thom. *Quos Deus ad aliquod munus eligit & disponit, ut ad id idonei inveniantur.* *Thom. 3. p. q. 26.* Quid ego de Josephi disseram excellentia? qualis sit Maria ex ante dictis utcumque cognoscitis, & utcumque non cognoscitis: qualis quoque sit Joseph ex dicendis utcumque cognoscetis, & utcumque non cognoscetis. Hoc tantùm dico, si ut Dam. *Maria in perfectione cunctas totius universi superat creaturas. Attende Seraphim & videbis, quid semper majus & majus erit Virgo*: & ego subjungam Josepho parem aliquo modo convenire prærogativam. Dicto meo non obscurè opitulatur doctissimus Gerson: *Sicut decuit, ut tanta Maria puritate niteret, quâ sub Deo major nequit intelligi, ut ait Anselm. ita decuit, ut sanctus Ioseph tantâ prærogativâ polleret, quæ similitudinem & convenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam.* *Gers. ser. de Nativ. Virg.* Nec in hoc Patriarchæ nostro attribuendo elogio abhorret S. Bernardus: sed hanc clarissimè inter divinũ illum sponsum Josephum, & cœlestem sponsam Mariam reperiri asserit similitudinem hisce verbis *Quomodo cogitare potest mens discreta, quod tantâ unione uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei in virtute simillimam?* *Bernard.*

Ex his Bern. meisque verbis quispiam objectionem fortè satis difficilem eruere posset, secundum infallibilem Logicorum regulam: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Etenim dixi Mariam simillimam fuisse Christo filio (de similitudine loquor secundum participationem) nunc verò dico cum mellifluo Doctore, illam Josepho quoque fore simillimam: ergo rectè & legitimè potest inferri: Joseph est Christo simillimus. Sed ob hocne argumentum forsitan à tanti Patris resiliam opinione? neutiquam sanè, imò sequelam totam veneror ac accepto; quoniam, si Joannis Evangelistæ & Christi similitudinem ex variis capitibus demonstrarim: ea omnimodè Josepho quoque convenire ausus sum affirmare. Summam enim Patriarchæ nostro quis denegabit puritatẽ, cui SSS. Trinitas castissimam suam desponsavit filiam & sponsam, quæ virtus hominem mortalem immortali Deo reddit simillimum? sanè nullus. Eam namque prærogativam Moyses ipsi videtur promisisse Deut. cap. 33. dum eum Joseph benediceret, ait: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniet super caput Ioseph.* *Deut. c. 33 v. 16.* Quod non de antiqui, sed novi Testamenti intelligendum esse Jo-

ſeph, ſatis conſtat, quia iſte jam diu mortuus erat. Sed ô Moyſes! quid benedictionem rubi Joſeph attribuis? an forſitan aliæ tibi non ſuperſunt benedictiones? cur rubi uteris comparatione? optimè profectò, quia ſub hac rursùs eximia hujus Patriarchæ reſplendet continentia. Vult enim dicere, ſicut ignis conſumens, Verbum Incarnatum, rubum inflammens, id eſt, in Mariæ virginale clauſtrum deſcendens, illius non læſit nec commaculavit virginitatem: ſed ei conſervatæ adjunxit fœcundæ maternitatis benedictionem: ita aliquando in mundum futurus eſt unus Joſeph, qui inter flammas conjugii conſtitutus, carneâ commixtione neutiquàm combuletur, eique Virgini, paternitatis divinæ addetur benedictio, Unde ait de eo Bern. *Hoc dicto factum eſt, quemadmodum juſto Ioſeph deputaretur Virgo in conjugium: ita venerabilis ejus oſtenderetur in Ieſu matre virginitas.* *Aug. ſer. 3. ſup. miſſ.*

Et ſane non abſque fundamento à pluribus authoribus & SS. PP. virginitas immortalitatis titulo condecoratur. Ille enim non incongruè eruitur ex ipſiuſmet Spiritus S. verbis. Levit. cap, 21. *Levit. cap. 21. v. 1.* Deus vetat & inhibet ſummo Sacerdoti, ne mortuum accedere præſumat: *Ad omnem mortũ non ingredietur omninò* Et num. cap 6. *Super mortuum non ingredietur.* *Num. c. 6. v. 6.* Sed huic divino mandato, quod indubiè Joſeph quoque datum fuit, ipſum contraveniſſe primâ fronte apparet, dum oſſa ſua ex Ægypto ad terram promiſſionis transportari curavit: quod executus eſt Moyſes, ut habetur Exod. cap. 13 *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eò quod adjuraſſet filios Iſrael dicens: viſitabit vos Deus, offerte oſſa mea hinc vobiſcum.* *Exod. c. 13. v. 19.* Eaque penes ſe reſervavit, donec ad deſtinatum ſepulturæ locum perveniſſet. Quomodò itaque Moyſes auſus eſt Joſephi præcepto obedire, & divinam tranſgredi legem? Hunc ſubtiliter excuſat Iſiodorus notando, illa oſſa fuiſſe caſtiſſimi viri, qui ob ſuam puritatem non mortui, ſed vivi & immortalis nomen merebatur. Audite eum in Moyſis perſona loquentem: *Non violo nec ſolvo legem, ſed oſtendo rem ipſam, quæ per ſcripturam diligenter eſt attendenda. Nam qui vivens caſtitatem coluit, pro mortuo non habetur.* Nunc ego in laudem noſtri Joſephi à minori ad majus argumentor: ſi immortalitatis titulo ille eſt honoratus, quia rejectâ laſcivâ Putiphar uxore, illæſam cuſtodivit caſtimoniam; quid de hoc dicam, cujus puritas omnem planè omnium Sanctorum ſuperavit continentiam, hæc itaque Joſeph reddidit immortalem & Deo ſimilem.

Nec eſt, qui inficiabitur Joſephum à tenello puero, adinſtar alterius Joannis ſæpè ſæpiùs ſuper pectus ejus recumbentem, divinæ doctrinæ lac ſuxiſſe, ac mirabilia, dum illum toties in ſinu ſuo reclinavit, percepiſſe myſteria, præcipuè, ſi attentè illa divi Bern. conſideret verba: *Datum eſt ipſi conſcium fieri, atque participem cœleſtium Sacramentorum* *Rupert.* Imò & addentem amplius intelligat Rup. *Prophetis ipſis & Patriarchis Ioſeph præcelluit, qui nonnullis anteactis ſæculis præceſſerunt.* Præterea, ſi Joannem in Chriſtum quaſi tranſſubſtantiatum oſtenderim vi horum verborum: *Mulier ecce filius tuus*; quidni & ego dicam, quandoquidem non unâ vice, ſed frequentiſſimè Chriſtus cum patrem intitulaverit (ut præſumendum eſt ex Mariæ dictis: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*) *Luc. c. 2. v. 49.* Joſephum in Chriſtum fuiſſe, non naturâ, ſed gratiâ etiam tranſſubſtantiatum? meritò ſanè. Sed iis, quæ de Joanne dixi ſilentio ſuppreſſis, mens eſt particularem Joſephi & Chriſti ſimilitudinis rationem aſſignare, ſimulque & illius confirmare dignitatem.

Pro hoc ventilanda eſt difficilis ſatis quæſtio; an Joſeph ante Chriſtum ex hac vita migrârit? certum eſt inter SS. PP. maximam hac de re eſſe diſcrepantiam: alii enim mordicus affirmativam, alii verò negativam tuentur partem; pro affirmativa non debile ſane ab illis adducitur fundamentum; pro ea enim ſtat argumentum in præcedenti diſcurſu tactum. Si Joſeph ſupervixiſſet, indubiè Chriſti Domini cruci aſtitiſſet, & ſic Joanni matrem, ſed dilecto Mariam ſponſo commendaſſet. Fateor in laudem Joannis viventem Joſephũ Chriſtique paſſioni præſentẽ aſſerui, nunc in Joſephi laudem & præclara encomia (bonâ auditorũ gratiâ) contrariæ adhæreo opinioni, & ſatisfacio communi, quæ contra hanc profertur, objectioni. Scilicet, cur Chriſtus permiſerit, ut matris ſponſus, ac putativus ſuus pater tribus annis (ut iſti ſententiæ adhærentes fatentur) in limbo fuerit demoratus. Et cur Chriſtus ad trigeſimum uſque annum exſpectaverit prædicare verbum Dei?

Pro quo annoto id, quod de Chriſti Domini præcurſore Joanne Baptiſta ait ſcriptura: *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes,* *Luc. c. 1. v. 6. 7.* ſubditque mox ejus legationis motivum, *ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Sed hoc teſtimoniũ primâ fronte mihi valde apparet impertinens; vel enim Chriſtus erat vera lux, vel non; aſſerere, quod non, blaſphemum eſt, & directè ſcripturæ repugnans, *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientẽ* *Verſ. 9.*

in hum

in hunc mundum. Quod si ita est, ad quid opus erat Joannis testimonio, quandoquidem lux nullum habeat contrarium, nec in subjecto ullam, vel minimam exigat dispositionem: sicque hujus naturæ, ut in instanti lumen suum per totam sphæram suæ activitatis diffundat, & sese ipsam sufficienter patefaciat. Deinde Joannes Baptista à teneris annis confugit ad desertũ, in quo multo tempore est commoratus, quod divinæ commissioni videtur contravenire; si enim in mundum venisset, ut testimonium perhiberet de lumine, convenientiùs inter populum conversatus fuisset, sicque sæpiùs & pluribus Messiam mundi indigitasset.

Ad hanc difficultatem dissolvendam operæ pretium est, secundùm naturalistarum judicium, advertere maximã inter pretiosas petras reperiri differentiam: aliquæ enim ad suam ostendendam pulchritudinem & splendorem indigent luminis adjutorio, ut rubinus, smaragdus, &c aliæ verò absolutè densas exigunt tenebras, ut piropus & absten: hic est casus noster. Christus Dominus pretiosa erat petra, *Petra autem erat Christus*, sed piropus, qui in tenebris hujus mundi debebat elucere, *Ego sum lux mundi*, ait per Joannem c 8. Sed ad quid illuminandum, respondet Luc. c, 3. *Illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis sedent.* Joannes verò, quamvis non foret lux per essentiam, sicut Christus juxtà illud Joannis, *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*: tamen erat petra lucens per participationem, secundùm ipsiusmet Christi infallibile testimoniũ, *Ille erat lucerna lucens & ardens.* Joannis c. 5. Quid itaque opus, inquit Christus, ut mea lux resplendeat, & per mundum elucescat universum? profectò necessariæ omnimodò sunt tenebræ, ista itaque ardens & lucens lucerna abscondatur, & ad eremum sese recipiat, ne piropi impediat splendorẽ, in carcere ipsi truncetur caput, ne sanctitatis lumine meam (quæ omnem longè lucis antecellit perfectionem) lucem obfuscet; eum enim oportet in claritate minui, & Christum in cruce, obscurato sole, pendentem in tenebris crescere.

Ioan.c 8. v. 12.
Luc.c.1. v. 12.
Ioan.c. 5. v. 35.

Ex hoc innotescet, cur fatum omni homini commune, Christus putativo suo patri tam citò concesserit? Joseph lux magna erat, qui tamquàm lucerna ardens & lucens, ac splendore puritatis atque charitatis igne coruscãs, ab Angelo admonitus, per densissimas tenebras de nocte surgens, puerum & matrẽ arripuit, & tamquàm fælix luminare ad portum Ægyptiacũ produxit. Si itaq; Joanni ex divina providentia vertex decutiatur, ne piropo pretiosissimo isti petræ auferatur, aut, ut melius dicam, obnubiletur Christi Domini splendor: quidni & ego summo cum fundamento dicere possum, ob eandem rationẽ Josepho Patriarchæ nostro quietam & omninò tranquillã à Deo permissam fuisse mortẽ. Hoc ego non fingo, sed solummodo innixus Dam. verbis, piè assero, qui ad nostrum institutum appositè de Josepho ait: *Clauduntur ejus lumina, & lucerna vitæ extinguitur, ut veræ lucis splendor appareat.* Et hinc, dum Christus duodecim existens annorum in medio Doctorum in templo Jerosolymitano, tamquàm piropus paternam eos publicè docens legẽ, splendescere vellet: sese à Josephi & Mariæ abstraxit consortio; utpotè qua (ut suprà vidimus) omnem omnium syderũ lucem in se comprehendit. Unde sicut, illis abeuntibus, divinus hic piropus statim lumen suum diffundere incepit, ita tam citò, ac duæ splendidissimæ petræ rubini, pater & mater tristes, ob deperditũ filium in templo apparuerunt, confestim lux piropi Christi obfuscata est, nec ulteriùs de proposita materia disserere pertexit, sed subitò surgens, *descendit cum illis in Nazareth.* Piropus enim splendescere non potest, nisi in tenebris. Hinc quoque Mariæ matri convivarum misertæ in nuptiis Canæ Galilææ, ob vini penuriam, dicenti: *Fili, vinum non habent*, Christum respondisse, qu dam autumant: *Nondum venit hora mea.* Ac si diceret, ô Mater! piropus sum, qui in tenebris lucet, & tu splendidissimus sol, quomodò itaque per miraculum, quod à me exigit, potero à te præsente lucere? non venit hora mea, scilicet tenebrarum, quas piropus expostulat. Nolens tamen Christus in quopiam minimum honori genitricis suæ inferre detrimentum, voto ejus annuit, ac divinâ suâ potentiâ aquam in vinũ commutavit. Imò forsitan & ob hoc Christus, quando ivit per Judæam verbum divinum disseminatum, Mariam matrem suam secum non assumpsit; vel si quandoque contigerit, eam in civitate, in qua prædicabt Christus, fuisse præsentem: tamen illam prædicationi suæ interesse non permisit, ut satis clarè deduci potest ex illis Matth. verbis: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant.* Ut sese verum fore piropum ostendat.

Luc.c.26 v. 51.

Et hanc genuinam asserunt aliqui esse rationẽ, cur non nisi, transacto trigesimo anno, prædicatũ ierit Dominus; scilicet, quia ante mortem Joseph, ob rutilantis hujus petræ præsentiã, divinus piropus quasi obfuscari verebatur. Valeat jam ab

illis assignata ratio in quantum potest, ego aliam in honorem Patriarchæ nostri Josephi, ex pulcherrima quadam historiola dilucidata, adducam, ubi tamen prius difficiliorem forsitan proposuero difficultatem. Nimirùm cur Pater æternus, non in tenera ætate, verùm triginta elapsis annis, suum denunciaverit filium Verbum Incarnatũ in monte Thabor, clamans sonorâ voce: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quoniam, dignumne hoc est tàm præclarum & dilectum filium mundo ad tantum tempus celare? numquid eum in Nativitate, in Circumcisione, dum primum obedientiæ Patri, tenelli corporis sui sanguinem effundendo, obtulit testimonium, conveniens erat suum proclamare filium? sane id ratio videbatur exigere. Cur itaque ad trigesimum præcisè Christi ætatis annum exspectavit? Hoc mysterium ex quadam historiola dignoscemus.

Matth. c. 17. v. 5.

De Peniclo Rege veteres referunt Annales, quod ipse certo quodam tempore familiari suo amico Memnoni proprium suum filium, aulicis incognitum, tradiderit educandum. Hunc jam adultum putativus pater Memnon instantibus precibus à Peniclo patre filium Regis coram tota Aula proclamari, & unicum paterni Regni hæredem declarari expostulavit: Sed ipse blandis verbis sese excusavit, & parumper adhuc hanc declarationem esse differendam asseruit. Accidit paulò post quod parcæ Memnoni vitæ resciderint filum, quo facto, absque mora Peniclus unigenitum filium suum ad Regium palatium convocavit, & præsentibus totius Regni Statibus, eum legitimum paternorum bonorum declaravit successorem. Cumque à Nobilibus interrogaretur, ob quod motivũ tanto tempore toti patriæ gratum hoc nuntium differre voluisset: modeste respondit: *Quia tanta reverentia debebatur Memnoni, amico & putativo patri.*

Haud dissimiliter respondebit Pater æternus, si his verbis à quopiam interrogetur: ô Pater! ô cœlestis Monarcha! cur dilectum filium tuum Christum citiùs non declarasti, eumque fore divinam (ut ita dicam) prolem à fæcundo intellectu tuo ab æterno productam, in tempore humanâ carne vestitam, atque verum Messiam non denunciasti? respondebit, inquam paulisper similem declarationem esse differendam, atque Josephi mortem exspectandam: *Quia tanta reverentia debetur Iosepho amico, & putativo Christi patri.* Ah! quæ gloria, quæ Patriarchæ nostra magnificentia! ecce mavult Pater æternus, mavult & Filius, qui suam ad illius semper dirigit voluntatem æternam subticeri filiationem, ne eâ declaratâ, putativa Christi Josephi periret paternitas. Hoc divinè confirmat Philo, de Patre æterno ad objectam respondens quæstionem: *Distulit usque ad Baptismi horam ugeniti Filii sui Patrem declarare, quia jam patris nomen Ioseph concessum erat, & ne Ioseph paternitas imminueretur.*

Modò facilè capio alterius cujusdam, quam Chrysost proponit, difficultatis solutionem. Is enim annotat Christi verba apud Matth. registrata c. 12. quibus annuntianti: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te*: respondit, *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*, petit, cur quoque Christus non addat nomen *Pater*? Illud enim vocabulum adhuc strictiorem justi cum Deo indicasset conjunctionem. Rationem allegat, quia magnificus Christi Patris titulus soli Josepho reservabatur, illoque specialiter erat condecorandus: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Audite Chrysostomi verba: *Non ait pater, quia solum hoc nomen Iosepho reservabatur, tamquàm ei proprium & speciale* O titulus excellens & omnia procul antecellens elogia! ô eximia Christi Domini humilitas & abjecta exinanitio! Ecce qui æterni Patris Dei unigenitus ab æterno est filius, non dedignatur in tempore hominis mortalis Josephi nuncupari filius, sed ob singularem ejus erga sponsum matris amorem, Josephi patris titulo summoperè gloriatur, teste Isidoro in persona Christi dicente: *Ego conversatus sum in omnibus cum Iosepho, sicut essem filius ejus, & vocabam Iosephum patrẽ, & ipse me vocabat filium suum, & diligebam Iosephum sicu pupillã oculi mei.* Et hinc est, quod ne quidem Spiritus S. (cujus tamen operâ & virtute, admirabile illud Incarnationis Mysterium, virilis supplendo seminis defectum, peractum est) nomen patris sibi voluerit usurpare, ut curiosè annotat doctissimus Osorius dicens: *Quod opere viri efficiendum erat Spiritus S. implevit, & tamen sibi nomen patris non usurpat, sed Iosepho tradit.*

Mat. c. 12. v. 47. v. 50.

Luc. c. 2. v. 48.

Isiod.

Ex jam dictis incipit elucescere omnem Josephi eminentiam atque celsitudinẽ rectè depromĩ ex eo, quod putativus Christi Domini pater, atque Mariæ verus extiterit sponsus. Unde sicut SS. Evangelistæ ad Marianas deprædicandas laudes & eximia decantanda encomia, nil in medium protulêre, nisi *de qua natus est Iesus*: ita ipsi omnibus altissimo silentio suppressis Josephi virtutibus, mirabilibus operibus, ac infinitis miraculis, nil in ejus

ejus adducunt gloriam, nisi hoc elogium: *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus*; quia in hoc summa illius dignitas consistit. Hinc & Josepho illud ipsum sponsæ suæ appropriari apprimè potest dictum: *Sufficit te filium habuisse Christum, & Mariam sponsam.* Quod continuò innuit Spiritus S. de illo loquens, ut curiosè animadvertit Bernard. numquam enim contentatur sese dixisse, Josephum fore Mariæ Virginis sponsum, sed semper etiam addit illi titulum & elogium Christi patris, sicuti patet ex loco jam citato Matth. cap. 1. *Ioseph, Virum Mariæ, de qua natus est Iesus.* (Matt. c. 1. v. 18.) Et iterùm versu 18. *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Ioseph.* Nonne enim sufficiebat dicere Josephum in dilectam sponsam nobilem illam filiam Mariam, è regio & sacerdotali stemmate oriundam accepisse? ad quid continuò adjungere ab ipsa productum esse Christum? id sane suo nequaquam carere dicendum est mysterio. Cujus dilucidationem, ut enucleatè ac perfectè attingamus.

Operæ pretium est vulgari quadam uti similitudine. Evenit quandoque, quod filia aliqua nobiloris familiæ amore capta, neglecto domus suæ splendore, etiam invitis & contradicentibus parentibus, plebæum quemdam ex vili stirpe procreatum, in legitimum suum capiat sponsum; ob quam ignominiam stomachatus pater, illam exhæreditat, & domo suâ, imò si in ipsius sit potestate, etiam civitate expellit. E contrariò, si cum nobili sibique æquali matrimonium contrahat, nuptias filiæ solemnizat, palamque nobilem contractâ affinitatem propalari desiderat, quia tali connubio familia sua altius sublimatur. Nunc ad rem nostram. Maria nobilissima filia nobilissimo conjungitur spôso Josepho, cujus prosapiâ sceptro, coronâ atq; regiis titulis ad amussim sacri adornant Chronologistæ, ut testatur S. Bern. annotans hoc Matth. c. 1. *Fili David*, & illud Luc. c. 1. *cui nomen Ioseph, de domo David.* (Matth. c. 1. v. 20. Luc. c. 1. v. 27.) *Verè*, inquit, *de domo David, verè ex stirpe regia descendit vir Ioseph. Nobilis genere, Nobilior mente, planè filius David, non degenerans à patre, filius David, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione.* Hinc, quia admirabile hoc connubium in æterni Patris cedit gloriã, à suis Evangelistis, non tantùm declarari mandat, ut Joseph Mariæ sponsi honoretur titulo, sed etiam vult, ut addatur sponsam ejus fuisse Christi genitricem, ac per consequens & ipsum ejus patrem putativum? quia non minorem à Josepho nobilitatem temporalis filius, Verbum incarnatum, quam Pater æternus acquirit splendorem. Ac proinde si, ut dixi conc. 22. Verbum præ cæteris SS. Trinitatis personis ratione filiationis à Mariæ maternitate contractæ, fuerit exaltatum, haud aliter idem ex putativæ (ait enim Luc. c. 3. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, & putabatur filius Ioseph*) (Luc. c. 3. v. 23.) filiationis relatione summam adipiscitur nobilitatem. Unde, si Maria ejus sponsa, & Dei genitrix, ob suam maternitatem quàm optimè gloriari possit, & dicere: *Magnificat anima mea Dominum*, idem etiam audacter ob suam paternitatem asserere potest sponsus Mariæ, & Christi putativus pater. Audite aurea mellifluì Doctoris Bern. verba meum dictum apprime confirmantia: *Per Evangelistas etiam describitur paternitas Iosephi, ut Christi nobilitas exprimatur. Fuit ergò Ioseph tantæ nobilitatis, ut quodammodo liceat dicere, dederit nobilitatem temporalem Deo in Christo Iesu Domino nostro.* (Bernard. serm. 3. de Ioseph.) Sicque, & ob hoc dicit Angelus: *Hic magnus vocabitur.* Imò quanti Deus Josephi æstimet genealogiam, satis colligere est ex magna aliarum genealogiarum in scriptura recensitarum, & illius differentia. Omnes enim aliæ à Patre describuntur per descendentiam ad filios, nepotes, cognatos &c. verum Josephi genealogia ascendendo Spiritus S. enarratur per Lucam: *Ioseph, qui fuit Heli*, usque ad Deum ipsum vers. 38. *qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* (Luc. c. 3. v. 23. v. 38.) Ecce quantam nobilitatem sibi à Josepho ipsemet supremus advenire existimat Dominus, quod ejus genealogiam per ascensum ad semetipsum velit derivari.

Nec mirum Spiritus S. (ut jam dixi) sibi nomen patris non arrogasse; etenim hujus tituli Deus ipse maximè est zelotypus, imò & audeo dicere plusquam suæ divinitatis. Siquidem numquam legimus in scriptura illum alicui creaturæ, vel hominibus, vel Angelis patris nomen, bene tamen divinitatis communicasse, ut patet ex Gen. c. 7. quoniam mittens Moysem servum suum fidelissimum, (Gen. c. 7. v. 1.) ut populum Israelitarum à durissima Pharaonis servitute liberaret, eum tantum onus detrectantem confortans, ait: *Constitui te Deum Pharaonis.* Item Gen. c. 32. Angelo eumdem titulum concessit, ut ex illius verbis Jacob liquidò constat dicentis: *Si contrà Deum fortis fuistis, quantò magis contrà homines prævalebis*, (Gen. c. 32. v. 26.) imò sæpissimè ipse Deus per Angelos sua denunciari jussit præcepta; verum, dum filium suum unigenitum in monte Thabor declaravit; non humano, aut Angelico usus est servitio, sed ipsemet illo munere fungi absolutè voluit, ne scilicet quispiam, dicendo: *Hic*

Anseml in Ep. ad Gal. c.5. Greg. l 18. Moral. c.2, Hier. in Ep. ad Gal. August. l 3. de civit. Dei. c ultimo Iust. q. 142.

est Dei filius, forsitan putativi patris nomen acquireret. Quandoquidem itaque hunc titulum patris Deus dilecto Mariæ sponso Josepho attribuerit, imò quod magis est, ipsi quasi in illum absolutum transtulerit dominium: consequens est, Josephum hâc prærogativâ quoq; Angelos ipsos antecelluisse. Et hoc totum quàm plurimi constanter asserunt SS. PP. qui firmiter autumant, Deum nec Moysi, nec Jacob, nec Patriarchis, nec Prophetis in propria persona, sed per Angelos primæ veritatis ministros, fuisse locutum. Ob quod munus ipsi etiam Dii nuncupabantur. Quod clarissimè confitetur Justinianus dicens: *Angeli omnes, qui locum obtinere jussi sunt & hominibus locuti, sunt Dei etiam appellati nomine*, ut is, qui cum Jacob, & Moyse locutus est: *Ego sum Deus Abraham, &c.* Concludo itaque finaliter, quod æternus pater suam pluris æstimarit paternitatem, quam ipsammet divinitatem.

Nec minus zelotypus fuit Christus Verbum divinum Incarnatum filiationis, quam ipsemet æternus Pater suæ paternitatis, quoniam, cum ab æterno à SS. Trinitate deliberaretur pro prævio humani generis lapsui necessario adhibendo remedio, & rei inspectâ difficultate, Deus diceret *Quem mittam, & quis ibit nobis*? statim secunda in SS. Trinitate persona, quæ est & unigenitus à Patre æterno productus filius, respondit *Ecce ego, mitte me.* Idque ideò ne si fortè pater, aut Spiritus S. humanam assumpsisset naturam, filii nomen, quo ipse vi æternæ generationis gaudebat, acquireret per temporalem Mariæ Virginis generationem. Neutiquam enim, ut ait Beda *Conveniens erat, ut duabus personis titulus filii, diverso respectu conveniret, sed congruum omninò erat, ut ille, qui æterni Patris unigenitus erat filius, etiam matris unicus in tempore foret partus.* O mirifica Patriarchæ nostri Josephi excellentia! ô admirabilis sponsi Mariæ dignitas!

Isa. c.6. v.8.

Verùm, ut hæc manifestiùs appareat, sigillatim parumper illius prærogativas examinemus, quas aliquantulum, si non totaliter, dignoscemus ex communi illo (quod supra jam tetigi) adagio: *Si vis nubere, nube pari.* Fateor hoc hominum politicum dumtaxat est consilium, & quàm maximè fallibile; plerumque enim paritas stemmatis, genii, ætatis, atque divitiarum inter matrimonium contrahentes speratur, & tamen sæpè sæpiùs magna fraus reperitur. Ast quandoquidem sanctissimum hoc conjugium à tota SS. Trinitate, quæ nec decipi, nec decipere potest, fuerit decretum, infallibiliter sequitur, inter omnes mortales sponsum Josephum Mariæ sponsæ fuisse infectione simillimum. Difficilis fateor hæc est sequela, etiam, cum Mariæ omnes omnium Sanctorum adscripserim prærogativas, illas quoq; in sancto Josepho proportionaliter invenire oportet. Quod, ut ostendatur, singulæ singulorum maturè considerandæ sunt virtutes. S. P. N. August. tantam complecti desiderans Josephi sanctitatem, dum per antonomasiam annotat à Spiritu S. honorari elogio Justi: *Ioseph autem, cum esset justus*, qui titulus profectò justum omnium virtutum videtur compendium. Et in primis S. P. N. August. in hunc locum, *cum esset justus* vi tò *Iustus*, Josephum cæteros Confessores superare asserit: *Iustum*, inquit, *notat Ipsephum, ex eo quod præ cæteris omnia Dei servasset mandata.* Augustino egregiè concinit doctissimus Isolanus de Josepho dicens: *In ordine Confessorum primus nominandus est: nam non fas esse videtur, ut inferiorem obtineat locum, cui Salvator suprà se locum concessit; nec subjici debet nomen ipsius alteri, cui Christus ipse se subjecit.* Quod autem sponsus sponsæ Mariæ in virginitate, & mirabi puritate fuerit æqualis, apertè indicat Dam. virginitatis præeminentem virtutem ex his deducens sponsalitiis. *Sicut decuit, ut Virgo summâ puritate niteret: sic decuit, ut suo modo parem sponsum haberet, qui cum perpetua Virgine virgo permaneret.* Huic quoque accinit Ansel. *Sicut decuit, ut tanta puritate Maria niteret, qua sub Deo major nequeat intelligi: ita decuit, ut Ioseph tantâ prærogativâ polleret, qua similitudinem & convenientiam talis sponsi, ad talem sponsam contineret.* Et ex hoc assumpto, quod verissimum putat, legitimam infert consequentiam: ergò Joseph fuit super omnes homines puros maximè similis Virgini gloriosæ.

Matth. c.1. v.19.

August. in hunc locum l.6. de nat. & gratia

Isolanus.

Dam.

Anselm.

Neque Patriarchæ nostro profunda, quâ & sponsa sua Maria mirificè dotata fuit, scientia, doctrina, divinorumque mysteriorum plena cognitio, & Prophetarum denegata est prærogativa; etenim, si dum Rex Ægypti Ptolomæus de pædagogo filio adsciscendo deliberaret, sapientissimum, modestissimum, prudentissimum totius sui Regni, omnique virtutum genere egregiè excultum consulem elegerit Marcum Lepidum, ut narrat Val. Max. *Marcus Lepidus Custos & Tutor Regis*: idque, ut juvenis cum tenera ætate ex continua conversatione illius mores, & præclaras dotes imbiberet, rectamque vitam ad Marci Lepidi exemplum componeret. Si hoc factum sit, inquit Franciscus Vangerius, sic à minori ad majus argumentor. Si terrenus

nus Princeps pro filii mortalis educatione tanta
cum sollicitudine bene morigeratum inquisivit
tutorem: quantam dicendum est Deum adhibuisse
Bernard. se curam pro eligendo isto, quem, ut ait Bern. *Con-*
stituit Dominus suæ Matris solatium , suæ carnis nu
tritium, solumque in jus magni consilii Coadjutorem
fidelissimum Audite Francisci verba : *Si Rex ter-*
renus volens providere filio suo de nutritore, & con
servatore, elegit sapientiorem, quem invenire potuit,
& Deus elegit Ioseph in custodem sponsæ suæ, & nu
tritorem filii sui, sequitur, quod fecit eum dignum &
sapientem. Et quamvis talis pædagogus Christo
nullatenus esset necessarius, ut ab eo meliores mo-
res, & magis rectam vivendi normam addisceret;
utpotè qui impeccabilis erat, & infinitè perfectus;
attamen congruum erat, ut putativus ejus pater et-
iam tanto filio esset decentissimus, & in eo tutan-
do sapientissimus. Hinc Bern. scientiæ Josephi &
prudentiæ maturè considerans supereminentiam
ait : *Datum est, Iosephum conscium fieri, & partici-*
pem cælestium Sacramentorum, Imò addit Rup.
Prophetis ipsis, & Patriarchis Ioseph præcelluit, qui
nonnullis ante sæculis præcesserunt.

Et quid mirum ? si enim , ut in præcedenti dis-
cursu ostendi, Joannem Doctorum fuisse aquilam,
altius cæteris volantem, quia suprà pectus Domini
in cæna recubuit, è quo fluenta Evangelii abundè
potavit? quid dicemus de Josepho, qui triginta an-
nis cum eo est conversatus, & toties illum adhuc
tenellum suprà proprium pectus portavit, sicque
suum Christi pectori applicuit? Sic rursus à mino-
ri ad majus argumentatur præfatus author. S. *Io*
annes, inquit, *per modicum tempus suprà pectus Do-*
mini obdormiens, fluenta Evangelii de sacro Domini-
ci pectoris fonte potavit : quæ fluenta potare potuit di
vus Ioseph, qui tanto tempore cum eo dormivit , &
habitavit? Et hinc etiam à minori ad majus ex il-
lo supra Joanni attributo emblemate , in Josephi
laudem quoque ratiocinari licet ; Si Joannes dor-
miens tantis à Christo dotatus sit privilegiis, qui-
bus Josephum, qui toties, ac tot annis Jesulum vi-
gilans in brachiis portavit, non asseremus locu-
pletatum prærogativis? & quanto potiori jure ei
non adscribemus epigraphen, *Quid expergefactus?*

Deterreor, cum jam cæteras, quas supra excelsæ
isti Reginæ attribui, attingere cogor prærogativas,
& ostendere eas Josepho quoque convenire ; et-
enim Mariam cunctis in eminentia, & perfectio
ne præeminuisse constanter, & veraciter dixi. Sed
quomodo eamdem excellentiam (non quantùm
ad intensionem virtutum de sponsi & sponsæ ago
similitudine, sed quantum ad qualitatem) Josepho
adscribere præsumam, dum audio dicentem Pau-
lum de Apostolis, quod sint ipsi *primitias spiritus* Ad Rom.
habentes Imò & asserentem Apostolorum gratiam c. 8. v. 23.
fore superabundantem *secundùm divitias gratiæ e-* Ad Ephes.
jus, quæ superabundavit in nobis: Et divum Thom. c. 1. v. 8.
Temerarium est , aliquem Sanctorum Apostolis præ-
ferre. Attamen, ut dictum meum, quod tantum ut
pium, & in Josephi honorem prono, sine alicujus
Sancti præjudicio plausibiliter probem, & subli-
mi huic Patriarchæ etiam super Apostolos con-
cessam esse aliquam celsitudinem, ostendam, co-
actus scilicet pungenti satis in contrarium opi-
nantis Bern. sententiâ exclamantis : *Quomodo co-* Bern
gitare potest mens discreta, quod tantâ unione uniret
menti tantæ Virginis aliquam animam , nisi ei vir-
tutum operatione simillimam? Animadvertere o-
portet mysteriosam in locum Judæ Domini tra-
ditoris successoris Apostoli electionem, quam no-
bis sacra commemorat historia, Act. c. 1. *Statue-* Act. c. 1.
runt (scilicet cæteri Apostoli, aliique Discipuli) v. 23.
duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognomi-
natus est justus. & Matthiam, ut divina Majestas
sorte, quem è duobus eligeret, dignaretur osten-
dere : *Et dederunt sortes eis & cecidit sors super Mat-* vers. 26.
thiam , & annumeratus est cum undecim Discipu-
lis. Hic obstupefactus Laur. Just. exclamat : *Quis*
non prætulisset ex his Ioseph justum cognomento , &
vita? & tamen aliter judicavit Omnipotens, cujus
judicia ab humanis dissimilia sunt. Verum cur? id
in Josephi putativi Christi patris, quem Deus A-
postolis sublimiorem hâc sorte, quia tantum e-
jus nomine gaudebat, & Justi privilegio, my-
steriosè proclamabat, singularem reverentiam,
& extraordinariam eminentiam factum esse sen-
tit doctissimus Isolanus. Audite ejus verba *Quis* Laur. Iust.
quis ergò ingenio polles , rerum divinarum præmissâ serm. de
virtute, discurre , argue, conclude ab Apostolicæ Matt.
comparatione Majestatis ad cœlestem Ioseph digni-
tatem Quanta sit illi præstita dignitas, sanctitas, ac
virtutum inexplicabilis perfectio Accede ad cor altis,
& non deprimetur : & humilior erit apud te ma-
jestas Apostolici culminis , sed exaltabitur Deus in
latentibus donis patris sui putativi Ioseph. Quam ob
rem mens contemplationi dedita ingreditur locum
quem calamus refugit , intelligat animus, quod
verba exprimere declinant : admiretur inge-
nium, quod scripta non attingunt. Et ratio-
nem Josephi respectu Apostolorum supere-
minentiæ ex diversis, tum illorum, tum il-
lius apertissimè eruit ministeriis, à Deo ipsis
deputatis,

deputatis, dicens: *Quatuor sunt proprietates Apostolicæ dignitatis, annunciatio Evangelii: euntes prædicate Evangelium omni creaturæ: illuminatio vos estis lux mundi: reconciliatio: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & per Spiritum S. locutio: non enim estis vos: qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et paulò pòst summopere extollens, subjungit: *Hæ proprietates dignissimæ sunt, quia sunt immediatè à Christo, & sub Christo, & propter Christum.* Sed attendite precor, quomodò illas in comparatione sanctissimi Josephi diminuat, ejusque exaltet prærogativas: *Proprietates verò Iosephi fuêre desponsatio Reginæ cælorum, nominatio patris Regis Angelorum, defensio Messiæ promissi in lege Iudæorum, educatio Salvatoris omnium, & hæ proprietates sunt immediatè super Christum, & ad Christum* O mira Josephi dignitas! ô magnifica excellentia!

Matth. c. ultimo. Matt. c. 5. Marc. c. ultimo. Ioan. c. 15.

Verùm sortis prædictæ ratio parumper dilucidati posset lepidâ aliquâ historiolâ. Contigit olim quemdam Lacædemoniorum Regem, magnum Pharaonis Ægypti Regis amicum, ab eo instanter petiisse, quatenus dignaretur fidelem, in sui servitium ex aula sua dimittere famulum; cui petitioni lubens annuens Pharao, optimum Regi Lacædemoniorum obtulit aulicum, cujus fidelitate ac famulatu plurimùm usus Rex, quâdam vice fortuitò interrogavit, quod ei nomen foret. Respondenti verò Pharaonem nuncupari, dixit, *In primi tui Domini reverentiam tuum servitium mihi planè inutile est, cum iis enim, qui simili nomine gaudent, ut mihi paribus ago, & non Dominus.* Haud aliter in proposito casu de Barraba dicendum; cum enim sors, quisnam Apostoli locum suppleret, jaceretur, Deus, qui quàm optimè sciebat ambos esse suos servos, considerans eum, & Josephi, & Justi titulum, ut pater suus putativus Joseph *cum esset Iustus*, possidere, ob summum erga illum respectum, ejus quasi repulerit servitium; Ac si diceret adinstar alterius Regis Lacædemoniorum: ô Joseph! qui & vocaris Barsabas, & Justus, famulatui Apostolico es inhabilis, quia alter Joseph putativus meus pater altiori dignus est præeminentiâ.

Sed de novo præcedēti difficultati solutæ, altera sanè non minor, succedit; scilicet an Joseph quoque, sicut & Maria, aureolâ martyrii sit decoratus; cum enim martyrium non subierit, sed placidam mortem obierit, illa videtur ipsi deneganda. Verùm hæc quoque ex iis, quæ suprà de Mariæ, & Joannis diximus martyrio, facilè dissolvetur: insistendo August. sententiæ ibidem commemoratæ, scilicet Josephum tempore passionis Christi adhuc superstitem fuisse, ac lugubri huic spectaculo, & funestæ tragædiæ ocularem astitisse testem. Tùm enim tormenta Christi, & dolores interna Josephi animi viscera tam sensibiliter conquassarunt, ut eum severius cæteris Martyribus supplicium pertulisse, constanter asserere liceat. Unde, sicut de Virgine, & Joanne Evangelista diximus, Patriarcha noster Joseph potest illis Empedoclis ab Atheniensibus exilio mulctati, uti verbis: *Durius est martyrium cæteris, quod patior; alii sustinuerunt tormenta in corpore, ego verò vivus, & à patria, & à Diis abstineo.* Concludamus itaque Josepho, ne quidem martyrii aureolam fuisse denegatam.

Vellem brevitatis gratiâ discursui huic filum rescindere, sed veritus, ne intacta mihi nimium improperetur objectio, contrà hoc, quod dixerim, sponsum Josephum Mariæ sponsæ præ cæteris creaturis in sanctitate esse simillimum; necessarium judico, hanc curiosam instituere, & ventilare quæstionem: an Joseph quoque hæc concessa sit ex divina liberalitate prærogativa, quam ejus sponsæ audacter, & veraciter supra conc. 4. attribui; scilicet, quod Angelis in præeminentia præcellat. Pro parte, quam sustineo piam, affirmativa mente recolenda est subtilis satis doctissimi Novarrini, ac aliorum Scholasticorum controversia; an Christus, ut cæteri homines puri Angelum habuerit Custodem? cui quæstioni omnes unanimiter respondent negativè. Et quamvis hujus aliqui genuinam ex Christi impeccabilitate desumant rationem, plurimi tamen asserunt Christo eum denegatum in Josephi reverentiam, siquidem, cùm ipse à SS. Trinitate Christi Domini destinatus esset Custos & Pædagogus, superfluum erat, imò & injuriosum illi Angelum Custodem superaddere, etenim Josephi de ipso cura, & sollicitudo Angelorum vigilantiam longo intervallo antecellebat. Hinc est, quod & quidam Mariæ post desponsationem cum Josepho, genium bonum tutelarem ademptum fuisse autument; quia in locum ejus ipse fidelissimus illius custos erat constitutus Joseph. Ex quo non leve sanctitatis, & eminentiæ hujus Patriarchæ eruimus argumentum; etenim, si Deus ad totam terrestris paradisi custodiam Cherubim deputarit: cur & similem spiritum matri suæ non tradidit custodiam; hoc enim omninò spectare videbatur ad eximium illius decorem. Ah! Maria, sicut longè nobilior spiritualis, quàm terrestris extitit Paradisus: ita excellentior

cellentior ei congruebat custos, scilicet Joseph teste Novarrino: *Melior Paradisus Maria, nil mirum, si melior custos eligitur; & non Cherubim, sed Ioseph, huic custodiæ adjicitur.* Unde Isiodorus relictâ sensus litteralis interpretatione, mysticè per diem septimum, in quo scriptura Dominum quievisse affirmat, Josephum intelligit; quia sicut pius pater, dum filium in alienam patriam mittit peregrinum, sedulò de procurando illi fideli pædagogo, & servo laborat, nec quiescit, donec de debita ipsius tutela, & custodia sit securus: sic etiam Deus, cum filium in mundum peregrinum de cælo demisit, ut in utero Mariæ incarnaretur, neutiquam quievit, donec fidelissimum, tùm filio, tùm matri adinvenisset custodem Josephum. Huic adstipulatur Isolanus dicens: *Quievit Dominus in Ioseph corporaliter: quievit spiritualiter per donum gratiæ gratum facientis; quievit fiduciâ desponsans ei matrem: quievit vocans eum fratrem: quievit lætitiâ, labore ejus vivens. Verè Ioseph magnus est dies festus Sabbathi, in quo quievit Dominus gloriosus ab omni opere, quod patrarat.* Concludamus itaque Josephum in celsitudine cunctos Angelorum choros longè superasse, quia putativa Christi paternitas, ei aliquid attulit divinæ dignitatis. Quod indicat Evangelista, cum Josephum non ejus sponsum, quod vocabulum in lingua Hæbraica *hominem* significat: sed virum, *Vir dicitur, non sponsus*, inquit Isolanus, *ut homo intelligatur Ioseph, non Deus, licet aliquid habeat Deitatis.*

Unde doctissimus Gerson eum virum Mariæ appellari, simulque hæc Apostoli considerans verba: *Caput mulieris vir*: hanc ex iis elicit consequentiam, ergò cum Joseph vir sit Mariæ, ipsius est caput. Quæ secundùm ea, quæ suprà de Maria diximus, quod ipsa nimirùm, excepto Deo, cunctis sit altior, & universam in sublimitate excellat creaturam: quomodò consistat, vix ipse video. Unde mihi videtur, quod Evangelista melius Joseph sponsum, quàm virum nuncupasset. Vetuit tamen hoc pius Dominus, qui hoc vocabulo vir putativum suum patrem mirabiliter voluit honorare. Quod, ut patefaciā, recordor illius, cujus memini suprà conc. 7. de famosissimo pictore Zeuxe historiæ. Is namque, cum sibi Deam Dianam depingendam assumpsisset, artificiose totius corporis membris delineatis, diffidens sese non posse tantæ pulchritudini proportionatum caput efformare, in terram penicillo dejecto, opus imperfectum reliquit, adjunctâ inceptæ picturæ epigraphe: *Quis faciet?* Ecce peritissimus ille pictor, supremus Deus in divina Idæa pulcherrimam efformarat Deam, cui in perfectione par non erat in cælo, & in terra, excepto Deo; sed, dum in capite delineando cogitabat, quasi sibi diffidit, credens vix hominem dignum futurum, qui tantum privilegium, scilicet, ut ejus caput foret, promereretur; idcoque omnia perlustrans sæcula, quis ad hoc idoneus reperiretur, advertit. Inspexit Patriarchæ Abrahæ obedientiam: Moysis in gubernando Hæbraico populo vigilantiam: Josephi puritatem: Joannis Evangelistæ amorem, & continentiam: & ecce tantummodò dignus censetur filiationis Mariæ: *Mulier ecce filius tuus.* Consideravit quoque Joannis Baptistæ humilitatem: *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamentorum*: Et tantum titulum Christi promeruit præcursoris. Verùm, ubi cunctas omnium Sanctorum perfectiones in uno Josepho conglomeratas intuitus est, digniorem, quam ad tantum munus inveniret, nesciens, illum Mariæ caput destinavit; quod nec conveniens suæ reputavit Deipara eminentiæ, teste Gersone exclamante: *O miranda Ioseph sublimitas! ô dignitas incomparabilis! ut Mater Dei, Regina cæli, Domina mundi, appellare te Dominum indignum non reputaverit.*

ad Ephes. c.1.v.23.

Ioan. c.1. v.25.

Desisterem libenter à laudibus sponsi Mariæ Josephi deprædicandis, & impari viribus meis onere oppressus, tacitus alios mallem audire de tam sublimi Sancto disserentes, quam ipse loqui Verum silentium vetat illius magnitudo, meque efficaciter ad ulteriùs magnifica, quæ Josepho advenerunt beneficia, ex eo quòd vir sit Mariæ, enarranda, impelli sentio. Sed quæ quæso? ah! optimè potest dicere illa Sapientis verba: *Venerunt autem mihi omnia pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Sed antequam hoc demonstremus, operæ pretium est vulgarem quamdam contra nostrum assertum Juristarum dissolvere objectionē. Lex inquiunt habet, fœminam nullam nobilitatem viro conferre: è contrà verò virum mulieri. Sic legitur in lege finali, codice de nuptiis: *Vxor marito concrescat, sentiat ejus fulgorem.* Et clerius alibi: *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus*; Quomodò itaque Joseph Mariæ sponsalibus honorificentiam, ac nobilitatis augmentum adferre potuit: cum nobilitatem fœminæ per viri ignobilitatē obfuscari dicatur in lege *Ingenuæ*, codice de mulieribus: *Ingenuæ mulieres, quæ splendorem generis, contuberniorum utilitati præferre voluerunt, suorum maritorum conditione teneantur.*

Sap. c.7. v.11.

Ad hoc recurrendum quoque ad Legistas. Fateor,

teor, si homini plebæo conjungatur nobilis fœmina; ipsi nullam adfert nobilitatem? Verùm, ut testatur Juristarum Coriphæus Baldus, si Regina, aut Imperatrix ignobilem in matrimonium ducat, illi suam contribuit dignitatem. Unde Leander abjectâ familiâ ortus, nobilissimæ tamen matronæ Faustinæ nexu connubiali conjunctus, cum à nobilibus repudiebatur, & è consortio, tamquam eo indignus amovebatur, reparare volens illatam, ad eos confundendos injuriam, memor lepidæ cujusdam fabulæ, ingeniosum efformavit emblema. Fabula hæc est, quam narrat Isiodorus: arbores quâdam vice cunctæ fuerunt congregatæ, ut pro primatu & excellentia decertarent. Quocircà unaquæque suo onusta fructu gloriosè comparuit. Oliva sese de dulcissimo suo fructu oleo jactitabat; & sic qualibet præeminentiam præ cæteris prætendebat. Cumque jam quoque in medium prodibat Ulmus fructu vacua & sterilis, summa cum ignominia è consortio fructiferatum arborum est expulsa. Hujus repulsæ opprobrio offensa Ulmus, sese artificiosè depingi jussit vitem sustentantem cum epigraphe; *Abundatissima omnium*. Ac si diceret, ô arbores, ecce, nisi ego vitem ramis meis sustinerem, illa per terram serperet, nec dulces hos, quos videtis bottros produceret, ipsa itaque meam supplet & excusat sterilitatem. Quo viso, arbores fructiferæ Ulmum ad suum consortium admiserunt. Ex hac fabula Leander illud confecit emblema. Sese curiosè delineari curavit, amplectentem Faustinam ab una parte, ab altera verò Ulmum unitam cum vite, & infrà dictum apposuit *Supplet amica*? sicque confusi testitère nobiles, quia jus habebat, quod fœminæ nobilissimæ plæbæos nobilitarent. Cùm ergò Maria Virgo creaturarum eminentissima, cæli, terræque Regina desponsata sit Josepho, summoperè excrevit illius nobilitas. Potest itaq; Joseph meritò exclamare: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Verùm, nec hic adhuc sistit ingens, quod Patriarchæ nostro ex mysterioso hoc connubio resultat emolumentum; sed ausim dicere, illum ob hoc, absolutum in verbum ipsum obtinuisse dominium. Cùm enim ei idcircò data sit à SS. Trinitate nomen Christo imponendi per Angelum potestas, quod signum est dominii in nominatum: imò patris erat nomina filiorum immutare, ut patet in Zacharia: *Postulans pugillarem, &c.* Sequitur eum in Jesum verum habuisse dominium: *Pariet filium, & vocabis nomen ejus Iesum.* Hoc ipsum sentit S. Chrysost. *Nominum impositio dominium testatur, & olim talis mos fuit, ut servorum nomina à dominis* *mutarentur.* Sicque Christus Josepho, tamquàm patri, & domino fuit subditus. Sic satis clarè insinuat Bern. dicens: *Cur ergò divo Iosepho divinitùs collata potestas fuerit imponendi nomen Iesu Domino: consequens est: dominium suprà eundem habuit, quale superiori convenit ergà subditum.*

Chrysost.

Bernard.

Sed hoc efficaciùs probandum, non incongruum fore arbitror, quæstionem satis curiosam medullitus examinare, quæ acriter inter SS. PP. ventilatur. Inquirunt hi, an desponsatio Mariæ cum Josepho peracta sit ante Verbi divini Incarnationem; an vero post? ad quod diversimodè respondetur, quibusdam pro parte affirmativa, quibusdam pro negativa militantibus. Sed quidquid sit de hujus rei veritate, quæ admodum incerta est, dico prædictam desponsationem (quod directè nostrum tangit institutum) in utraque opinione Josepho absolutum in Christum contulisse dominium. Etenim, si post desponsationem Verbum sit incarnatum, inferò: ergò Joseph in Verbum pleno potitus est dominio. Consequentia sanè legitima est & clarè probatur ex tritissima Juris regula: *Quod in alieno fundo nascitur, vel ædificatur, sub dominium ejus cadit, cujus est.* Quod vulgari illustro exemplo: v.g. Si in horto Francisci, eo inscio, à Joanne planta quædam, aut arbor seminetur, illa, cum jam excrevit, dominium Francisci cedit, & nullam in eam jus habet Joannes, hoc supposito pro indubitato, subsumo: atqui Mariæ Virginis corpus sub absoluto Josephi fuit dominio juxtà illud Apostoli: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Ergò quidquid nascitur in illo, cadit sub Josephi dominio. Cùm itaque Spiritus S. divinâ suâ virtute virilis supplens defectum, seminatit cælestem illam plantam, Verbi divini humanitatem in delitioso illo Mariæ horto, utero Virgineo, de qua dicitur: *Hortus conclusus soror mea sponsa*, qui pertinet ad Josephum: legitimè infertur: Ergò hæc planta, Verbum Incarnatum, est verè sub Josephi dominio, & non Spiritus S. Sic divinè conceptum hunc explicat doctissimus Didacus: *Cum igitur Spiritus S. in hoc horto, cujus sanctus Iosep Dominus erat, cælestem hanc arborem Iesum Christum severit, meritò debet arbor ipsius Ioseph appellari.* Hinc Spiritus S. ut suprà notavi, numquam sibi titulum patris usurpavit, quia adæquatum in Christum dominium Josepho conveniebat.

1. ad Cor. c. v. 4.

Cant. c. 4. v. 12.

Didac. serm. de S. Ioseph.

Imò ex hac opinione videtur evidenter sequi (quod forsitan plurimis apparebit paradoxum) scilicet Christum, non tantùm filium Josephi fore putativum; verùm etiam naturalem, & secundùm

carnem

carnem esse ejus patrem. Etenim, cum Maria Virgo in Incarnatione propriam suam substantiam, ac purissimum sanguinem subministrarit, & Joseph in corpus Mariæ plenum, & perfectum jure matrimoniali obtinuerit dominium, quo fit mutua translatio corporis mulieris ad virum, & è contrà, ex carne & sanguine Josephi dici potest (nisi piarum aurium timeretur offensio) Christum fuisse procreatum. Ab hac propositione non adeò abhorret Africanum illud sydus August. Verùm eidem cum sale adstipulatur opinioni, dicens: *Non opinione solâ, sed quadam ex parte veritatis, quoque Ioseph filius est Iesus.* Quippe, quia Mariæ est verissimus filius. Et sanè hoc piè asseri posse (dummodò rursus dico, benè intelligatur) autumo. Quoniam, si paupercula muliercula Sophia, cujus suprà memini, a Diis titulo templi, in honorem falsæ Deæ exstructi, ædificatricis decorata: *Sophia me fecit,* quia tantummodò bobus lassis, & in necessariis ad fabricam advehendis eorum refocillationem fænum, herbasque suppeditarat; quanto potiori jure asseremus Josepho posse hoc dictum attribui respectu Christi: *Ioseph me fecit.* Etenim ipse Christus templum nulli duraturæ ruinæ obnoxium juxtà illud: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ad hoc templum mysticum fabricandum Maria Josephi sponsa purissimam suppeditavit farinam, scilicet sanguinem suum, cujus & ipse absolutus erat dominus; ergò potest de eo rectè, & piè asseri. *Ioseph me fecit.* Insistendo itaq; huic opinioni, scilicet ante Incarnationis mysterium, Mariæ cum Josepho peracta fuisse sponsalia, mirabilis Patriarchæ nostro accrevit prærogativa, juxtà nominis ipsius ethymologiam Joseph *accrescens.*

August. l. 2. de consensu Evang. c. 1.

Ioan. c. 2. v. 19.

1. ad Cor. c. v. 4.

Modò Josephi præeminentiam ex alia Patrum sententia nullatenus diminui, sed potius magis exaltari, ostēdamus necesse est. Secundùm hanc propriori modo potest Joseph appellari pater Christi. Sed nec hoc tantùm: verùm etiam nomine fratris Spiritus S. hoc forsitan rursùs apparebit paradoxum; ideòq; ad ejus probationem attendite, quæ infallibili ipsiusmet Spiritus S. innititur testimonio. In lege antiqua statutum erat, ut, fratre mortuo, alter frater viduam in legitimam sibi assumeret uxorem, cum hac conditione, ut primogenitus, quem mulier ex secundo fratre pareret, filius primi, non secundi nomine gauderet, ut habetur Deut. c. 20. *Accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine ipsius appellabit, ne deleatur nomen ejus de Israel.* Nunc advertite, ecce datur in sponsam Maria Josepho, ex

Cant. c. 4. v. 12.

Didac. serm. de S. Ioseph.

Deut. c. 25. v. 5.

qua ipse nullam procreavit, ob perpetuum voti continentiæ, & castitatis prolem; sicq; mundo in ordine ad generationem censebatur mortuus. Ecce secundus sponsus defuncti fratris Josephi, castissimum hoc divinâ suâ virtute supplet connubium, sibique in sponsam assumit Mariam, & ex ea, remanente tamen intactâ virginitate, gignit sanctissimum hunc fætum Christum Jesum juxtà illud Matt c. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est:* Igitur Christus filius est Josephi, & non Spiritus S. fratris. Ita doctissimè explicat Gerson dicens: *Fuit Ioseph pater Iesu reputatione, fuit curatione, quia nutritor fuit, tertiò pater generatione, non quidem suâ, sed Mariæ uxoris suæ, cooperante Spiritus S. at vices Ioseph gerente, non virili semine, sed mystico spiramine.* Concludamus itaq; majorem Josepho secundùm hanc SS. PP. opinionem adhuc accrescere dignitatem, & ex utraque veraciter absolutum illius in Christum colligi dominium.

Matt. c. 1. v. 20.

Genson serm. de Nat Virg.

Quod, antequam huic discursui coronidem imponam, unicâ adhuc confirmatione stabilire lubet. Moris erat, vigebatq; apud Hæbræos consuetudo, quod, dum sponsa in auribus, monilibus, pretiosaq; veste adornata, sponsi domum intrabat, cuncta, quæ secum in corpore apportabat in illius cedebat dominium. Ex quo sic breviter argumentor: Ergò pretiosa, & inæstimabilis illa margarita, hæreditas omnem prorsus superans hæreditatem, Verbum Incarnatum, cujus Maria gravida illius ædes subiit, in dominium cessit Josepho. Nec ab hac consuetudine modernæ Legis peritorum abhorrent regulæ, quæ Patriarchā nostrum, non tantùm Christi dominium, sed & cæli, terræque (quod per legitimam consequentiam sequitur dominium implicitè, & virtualiter constituunt. Innititur hoc dictū legi *prima*, & legi *ubicumque de ventre in rei possessione mittendo.* Ubi definitur, quod, mortuo viro Rege, Regina viva superstes, si gravida fuerit fætu regio, regni permaneat hæres: quia regni hæredem gestat in utero. Maria gravida virtute Spiritus S. divino fætu, Verbo Incarnato, totius universi Domino, eo, quasi ut ita dicā, peracta mirabili hâc Christi generatione, mortuo) Josepho in sponsam destinatur, quæ regni ejus hæres, illud sponso suo in potestatem tradit, eumque cæli & terræ absolutum efficit dominum. Quia, ut benè ait Bern. *Quæ sunt uxoris, sunt etiam & viri, credo, quod diva Virgo totum thesaurum corporis sui liberalissimè exhibebat.* Optimè itaque concludo desponsationem Mariæ Josepho indicibilem contulisse dignitatem, ac specialissimam præ cæteris Sanctis prærogativam.

Bernard. serm. 3. de Ioseph.

Aliquatenus divinæ Mariæ sponsi Josephi, Christiq; putativi patris excellentiam, & sublimitatem conatus sum extollere, sed fateor, dum plura adhuc aspicio disserenda restare ejus encomia, sistit lingua, hebescit ingenium, mens stupet, calamus hæret, & stupor ulterius in spatiosum hoc gratiarum mare excurrere prohibet. Quocircà finio tanto oppressus onere. Hocque unicum Josepho Salomonis consecro elogium: *Vnus est, & secundum non habet.* Certum est magni æstimatum fuisse Joannis Baptistæ privilegium, eò quòd Christum baptizando, manus suas super caput ejus ponere promeruerit. Magna reputata est Joannis Evangelistæ prærogativa, quòd dignus inventus sit, ut suprà pectus Domini in cæna recumberet, & fieret particeps divinorum mysteriorum. Nec exigua Magdalenæ, & Apostoli Thomæ fuit prærogativa, eò quòd illi pedes, huic latus Domini attingere sit permissum. Verum Patriarcha noster Joseph *Vnus est, & secundum non habet.* Quia ipse absolutus est Christi dominus: *Et erat subditus illis*: quam subjectionem in ipsius laudes extollens Gerson diviné ait: *Quæ subjectio, sicut inæstimabilem denotat humilitatem in Iesu, ita dignitatem incomparabilem significat in Iosepho* Cui concinere videtur Bern. *Si compares*, inquit, *Iosepho totam Ecclesiam: nonne iste homo electus, & specialis, per quem, & sub quo Christus est ordinatè, & honestè introductus in mundum?* Sed audite illam, quam mox ex hoc eruit, consequentiam, nostramque Josephum ex toto animo colendi obligationem: *Si ergò Virgini matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est, sic profectò pòst eam huic Iosepho debet gratiam, & reverentiam singularem: ipse enim est clavis veteris testamenti, in qua Patriarchalis, & Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum.* Unde, si universus Ægyptus Josephum antiquæ Legis tantopere fuerit veneratus, ut ei linguâ Ægyptiacâ nomen Salvatoris inditum sit, quia famelicos Ægyptios egestatis tempore pavit: quam reverentiam, quem cultum nos Christiani Josepho huic non exhibebimus, qui toti mundo panem illum Angelicum asservavit? *Ille frumenta*, inquit Bern. *non populo, sed sibi reservavit, Iste panem & vinum è cælo servandum accepit, tum sibi, tùm mundo.*

Eccl. c. 4. v. 8.

Bernard. h. 3. serm. de Ioseph. c. 2. §. 2.

Bernard.

Verùm, ô Christiani! si adhuc obduratum vestrum cor ad sanctissimi Josephi Mariæ Virginis Sponsi, ob tot ab eo collata in vos beneficia, cultum non commoveat gratitudo; moveat vos potentissima illius, quâ in cælis cunctos afflictos adjuvandi, divinaq; dona impertiendi pollet, authoritas. Etenim præ cæteris Sanctis ipsis in omni necessitate homini succurrendi concessum est privilegium, teste D. Thom. *Quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut S. Antonio ad ignem, at sanctissimo Iosepho in omni necessitate, & negotio concessum est opitulari, & omnes ad se piè confugientes defendere, fovere, & paterno affectu prosequi.* Eja ergò, ô Auditores, devotionẽ Mariæ Sponsi, & Christi putativi Patris cordibus vestris imprimite: colite eum indefinẽter: confugite ad Josephum miseri pro gratia, & venia peccatores: cui nec filius Christus umquam potest quidquam denegare, ut claré attestatur doctissimus Echius his verbis: *usque adeò mutua illa Iosephi cum Domino Iesu, & Virgine Maria conversatio, immensam ejus arguit sanctimoniam & dignitatem, ut sperare liceat, quod, quidquid filium suum Christum rogaverit Ioseph, vel ejus conjugem dilectissimam Mariam ejus rei repulsam passurus sit nunquam, Vos itaque charissimi nolite tàm sancti viri oblivisci, quin eum sedulò invocate pio affectu, neque ille in necessitate vos deseret.*

Thom. in 4. dist. 4. q. 3. a. 2. ad 2.

Echius hom. 3. de S. Ioseph.

Et rectè sanè tanta Josephi in cælesti Regno apud SS. Trinitatem ex tam amabili cum Maria, & Christo conversatione ac familiaritate, deducitur potentia; etenim sicut Darii aulici inter sese disputantes, quisnam potissimâ in toto Regno apud Darium polleret authoritate, viso, Regem Clodio manum suam perhibere, exclamarunt: *Omnium major est Clodius, quia Cæsarem tangit.* Sic & nos, si indagemus quisnam ampliori in divino Tribunali inter omnes Sanctos potiatur potestate; asserere possumus, omnium major est Joseph, quia Cæsarem tangit, & Regem Regum, & Dominum Dominantium in ulnis portat. Unde, si Pharao talem Josepho veteris testamenti concesserit authoritatem, ut ei totius Regni sui permiserit dispositionẽ, ut pat ex ipsius verbis: *Terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare*, scilicet fratres tuos: Ita & summus ille Pharao Deus Josepho Christi Patri cælum indigitat, dicitque fac devotos tuos in optimo loco habitare. Quod cum ita sit, ô beatissime Joseph! cuncti ad te concurrimus devoti famuli, fac nos in optimo loco habitare, tuo nos totos dedicamus servitio, quæsumus concede nobis cæleste tuum adjutorium, ut in supremo Regno cum Sponsa tua Maria, Christoq; filio, & tecum æternâ perfrui promereamur beatitudine. Amen.

Gen. c. 47. v. 7.

Ad majorem Dei, Mariæ, ac Divi Augustini gloriam.

INDEX

INDEX CONCIONATORIVS

Applicans varias materias in hoc opusculo contentas, in facilem omnium Concionatorum usum cunctis totius anni Deiparæ Mariæ Festis.

IN FESTO PURIFICATIONIS.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Lucæ cap. 2.

PRoemium. Cum mirabilem Mariæ Virginis in unigenito filio suo Domino in Templo
sistendo contemplor velocitatem, ac concitatum etiam sine ulla obligatione in obsequen-
do antiquæ legi Mosaicæ gressum, obruor tantis sub hac oblatione reconditis mysteriis,
mihique videtur modò concinnè Mariæ illa, quæ ipsamet de se dicit, appropriare posse ver-
ba: *nigra sum sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pedes Salomonis.* Etenim desideras ne
Christiane hodierno die Mariam intueri nigram, oculos mentis tuæ conjice in divina hæc
Helgrini verba hanc Mariæ sui ipsius exinanitionem demirantis: *Nigra sum*: inquit, *sicut*
tabernacula Cedar, quia non reputor tabernaculum regis justitiæ, sed sicut cæteræ Matres, quarum ventres
sunt tabernacula mœroris & tenebrarum. Experisne verò eximiam Mariæ intueri ac perscrutari pulchri-
tudinem, hucusque creaturæ stupendam sublimitatem? Attentè considera mirificum S. Anselmi de — *S. Ansel l.*
Maria elogium: *Nihil tibi Domina æquale, nihil comparabile est, omne enim quod est, aut suprà te, aut subtus* — *de exord.*
te est: quod suprà te est, solus Deus est, quod infra te est, omne quod Deus non est, ad tuam tantam excellen- — *salutis hu-*
tiam quis aspiciet, quis attinget. — *mana c. 7.*

Maria sane est nigra, quia non inter Virgines, sed inter cæteras corruptas connumeratur fœminas,
quæ secundum solitum generationis ordinem cum maternitate virginitatis florem deperdunt; verùm
ipsa est pulchra & formosa, quia tamquàm splendidissimus sol miris profundæ humilitatis radiis, vi-
vificum cunctis Christianis sublimis hujus virtutis sese præbuit exemplar, quoniam purissima Virgo,
quæ isti legi registratæ. Luc. 2. *omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Illi — *Luc. c. 2.*
tamen sese ultrò subdidit. *Nihil enim,* inquit Bernardus, *in hoc conceptu, nihil in hoc partu impurum* — *Bernard.*
fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirùm cum proles ista fons puritatis sit. De admiranda hac Ma- — *serm. 5. de*
riæ humilitate variisque illi ex ea resultantibus prærogativis (ipsamet dicente: *quia respexit humilitatem* — *Purif.*
ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est. — *Luc. c. 1.*
Perplacet in præsenti parumper discurrete. *Pro quo vide à fol. 146. col. 2. usque ad Conc. 17. fol. 157.*

IN EODEM FESTO.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc c. 2.

IN EODEM FESTO.

Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Luc. cap. 2.

IN EODEM FESTO.

Tulerunt Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. c. 2.

IN

IN FESTO ANNUNTIATIONIS MARIÆ.

Missus est Angelus Gabriel à Deo, &c. Luc. cap. 1.

PRoemium. Cùm attentè imbecillis ingenii mei oculis admirabilem hanc SS. Trinitatis Archangeli Gabrielis in terram ad Virginem Mariam contemplor legationem, atque genuinum ejus pro viribus conor attingere motivum; ecce in memoriam reincidit commemorata alibi non vulgaris de Psalmerici Regis cum pulcherrima Pelopenensi filia Rhodope sponsalibus, historia. Hic enim calceamenti hujus Virginis ab Aquila Memphim transportati amore inescatus (ut refert Ælianus) quocumque terrarum illius Dominam inquiri jussit. Cumque ab eo aulici peterent, cur adeò spem vanam & maximè dubiam aleret, respondit: *Quia amo.* Pariformiter ad illud responsum, quod olim dedit Amnon Joab interroganti: *Cur ita sic attenuaris macie fili Regis per singulos dies.* Cur internum & occultum animi nutris mœrorem? *Thamar sororem fratris mei amo.* 2. Reg. 13.

Ah si modò à Verbo æterni Patris unigenito filio petam, cur tantoperè humanam assumere desideret naturam? nil sane respondebit, nisi adinstar Psalmerici, aut Amnon, *amo Mariam.* Hæc est, quæ meam fulgidis sanctitatis suæ radiis obfuscat majestatem, teste S. P. N. Augustino: *amor majestati oculos clausit.* Ne miretur itaque mundus, quod Paranymphus Gabriel ad tantum huic Virgini proponendum delegetur mysterium, quia amore langueo, & præ nimio ardore indesinenter clamo: *Surge, propera amica mea & veni.* Hujus amoris efficaciam maturè perponderans S. Bernardus obstupefactus exclamat: *O amoris vis! itane summus omnium imus factus est omnium? quis hoc fecit? amor affectu potens. Quid violentius? triumphat de Deo amor.* De triumpho ergò hujus amoris, è quo non leve profectò humanæ naturæ advenit emolumentum, in præsenti mens est tractare. Ubi ante per Mariam Spiritus sancti interpellaverimus unanimiter assistentiam salutantes eam Angelicis verbis. Ave.

Introductionem incipe *cum de immenso* &c. *fol.* 107. cætera sequuntur usque ad *fol.* 122.

IN EODEM FESTO.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. cap. 1.

PRoemium. Duas suprà hoc thema invenies conciones. Unam de profunda Mariæ Virginis humilitate, maximaque hujus virtutis excellentia, primariò omnis nostræ fœlicitatis & Mariæ prærogativarum gradu. Proemium incipere potes à *fol.* 146. cætera sequuntur usque ad fol. 157.

Aliam de perfecta Marianæ voluntatis cum divina conformatione *fiat* &c. & quanti illud unum *fiat* constiterit Deiparæ. In proemio comparatur heliotropio *fol.* 134. & quam benè deducitur (etiam cum patientiæ exemplaris afflictis Christianis propositione) usque ad *fol.* 145.

IN EODEM FESTO.

Hic magnus erit. Luc. cap. 1.

PRoemium. Cum attentâ mente mysteriosa hæc Gabrielis Mariam Virginem salutantis, ac Deum ipsum per illam magnum futurum pronuntiantis, difficultate opprimor sanè non exiguâ: etenim, quomodò possibile est, ut creatura creatorem, homo Deum magnum reddat, ubi infallibile invenimus Spiritus sancti in in contrarium oraculum? *non est minuere, neque adjicere, nec invenire magnalia Dei.* Eccl. c. 18. Et paulò inferiùs: *Quis magnificavit Deum sicut est ab initio?* Scio quamplurimos S. P. N. Augustinum, hunc locum sicut & illum *magnificat anima mea Dominum impropriè interpretari: hic magnus erit*, id est, magnum hunc faciet mundus & ut magnum adorabit homo. Verùm salvâ tanti Doctoris reverentia, Præfata verba Angeli secundum S. Gregorium aliosque SS. PP. strictè capi posse autumo. Aug. ser. 53. de divers.

Ad quod

Ad quod ostendendum *meminisse oportet.* &c. vide *fol.* 218. *col.* 2. *in fine usque ad fol.* 232. inclusivè. Ubi invenies introductionem, confirmationem & conclusionem.

IN FESTO VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Luc. cap. 1.

PRoëmium. Naturalistæ, qui sedulò omnium rerum inditas ab authore naturæ indagant proprietates, curiosè annotant, quod etiam irrationalia animalia ex naturali instinctu & innato amore ad fœtuum suorum defensionem efficaciter instigentur. In hoc tamen præ omnibus avibus supereminet pelicanus, ac proinde ab ingenioso quodam naturalista isti avi (subtili de animalium ergà suos amore composito emblemate) acutè attribuebatur epigraphes: *tu supegressa es universas.*

Hinc fit, quod callidi venatores prædæ hujus alitis inhiantes, tanti illius ergà pullos amoris non ignari, mirabilem illam capiendi adinvenerunt methodum atque efficax medium, scilicet, circumcirca illius nidum magnum exstruunt ignem, pelicanus verò nutrimento suis procurando intentus, tamen iis de longè prospiciens, tanto conspecto discrimine, quàm citissimè advolat, nidumque anxius crebrò circumvolitat, omne prorsùs inquirens medium pullis suis succurrendi, verùm nullam spem, imò nè spei micam superesse animadvertens, sese in flammas præcipitat, eas alarum suarum jactatione extincturum, sicque ex amore, crudeli perit fato & venatoribus præda remanet. Hunc admirabilem hujus avis ergà suos affectum testatur & admiratur Petrus Valentinianus his verbis: *Saluti filiorum intenta potiùs, quàm suæ, mortis genere omnium conficitur atrocissimo: tanta in eo charitas, tantus amor, tanta vis pietatis elucescit.* Et si tanti fervoris ac præcipitationis ratio ab ea exigi posset: indubiè responderet cum quodam cœco amante ob amorem amatæ omnibus bonis spoliato: *sic urget amor.*

Quod si ob stupendam hanc ergà suos pietatem avi isti conveniat epigraphes: *Tu supergressa es universas*; ah quàm concinnè asserere possum Mariam esse verissimum pelicanum, eique meritò appropriare prædictam epigraphen, tu supergressa es universas. ô Maria, tu nostrum omnium electa mater fortissima es protectrix, tu omnes in nobis opitulando cœlestes spiritus longè antecellis. Ideoque & benè de te cantat Ecclesia: *refugium peccatorum.*

Hoc non obscurè elici potest ex hodierno Evangelio: ecce vix mater Dei effecta Maria & nostra mox suorum intenta saluti assurgit, & summa cum festinatione ad Elisabetham cognatam currit, nullum considerat itineris periculum, nil curat, nec æstum, nec corporis teneritatem, sed velociter divino fœtu gravida properat, quia eam *urget amor*, qui cuncta spernit discrimina secundùm Augustinum: *Omnia sæva & immania prorsùs facilia reddit amor.* Sed quorsùm tanta acceleratio? Audi quid respondeat Cyrillus Alexandrinus: *Ut Ioannem Baptistam in ventre matris sanctificaret, & suam sic pro peccatoribus patefaceret curam.* Quæ quanta sit, in præsenti discursu variis conceptibus ostendam. Pro quo per eam ante rogitemus Spiritus S. gratiam. Ave.

Aug. ser. 9. de verbis Dom.

Introductionem incipe *celeberrimus historiographus* &c. vide *fol.* 170. *usque ad fol.* 178.

IN EODEM FESTO.

Exultavit infans in utero ejus. Luc. c. 1.

PRoemium incipe *celeberrimi Scriptores* &c. vide fol. 58. usque ad fol. 59 *ad verba, absit, absit*, & perge. Hujus enim luminis & radiantis Mariæ aspectus efficaciam expertus est Joannes Baptista, adhuc maternis inclusus visceribus, qui splendidis tanti solis radiis recreatus in utero exultavit, jam ex illius præsentia divinæ gratiæ lucem præsentiens, quæ densissimas originalis noxæ tenebras procul abegerat. Unde Joannes quoque appositè dicere potest: *Sic diva lux mihi.* Et, *tecum inclinata resurgo.* Occasione itaque hujus Evangelii, mirabilisque Joannis sanctificationis, Mariam intuitus, in hoc discursu ostendam potentiam, humiliter prius per ejus intercessionem expostulato Spiritus S. auxilio. Ave.

Introductionem incipe *de nobilissima Matrona Romana.* &c. Cætera sequuntur. vide fol. 59. col. 1. usque ad fol. 66.

IN EODEM FESTO.

Super idem Thema.

SApientissimus ille Rex Salomon inter cætera, quæ ipsi perceptu apparebant difficillima, summopere admirabatur, quod cuncta totius universi flumina ad mare confluant, & tamen, quod illud non redundet: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*: Verùm ego dum diligenter cap. 1. Lucæ attentè perlego, mare reperio stupendum, non naturale aquarum receptaculum, sed mysticum aquarum abundantia repletum, quod tamen nullo superbiæ vento intumescit, ut attestatur S. Antoninus, dicens: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ita in Maria omnes gratiarum aquæ, quæ fuerunt in aliis Sanctis, intraverunt in Mariam Virginem: & tamen illud mare plenum omni gratiâ non redundavit excedens omnes limites suos in aliquam elationem, vel jactantiam.* Sed è contrà, ut testatur S. Bernardus: *Humilis fuit in corde, humilis in Verbo, humilis in conversatione, & obsequiis.* Unde rectè posset assimilari puteo cuidã in Achaia reperto, de quo refert Alexander ab Alexandro: quod flante vento aquilonari & impetuoso, aqua totaliter remaneat quieta & immota: at flante vento australi, subitò conturbatur. Sic Maria, quæ ob profundam suam humilitatem altissimus est puteus, flante vento persecutionum immota persistit: *Stabat juxtà crucem Mater Iesu.* At dum ab Angelo gratiâ plena denunciatur commovetur: *Turbata est in sermone ejus*: Ad quod S. Bonaventura exclamat! *O mira & profunda humilitas Mariæ! ecce eam Archangelus alloquitur, Maria gratiâ plena dicitur, in Matrem Domini assumitur, jam omnibus creaturis anteponitur, jam cæli & terræ Regina efficitur: sed in his omnibus mirâ humilitate deprimitur, dicens: ecce ancilla Domini.* Eccl. c. 1. Bern. super Missus. L. 6, dierũ genialium.

Imò nec hic metam humilis statuit Virgo, verùm non contenta, quod sese tàm profundè coram Domino humiliaverit, vix ad tantam divinæ maternitatis dignitatem evecta, surgit & ad infinitè quasi inferiorem cum festinatione Elizabetham properat, & humiliter eam salutat, fætumque Joannem pia sanctificat. De quo obstupefactus Ambrosius ait: *Superior venit ad inferiorem: virgo ad corruptam: decet enim, ut quanto castior Virgo, tanto humilior sit: noverit senioribus deferre honorem, sit magistra humilitatis, in qua est possessio castitatis.* Et ob hanc magna fecit Mariæ, qui potens est. De tam profundæ humilitatis Marianæ virtute, & ob eam ipsi concessis ratis prærogativis mens est in præsenti parumper discurrere. Ubi Spiritus Sancti per Mariam priùs imploraverimus assistentiam.

Introductionem incipe *quæstio non minus* &c. fol. 146. col. 2. cætera sequuntur usque ad fol. 157.

IN FESTO ASSUMPTIONIS MARIÆ.

Dic ergò illi, ut me adjuvet. Luc. c. 10.

DUm attentè mentis oculos in celebrem præsentis festivitatis solemnitatem conjicio, tanto illius obfuscantur splendore, ut, unde de ea exordiar, non videam. Etenim Mater nostra Ecclesia hodierno die in cælis resonantes, applaudentesq; cælestium spirituum tantæ Reginæ pomposo triumpho voces, symphonias, atque concentus proponit: *Assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli.* Et in terra mysteriosas Marthæ contra sororem Magdalenam per Evangelistam Lucam depromit querelas. Quod sanè mirum. Quid enim commune habent querelæ cum summa exultatione & jubilo? Profectò, quò intimius hæc duo mysteria penetrare conor, eò magis me intricatum in hoc labyrintho reperio, è quo me tamen officioso suo in tanta anxietate subtilis Doctor Bernardus, ut Ariadna Theseum, filo educet. Hic considerans Mariæ in cælum Assumptionem, ingeniosam satis instituit quæstionem: nimirum, an mundo gaudendi & exultandi, an verò plangendi & gemendi suppeditetur materia. Nec hæc sanè suo ullatenus caret fundamento; etenim, si de tanto cælum thesauro invento glorietur lætetur & triumphet: quæ mæstitiæ, tristitiæ, & gemituum indicia miser mundus non ostentabit tam pretioso unione privatus, tantis divitiis depauperatus? Profectò homines audire videor clamantes:

ces: ô benignissime Pater æterne! ô piissime fili! ô paraclite Spiritus! ah! quid nos desolatos, & debiles sine fulcro relinquis? Quid discipulos destituis magistrâ? Cur nobis reis & peccatoribus unicum aufers refugium? Tu ô Christe! nos orphanos deseruisti, & tutelæ matris commisisti, & nunc eam nobis crudeliter adimis? Suntne hæc tua promissa, *ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi!* ô dura sors! ô iniqua fortuna! & gemitus gemitibus, planctus planctibus superaddentes, preces reiterant, & pro adjutorio adinstar Marthæ ad Jesum, ut refert Lucas, vociferantur; ô Pater mansuetissime! dic, ut Maria nos adjuvet, permitte, ut nobiscum permaneat in miserorum solatium, peccatorum exemplum, & debilium sustentaculum: dic, ut nos adjuvet, cælestes enim incolæ suâ summa cum securitate gaudent beatitudine. Ah! quid responsi dabit ad hoc Omnipotens? sanè ut Jesus Marthæ: *Maria optimam partem elegit.* Desiste à lachrymis, desiste à planctu ô homo! Maria non tantùm in cælum pro sua assumpta est gloria, sed maximè pro tua essistentia. Audite quàm id divinè Bernard. quæstionem hanc proponens, & simul enodans, ad præsens institutum explicet mellifluis hisce verbis: *Meritò resonat* &c. vide fol. 180. col. 1. in fin. *S. Bernardus* & perge. Hodierno itaque die intentum meum est ostendere, quantum emolumenti mundo ex hac Mariæ assumptione proveniat. Antea tamen congratulemur assumptæ Reginæ eam salutantes Gabrielis salutatione, Ave.

Introductionem incipe *cum tam Romanorum* vide fol. 178. Col. 1. confirmationem invenies fol. 180. *S. Bernardus ad commemorati dicti sui* &c. cætera sequuntur usque ad fol. 190.

IN EODEM FESTO.

Intravit Iesus in quoddam castellum. Luc. c. 10.

PRoemium. Communiter S. Scripturæ Interpretes, atque SS. PP. præfatum Lucæ locum nudè litteraliter discutientes, Christum ad castellum in quo commorabatur cum Martha & Magdalena Lazarus, divertisse asserunt, ibique convivio ab iis summo cum gaudio fuisse exceptum. Verum relicto rudi litteralis sensus cortice, ego innixus irrefragabili divi Bernardi authoritati, verba ista profundissimo verbi incarnationis appropriabo mysterio. Illud enim cernens divinam justitiam undique misericordiæ prædominari, nullibi hominem à divini furoris fulmine consistere posse immunem, nullum planè tutelarem adinveniri ducem, qui miseram humanam naturam contrà tot rigorosæ justitiæ insultus tutaretur, teste Isa: luctuosum hunc statum deplorante: *Non est qui consurgat & teneat te: abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manus iniquitatis nostræ.* Nil profecerat legis naturæ status, nil circumcisionis mysterium, inanes prorsus extitêre Mosaycæ legis oblationes & holocausta: &, ut uno verbo concludam, inexpugnabile omninò permansit cælestis paradisi fortalitium; hoc inquam divinâ suâ verbum perscrutans sapientia, cælos, pietate ergà hominem commotum, disrupit, & è sinu paterno in fortissimum Castellum, tutissimum reis immunitatis asylum, id est Virginale Mariæ Claustrum intravit ait Bernardus, *Intravit Iesus in quoddam Castellum, id est in virginis uterum.* Hanc Amazonem Deam contrà divinum furorem indigitat tutelarem. Etenim ipsa est illa turris, de qua Sponsus Cant. 4. *Ædificata propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: Quibus justitia Dei ab homine arcetur. Illa est turris, in qua captivus Dei filius patri æterno in redemptionem humani generis captivi offertur, pax firma stabilitur, & perpetua armorum & vindictæ quies statuitur. Quod, antequam patefacere incipiam, recursum priùs ad fælicissimum hoc Castellum pro Spiritus S. impetrando auxilio capere lubet, salutans eam &c.

Isa. c. 64.

Introductionem, & sequentia vide fol. 2. usque ad fol. 10. Potes etiam hic sub eodem proemio dicere Christum intrando in Castellum, benedictum Mariæ Virginis uterum, ostendisse, illam à cælo destinatam esse commune reorum asylum, & peccatorum unicum refugium. Introductionem invenies fol. 170. col. 2. usque ad fol. 178. in initio.

Item tractare potes de Mariana, vel ad Deum ipsum compescendum, potentia: quia ipsa est Castellum omnium fortium armaturâ præmunitum, parentibusque armis optimè instructum, quibus ad illud confugientes fortiter tutatur. Vide à fol. 179. usque ad fol. 190. Vel de ejus in dæmonem, infernum, purga-

purgatorium absoluto dominio, & in peccatores obduratos convertendo potestate. Vide fol. 190. usque ad fol. 204.

IN EODEM FESTO.

Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, cantat Ecclesia. Ex Cant. c. 6.

PRoemium incipe, *Attentè perpensis* &c. Vide fol. 66. usque ad fol 79. Ubi invenies amplam pro duobus aut tribus discursibus materiam, deductam suprà luminis in genere, & in specie proprietates Mariæ Virgini propriissimè attributas.

IN FESTO NATIVITATIS MARIÆ.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. c. 1.

PRoemium incipe, *famosissimus ille artifex* &c. Vide fol 244. usque ad fol. 257. Ubi abundans de immensa maternitatis divinæ Mariæ concessa dignitate disserendi materia suppeditatur.

IN EODEM FESTO.

Nativitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo cantat Ecclesia.

PRoemium. De invicto illo monarcha Philipbo Macedoniæ Rege veteres commemorant historiæ, quod ipse arduæ cuidam expeditioni intentus, intellecto gratissimo nuntio, dilectam conjugem suam Olimpiam peperisse unicum regni hæredem Alexandrum, subitò dejectis armis, tubicinem ad hostem, jam jam Philippi insultum pertimescentem miserit, ut Regio nomine ab eo armorum in ducias exigeret, dicens natalem, & tam faustum filii diem neutiquam mortis commixtione, aut sanguinis hostilis maculâ decère contaminari, sed modò tempus esse, non ut tubicines classicum sonent, sed ut tympanarum strepitus, & tubarum clangor ob novi Principis ortum cuncta lætitiæ, & exultationis demonstrent indicia. Unde, expulso telorum feralium terrore, & armorum remoto fragore, in tentoriis undique instructæ epulæ, decretæ choreæ, exstructi triumphales ignes, editaque summi gaudii signa sanè non exigua. Quod si Philippus ob unius Alexandri nativitatem tantùm sibi congratulandum esse censurit, ut oblitus instantis contrà hostem victoriæ, omne tempus communi exultationi consecrarit, longè potiori jure hodierno die mundus debet exultare universus, quia Anna ei non unum Alexandrum diversarum gentium debellatorem, benedictam illam prolem Mariam, quæ productura erat potentissimum illum Alexandrum Christum Jesum mortis & inferni destructorem protulit. Quapropter, si Judæi à perfidi illius Aman furore, imminenti interitu liberati, de Ester clamarint præ gaudio: *Nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium*; nonnè meritò congratulari debemus omnes Christi fideles toti Romanæ Ecclesiæ de ortu tam benefici luminis Mariæ, quæ non communis lux est, sed planè indeficiens, quo universa recreatur creatura? meritò sanè: cum ipsamet cantet *nativitas tua* &c. Occasione itaque novæ tantæ lucis ortus, ipsius sub lucis Metaphora encomia, & laudes enarrare in præsenti conabor. Pro quo priùs unanimiter per hanc lucem aliqualem Spiritus S. illuminationem expostulemus, eam salutantes angelicis verbis. Ave.

Introductionem invenies fol. 67. col. 1. vide usque fol. 79.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS DIVÆ VIRGINIS.

Extollens vocem quadam mulier de turba, dixit illi: beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. Luc. c. 11.

PRoëmium. Cum attentè hodiernum nobis ab Ecclesia propositum ruminabam Evangelium, obstupefactus hæsi, penes me rationem indagans, cur de Mariæ oblatione nulla fiat mentio: sed tantùm ventris & uberum depredicentur encomia; verùm cum me ad mysticam Ecclesiæ intentionem, & sponsi ad sponsam verba, *meliora sunt ubera tua vino* reflexi: memini ethnicorum stultitiæ, de qua Politanus vide fol. 18. & prosequere proemium. introductionem, confirmationem &c. loco *Tò meliora sunt ubera tua vino* dic: beata ubera, quæ suxisti, usque ad fol. 26

IN EODEM FESTO.

Munus extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam. Prov. c. 21.

PRoemium. Prudentissima illa matrona Abigail, *intellectâ à quodam puero familiæ suæ.* vide fol. 207. in initio & seqq. usque ad *haud dissimiliter* Et perge.

Haud dissimiliter sese gessit devotissima illa matrona S. Anna; Etenim ipsa non ignara superbiæ, tumidum refractarium Adamum, & in ipso totum genus humanum per primam prævaricationem benignissimum illum Davidem ad summam iracundiam provocasse, ad hanc sopiendam, misericordiamque jam dudum deperditam adinveniendam, ingenti cum hilaritate accurrit ad templum, dominoque tenellam suam filiam Mariam in delicti ingrati Nabal expiationem offert, & adinstar alterius Abigail ad eum sic est locuta: ne ponat oro, ô piissime Domine! divina sua majestas cor suum super iniquitatem humani generis; fateor reum est mortis æternæ, quia tuum prætergressum est mandatum: sed ecce quid tibi, ô piissime pater! in tanti criminis abolitionem adducam: Ecce contemplare hanc teneram hostiam, ecce illam tibi offero æterne pater, quam tu in dilecti filii tui prædestinasti matrem, ecce vivam hanc imaginem ad tuum efformatum prototypon contemplare. Inspice rursùs rogo benedictæ hujus hostiæ dignitatem, ipsa est, quæ filium producet, qui suo sanguine (qui & illius est) culpam diluet humanam. Quid ad hoc quæso omnipotens? Possetne hanc placidam recusare oblationem? Neutiquam sanè. Illa enim ex infiniti quasi illius pretii virtute (Maria enim est Deo, Christoque simillima) veniam impetrare debet; quoniam quandoquidem oblatio Christi à Maria Virgine exhibita, Deo fuerit gratissima, quid ni & hæc sit ipsi acceptabilis? cum ipsa sit viva divinæ bonitatis ab ipso increato artifice producta imago. Ad quod in præsenti demonstrandum me accingo. Verùm, antequam de tàm sublimi imagine exordiar disserere, priùs lubet per Mariam Spiritus S. gratiam efflagitare. Ave.

Introductionem invenies fol. 50. col. 1. & cætera usque ad fol. 58 inclusivè & conclude, non mirum esse tam pretiosum Annæ munus divinas extinxisse iras, & tanti pretii donum delinivisse æterni patris indignationem maximam, cum illud in se contineat valorem & perfectionem Christo simillimam. Quod, cum ita sit, unanimiter hanc virginem rogemus, ut renovatum per enormia scelera nostra divinum furorem humili sui oblatione in cælis mitiget, quatenus hâc mediante placabili hostiâ peccatorum remissione obtentâ munus illud justitiæ frenum in æternum cum gaudio confiteri valeamus. Amen.

IN EODEM FESTO.

Super idem thema.

DUm præsentem, quam hodierno die mater nostra Ecclesia recolit, à S. Anna dilectæ filiæ Mariæ Domino oblationem, mihi in mentem incidit, quod quamplurimi ingeniosi Scriptores in hieroglyphicis apprime instructi asserant, discordes Principes, dum pacem exigerent, ramum Olivæ prætendisse, ex eo, quod Oliva apud Ægyptios pacis haberetur hieroglyphicum, teste Pier: *Pacificum imprimis,* inquit, *oleæ hieroglyphicum esse, tam apud Poetas, tàm Oratores vulgarissimum est, cujusmodi est illud Maronianum: ramum prætendit Olivæ.* Pier. l. 53.

Hinc dum Antiochus pro pace ineunda ad infestissimum suum hostem Ptolomæum legatum misit, illi suo nomine virentem Olivæ ramum offerri jussit. Unde quoque, cum Hercules mundo persuadebat, sese à Diis missum fore pacis componendæ gratiâ, respondit Pistoterus: *Oliva in lecytho prorsus nihil.* Hoc dicto indicans nullum prorsus pacis apparere indicium.

Olim acre & infestum inter Deum & genus humanum ob Adæ lapsum vigebat bellum, undique enim oppressâ & exule misericordiâ, Domina mundo vindicans prædominabatur justitia, multa ubiq; inquirebantur reconciliationis remedia, miser homo pro pace æterno Deo quamplurimas animalium immolabat victimas, solemnia continuò offerebat holocausta, sed frustrà, divina etiam justitia clamabat ad instar Pistotheri: *Oliva in lecytho nihil.* Erras, erras ô homo! hactenus nullum pacis apparet indicium. Opus est, ut mihi proponatur oliva, alioquin meus neutiquàm cessabit furor. Sed ô fortunatus dies! ô tempus acceptabile! ecce hodie gloriosa Anna in templo comparet onusta mysticâ illâ Olivâ Mariâ dilectâ suâ filiâ (ipsa enim de se dicit: Ego quasi oliva speciosa in campis,) eamque patri æterno pro ineunda pace, & humani generis reconciliatione offert. Et ecce cedit justitia & misericordiam amplectitur Deus. In cujus beneficii reminiscentiam illam honorifico S. Bernardi salutat elogio: Ave igitur Dei & hominum mediatrix optima, Ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima. O fœlix oliva! sane quàm optimè ô Virgo de te potes dicere, ego oliva &c. omnes enim illius proprii ssimè tibi quadrant proprietates & hieroglyphica. Ut modò in tuam ô mystica oliva! ostendam laudem; sed ad hoc tuum mediante Spir. S. gratia rogo subsidium, teque saluto angelicis verbis, Ave.

Introductionem invenies, Dum Marianas &c. vide fol. 157. cætera sequuntur usque ad fol. 168.

IE FESTO IMMACULATÆ DIVÆ VIRGINIS CONCEPTIONIS.

DE hac materia copiosè tractatur per tres integras Conciones suprà diversa themata, ostenditurque diversis Scripturæ SS. PP. & sacræ paginæ interpretum testimoniis sanctissimam Mariæ animam ne per momentum quidem, originalis noxæ lue fuisse contaminatam. Quæ doctrina tanquàm solida, pia & fidei consona comprobatur, variisque conceptibus illustratur à fol. 79. usque ad fol. 106.

Advertat hic obiter curiosus lector, si novenæ in laudem Deiparæ Virginis deprædicandæ intendat, materiam in hoc opusculo subministrari satis copiosam, si suprà *Salve Regina* discurrere velit.

Pro prima enim super τὸ *Salve Regina,* dic Mariam omnium, tum Sanctorum, tam Angelorum esse Reginam eosque in perfectione & dignitate longo intervallo antecelluisse. Vide Concionem 4. folio 26. &c.

Pro tertia, *Mater Misericordiæ*: de hac materia duas habes conciones, primam & secundam elige ex iis, quod tibi arridet. Vide fol. 1. usque ad fol. 18.



INDEX
RERUM NOTABILIUM,
quæ in hoc libro continentur.
Prior numerus folium, secundus Columnam folii significat.

A.

Alexan-

Aquila

B.

C.

D.

F.

G.

H.

Home-

I.

Iuno

Mariæ

mis-

N.

Nomen

O.

P.

Pelica-

Q.

R.

FINIS.

HORN
Concion.



absorbet eos.
Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam: * manus suas lauabit in sanguine peccatoris.
Et dicet homo, Si vtique est fructus iusto: * vtique est Deus iudicans eos in terra.

PSALMVS LVIII.

De oratione Christi vel Ecclesiæ, & cuiuslibet fidelis in tribulatione, pro sua liberatione, ac de Gentium, & Iudæorum conuersione: & gratiarum pro ijs omnibus actione.

ERipe me de inimicis meis, Deus meus: * & ab insurgentibus in me libera me.
Eripe me de operantibus iniquitatem: * & de viris sanguinum salua me.
Quia ecce ceperunt animam meam: * irruerunt in me fortes.
Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: * sine iniquitate cucurri, & direxi.
Exurge in occursum meum, & vide: * & tu Domine Deus virtutum, Deus Israel:
Intende ad visitãdas oẽs Gẽtes: * nõ mi-

ſereatis omnibus, qui operantur iniqui-
tatem.
C onuertentur ad veſperam, & famẽ pa-
tiẽtur vt canes: *& circuibunt ciuitatẽ.
E cce loquentur in ore ſuo, & gladius in
labijs eorum: *quoniam quis audiuit?
E t tu, Domine, deridebis eos: * ad nihi-
lum deduces omnes Gentes.
F ortitudinem meam ad te cuſtodiam,
quia Deus ſuſceptor meus es: * Deus
meus, miſericordia eius præueniet me.
D eus oſtendet mihi ſuper inimicos
meos: *ne occidas eos, nequando obli-
uiſcantur populi mei.
D iſperge illos in virtute tua:*& depone
eos protector meus, Domine.
D elictum oris eorum, ſermonem la-
biorum ipſorum:*& comprehendantur
in ſuperbia ſua.
E t de execratione, & mendacio annun-
ciabuntur in conſummatione: * in ira
conſummationis, & non erunt.
E t ſcient, quia Deus dominabitur Ia-
cob; * & finium terræ.
C onuertentur ad veſperam, & famẽ pa-
tientur vt canes:*& circuibunt ciuitatẽ.